













CORNELII PAULI HOYNCK

VAN PAPENDRECHT,

ARCHIPRESBYTERI MECHLINIENSIS

ANALECTA BELGICA.


IN SEX PARTES DIVISA.

VITA
VIGLII AB AYTTA ZUICHEMI
Ab ipso Viglio scripta, Ejusque, nec non
JOACHIMI HOPPERI
ET
JOANNIS BAPTISTÆ TASSII
OPERA HISTORICA
ALIAQUE ANALECTA AD HISTORIAM SCISSI BELGII POTISSIMUM ATTINENTIA
IN SEX PARTES DIVISA.

Collegit, Digessit, Notisque Illustravit

C. P. HOYNCK VAN PAPENDRECHT
ARCHIPRESBYTER MECHLINIENSIS.

TOMUS SECUNDUS. PARS SECUNDA.



HAGÆ COMITUM,
Apud GERARDUM BLOCK.
M. D. C C. XLIII.

JOACHIMI HOPPERI
COMMENTARIUS
DE
TUMULTIBUS BELGICIS
EX MS.

Bibliothecæ Archiepiscopalis Mechliniensis.

VIGLIUS ZUICHEMUS

in epist. XXX. ad Hopperum,

data IX. Aprilis CIↃ. IↃ. LXVII.

COmmentarios tuos percurri, & mihi rerum series, puraque ac syncera eorum narratio perplacet, sed multa consilia adversariorum tempus detegit, quæ aliquando suppleri poterunt; & metu liberati, omnes liberius veritatem proloqui, ac tam sceleratam conjurationem detegere, audebunt. Itaque nunc aliud non dicam, quam in id tempus me dilaturum ea, quæ tuo operi adjungenda censebo, quo nobis coram aliquando de rebus hisce familiarius colloqui licebit.

AUBERTUS MIRÆUS

in script. seculi XVI.

pag. 204. in edit. Fabricii.

Scripsit (*Hopperus*) Gallicè commentarium de *Tumultibus istis Belgicis*, quem msſ. apud hæredes aliquando vidimus.

VALERIUS ANDREAS

in Biblioth. Belgica prim. edit. 1643.

Testatur, Hopperum scripsisse, De initiis Tumultuum Belgicorum, Gallicè.

Idem in nova edit. anni 1739.

Idem *De initiis Tumultuum Belgicorum*, gallice; extat msſ. in Bibliotheca elegantissima Eminentissimi Cardinalis de Alsatia, Archiepiscopi Mechliniensis.

VITA

VITA
JOACHIMI HOPPERI
EX
Suffrido Petri, Auberto Miræo, Pierio Winsemio, Valerio Andrea, aliisque.

I. JOachimus paternum genus ex *Hopperiana*, maternum ex *Pierſmana* familia ducit, quæ utraque in Friſia ob antiquitatem ac nobilitatem venerabilis ſemper fuit, *Suffrido Petri* teſte *de ſcript. Friſiæ dec.* 12. *c.* 9. Antiquitatem *Hopperianæ* (quam *Winſemius* quoque nobilitati copulat) deducit ille a *Sivardo Hoppero*, qui neſcio qualis Capitaneus fuerit in expeditione Anglicana anno Chriſti 449. Sed ſæpe ſæpius *Suffridus* ambulat in mirabilibus ſuper ſe. Legat qui volet quæ accumulavit de inſigniis hujus familiæ, de nominis etymologia, de genealogia, paternaque proſapia, ac de materna. Nos certiora proſequemur.

Natus eſt *Joachimus Hopperus* ipſo die S. Martini ſeu XI. Novembris CIↃ. IↃ. XXIII. Snecæ, patre *Suffrido*, matre *Rixtia Feiconis a Pierſma* conſulis Snecani filiâ, in ædibus avi materni, quò mater inſtante partu conceſſerat; habebat enim maritus avitum prædium in Hemelis prope Stauriam, in quo morabatur. Uxor propè ex ſubſequenti puerperio interiit. Nec ipſe valde diu illi ſuperſtes fuit: quamquam poſt mortem hujus uxoris, aliam duxit, ex qua *Scheltonem* habuit, qui ſine liberis obiit. *Joachimus* parentibus orbatus, apud avum & aviam porro Snecæ educatus eſt: & cui rei a natura factus eſſet, ab ipſa inde infantia manifeſtis indiciis declaravit, quum a libris quantumvis puer divelli non potuit. Itaque ſtudiis maturè abhibitus, Snecæ rudimenta utriuſque linguæ & reliquarum artium liberalium fideliſſi-

me jecit, præceptoribus usus *M. Joanne Rodano*, Drento, & *M. Gerardo* Leovardiensi. Hisce fultus, anno decimo tertio ætatis, unà cum collactaneo *Dominico Bendixio* (1) & aliis aliquot æqualibus Harlemum missus est: ubi tunc scholæ celeberrimæ rector præerat vir omni literarum genere instructus, & ad juventutem feliciter instituendam ab ipsa natura factus *M. Cornelius* (2) professione presbyter.

Exactis annis quatuor sub hoc præceptore, & philosophicis disciplinis instructus, inter quas (*inquit Miræus*) Platonicam potissimùm sectatus est, quòd illam Reip. administrandæ in primis utilem judicaret: comitante *Benedixio* suo Lovanium profectus, Juris Civilis studio se totum dedit, nactus optimos præceptores, in his *Joannem Hasium* (3) & *Gabrielem Mudæum* (4) sub quibus ingentes studiorum progressus fecit. Triennio his dato Parisios, deinde Aureliam se contulit, Gallicæ potissimùm linguæ discendæ, & conciliandæ sibi eruditorum amicitiæ, quorum consuetudine doctior evaderet. Hinc Italiam petere eodem consilio statue-

(1) *Dominico Bendixio*] Seu Benedixio, uti *Heussenius* scribit *in hist. Episc. Leovard. p.* 48. *col.* 2. Hic Snecæ natus, parochus dein in patria, postea Leovardiæ ad S. Vitum; dein primus ibi Archidiaconus effectus est, sed mutata religione per Frisiam, unà cum episcopo *Cunero Petri* in exilium actus, in Germania se continuit, & Dusseldorpii Canonicatum consecutus obiit 14. Jan. 1586. Græcæ ac Hebraicæ linguæ cognitionem habuit, & scripsit nonnulla, quæ videntur edita non fuisse. *V. Suffrid. Petri dec.* 14. *c.* 1. *& in append. ad Hedam p.* 9. *Heussen. loc. cit. & Val. Andr. in Biblioth.*

(2) *M. Cornelius*] Videtur idem, qui *Cornelius Crocus* (apud *Val. Andr. in Biblioth.*) qui dein voti causâ Romam pedibus contendit, & ab ipso *S. Ignatio* inter primos Societatis Jesu clericos, ut ut quinquagenarius, admitti meruit. *Vide. Heussen. in hist. Epist. Harlemen. p.* 92. 101. *&* 125.

(3) *Joannem Hasium*] Hagium, seu *de Haze*, de quo dixi in not. ad Vitam Viglii N. XIV.

(4) *Gabrielem Mudæum*] vulgo *Vander Muyden*; qui fuit Brechtanus ex agro Antverpiensi, primi nominis Jurisconsultus, & J. U. D. ac professor Lovanii, de quo *Cujacius* dixit, *ante illum talem in Belgio non habitum fuisse, nec post illum habitum iri.* Vide Val. Andr. in Biblioth. & in Fast. Acad.

enerat, nisi rebus familiaribus postulantibus, in patriam revocatus fuisset.

Post Lovanium reversus, anno 1549. die 20. Augusti titulum Jurisconsulti seu Licentiati, & quadriennio post, Doctoratus insignia, actu celeberrimo, ad quem cùm alii multi amici ex Frisia, tum & præses *Viglius Zuichemus*, & *Galenus Hopperus patruus*, Consul Staurensis convenerant, suscepit die 27. Augusti 1553. unà cum *Wamesio* (5) *Vandevillio* (6) & *Peckio*. (7) Quâ doctorum quadriga nulla umquam clarior visa est.

Ante Doctoratum magno applausu concursuque auditorum publice, sed nullo statuto stipendio, ut *Suffridus Petri* quidem contendit, *Juris artem* professus est. Artem, inquit *Miræus*, quam primus libro etiam ad id edito, in scholas inducere conatus est; quòd *M. Tullium* olim optasse legisset, Jurisprudentiam ad artem redigi. Hæc fusè prosequitur *Suffridus*, sed inutiliter, cùm *Hopperi* conatus & successu & imitatoribus caruerit, uti videre est sup. ad Epist. *Viglii ad Amerbachium*, & *Zasii ad Fichardum*.

Mox ab adepto Doctoræ gradu (sunt verba *Valerii Andreæ* in *Fast. Acad.*) a S.P.Q. Lovaniensi publicus Pandectarum professor constitutus fuit, opera, commendationeque cùm

(5) *Wamesio*] Is est *Joannes*, Leodiensis, primo Legum Ordinarius, suffectus *Petro Amico*, postea Canonum antecessor primarius. In *S. Petri* templo sepultus monumentum & elogium habet *Justi Lipsii* stylo. Plane fuit vir ille Belgii velut oraculum, inquit *Val. Andr.* in *Fast. Acad.*

(6) *Vendevillio*] Et huic nomen *Joannes*, de quo V. *ad Epist.* cxc. & cxcvii. *Viglii ad Hopperum*. Erat Insulensis, Canonum professor Lovanii, dein in nova Academia Duacena primariam juris cathedram tenuit. Tandem Episcopus Tornacensis obiit.

(7) *Peckio*] Qui *Petrus*, Ziricæus Zelandus, *Hopperi* in professione paratitlari Pandectarum successor, dein Ordinarius Codicis, & pòst Sacrorum Canonum antecessor; migravit Mechliniam in Supremum cooptatus Senatum ubi obiit an. 1589. pater *Petri Peckii* Cancellarii Brabantiæ. *V. Val. And. l. c.*

cùm *Joannis Voerthusii* (8) qui apud Magistratum rem tentavit & cœpit primùm, tum *Cornelii Valerii* (9) linguæ Latinæ in Collegio Trilingui Buslidiano professoris publici, qui, absente *Voerthusio*, perfecit. Docendi auspicium *Hopperus* fecit cum auspicio anni CIƆ. IƆ. LIV. die X. Januarii, horâ post meridiem quartâ, prælegens Paratitla, ut vocant Digestorum, methodo nova ac facili, triennio aut ad summum quadriennio absolvenda.

Interim Lovanii uxorem duxerat egregiam virginem *Christinam Bertholff*, cujus pater clarissimus vir *Gregorius Bertholff* primus fuit in Frisia, Senatus provincialis præses, quem ob singularem prudentiam ac rerum usum, quem ille sibi Bruxellæ publicis privatisque causis actitandis plurimum annorum spatio comparaverat, *Carolus Quintus* hoc loco dignum judicavit: qui quidem tametsi vix anno integro supervixerit, jucundissimam tamen illic sui memoriam omnibus reliquit; inquit *Suffr. Petri in append. ad Hedam. p* 2. qui videri quoque potest *de script. Fris. dec.* XI. *c.* I.

Ut redeamus unde digressi sumus: Hopperus anno nondum elapso professionis munus deseruit multorum, maxime juris studiosorum, ingratiis. Crescente namque, ut fit, viri fama indies, a *Margareta* Duce Parmensi, quæ tum Belgis, *Philippi II.* Hispaniarum Regis, fratris sui, nomine præerat, in Mechliniensem Supremum Senatum adlectus est 23. Novembris 1554. locum occupans *Jacobi de Rebremettes*. Ubi cùm Senatoria dignitate ac officio, ea qua erat dexteritate in rebus obeundis, ac prudentia singulari, fungeretur, Gubernatrici visus est idoneus, qui in Secretum Senatum, ac deinde in Consilium, quod rerum Statûsque vocant, adsciscere-tur

(8) *Joan. Voerthusii*] qui fuit Zutphaniensis Belga, præpositus ecclesiæ S. Lebuini Daventriensis apud Transisalanos, nec non majoris ecclesiæ Ultrajectinæ Canonicus; vir multæ ac variæ lectionis & eruditionis. *Val. Andr. in biblioth.*

(9) *Cornelii Valerii*] Is erat Veteraquensis (quod Hollandiæ oppidum est, vulgò *Oudewaeter*) de quo multa in *Bibl. Belg Valerii Andr. & in Fast. Acad.* nec non in *Aub. Miræi Elog. Belg. ac in script. sec.* XVI. *p.* 207. *edit. Fabricii.*

tur anno 1561. quo ex tempore propinquioribus Regis negotiis adhibitus fuit. Et quamdiu Bruxellæ hæsit, *Antonio* Cardinali *Granvellano*, ac præsidi *Viglio*, sua tum diligentia, tum ingenio permultum laboris ademit, quod *Viglius* in epistolis testatur sæpius, & a se visum asserit *Suffridus Petrus*, toto biennio, quo illic a secretis Cardinali fuit. Idque palam factum, est, cùm in aliis multis, tum etiam in negotio Universitatis Duacenæ: cujus instituendæ cùm Triumviros *Antonium Perrenottum*, præsidem *Viglium* ac *Philippum Nigri*, Rex *Philippus* fecisset, illi mox suas *Hoppero* partes commiserunt. Quem & parentis loco Duacenates perpetuò coluerunt, functum vitâ, pro funere laudarunt.

Post hæc *Carolo Tisnaco*, cui apud Regem in Hispania rerum Belgicarum cura commissa erat, ad suos reditum postulante, atque impetrante, *Hopperus* a Rege in Hispaniam evocatur, eòque profectus est postridie Calendas Aprilis anno 1566. inquit *Suffridus Petri* dec. 12. quæ nota temporis corrupta videtur, quandoquidem *Viglius* primam suam ad *Hopperum*, post hujus in Hispaniam abitum, epistolam dederit 9. Februarii ejusdem anni. Reliquerat interim uxorem ac liberos in Belgio, qui nunc Bruxellis, nunc Goudæ substiterunt, donec evocarentur in Hispaniam, prout in *Viglii* epistolis videre est.

Decessum ejus mox per Belgium motus ac tumultus ingentes subsecuti sunt, quorum initia descripsit in suo illo, quem publicamus, Commentario. Quid inter hos præstiterit apud Regem, tum prudentia, tum vigilantia, tum consilii boni libertate, intelligi aut certe conjici utcumque potest ex *Viglii* epistolis, apertius nobis futurum, si ejus ad *Viglium* epistolæ superessent. Ceterùm Regem adeo sibi devinxit, ut ei dominium Dalemense juxta Gorcomium, & peculiare jus venandi in Gesterlandia (quæ pars est occidentalis Frisiæ) tandemque etiam nihil minus expectanti equestrem dignitatem sponte sua contulerit, iisdem solemniis, eodemque die, *quo Joanni Austriaco* fratri suo, Turcicæ classis postea victori ac dein Belgii gubernatori, insignia detulit.

Novennio in Hispania feliciter transacto, & gravissimis laboribus fortiter exantlatis, cœpit illi corporis robur pau-

latim minui, vigore tamen animi non remittente. Donec in phtisim incidit, quæ indies incrementum sumens ita dejecit hominem, ut ultimo anno, qui mortem præcessit, paucissimo cibo (stomacho officium negante) vitam sustentarit. Cum sibi mortem imminere præsentiret, duabus fere ante decessum e vita horis, ad Regem *Philippum* literas subsignavit, quibus sua in Remp. officia, obsequiaque Majestati suæ fidelissima mente præstita commendabat, Regemque orabat, ut conjugis suæ, viduæ futuræ liberorumque pupillorum curam dignaretur suscipere, quam ille se rebus publicis, obsequiisque regiis per omnem vitam postposuisse, sanctè affirmabat. Post hæc, appropinquante morte, cùm benedixisset liberis, conjunctisque suis, &, dum Sacrosanctum Missæ sacrificium in cubiculo celebraretur, Sacramentum corporis ac sanguinis Domini venerabundus adorasset, leniter extinctus est decima quinta die Decembris anno 1576. Madriti, conditusque in æde SS. Trinitatis viâ Jochiana. Ex quo, etiam si cetera deessent, unde constans ejus in religione animus apparet, convellitur unius *Schotani*, non dicam temeritas, sed error, qui *Hopperum* statuit Calvinianæ reformationi assensum fuisse, quod *Heussenius* refutare aggressus est, in *Hist. Episc. Leovard. p.* 67. *& seq.*

Rex autem nuntiata *Hopperi* morte, ex nobilibus suis unum ad ædes ejus misit, viduæ dicturum; Regiam Majestatem dolenter morte ejus affectum; jubere viduam liberosque bono esse animo; se posthac eorum curam suscepturum, atque etiam pupillis patris loco futurum. Et sane uti Regi fidus, ita magna apud eum gratia, & (si tamen id rectè dicetur) etiam auctoritate valuit. Prætereo quod Varia, magnaque donaria a Rege tulit, uti in *Viglii* ad eum datis epistolis legimus. Ejus porro oratione permotum Regem, Senatui Regio Bruxellis post *Requesenii* mortem, Belgium permisisse regendum, auctor est *Famianus Strada dec. I.* lib. 8. Quod consilium in specie prudens, importunum fuisse, secuta provinciarum pernicies aperuit.

Lapsis diebus aliquot, justa facta sunt *Hoppero*, iis solemniis, quæ gentis illius conditio, dignitasque defuncti exigebant, & exequiæ cum tanto nostratium hominum

dolore

dolore celebratæ ſunt, ut nobiliſſimi quique aulæ proceres, quaſi miniſtri, humeris ſuis feretrum ſuſtulerint. Quod ultimum *Suffridi Petri* fide adferimus.

Vixit Hopperus annos quinquaginta tres, menſem unum, dies quinque. Procero fuit corpore & virili dignitate, flavo crine, fronte lata, oculis cæſiis, naſo, intermedio tubere ſublimi, humeris latis, amploque pectore. Ingenio fuit ab ineunte ætate præſtantiſſimo, cùm & captus eſſet facilis, & memoria tenax, & rectum judicium. Accedebat propenſio ad Juris Civilis ſtudium, quæ huic ſcientiæ comparandæ aptiorem reddidit. Amator juſtitiæ maximus fuit ſemper, avaritiam cane pejus & angue odit, libidinem deteſtatus eſt, luxum multo magis. Ad honores & dignitates acceſſit, non ambitione, ſed virtute, & pluribus benefaciendi ſtudio. Animo fuit magno, a rebus caducis, pro ſua conditione, abductiſſimo, quas certa quadam ratione deſpexit: ac ſecretò ſibi præſcripſit jam ab adoleſcentia ſua, quædam pietatis exercitia, rigida quoque & aſpera, ultra quàm ab homine in ſeculi medio vivente expectaſſes. Unde hoc a *Miræo* elogium tulit: quod in mediis curarum undis, Reique publicæ adminiſtrandæ negotiis, ſacras etiam literas pius homo tractaret, & vitam religioſo viro dignam duceret, magna innocentiæ, ſanctitatiſque opinione. Teſtantur id *Pſalmi* ab eo, quaſi Theologiæ operam perpetuò navaſſet, paraphraſi piè illuſtrati, & alia quæ partim vivus ipſe, partim a funere *Gregorius* & *Cajus* filii edenda curarunt. Qui *Commentarium* ejus legerit attentè, & pios ibi ſenſus, & orthodoxæ fidei zelum deprehendet. Libertatem veritatis deprædicandæ oſtendit, dum de origine Inquiſitionis in Belgio, tam apertè, quàm ſolidè teſtatur, oratione non omnibus placitura, niſi fortè, quòd nova. Verum enim verò, tametſi Belgæ nollent Inquiſitionem apud eos obtinere, tamen ejus aliquando legitimè introductæ atque exercitæ veritatem, poſthac negare haud valebunt. Sit hiſtoriæ fides ſua, ſitque nationibus & populis ſua libertas.

Ceterùm commemorandum eſt, *Hopperi* viduam, liberoſque in Belgium remeare volentes annua mille florenorum

 pen-


LENOX LIBRARY
NEW YORK

JOACHIMI HOPPERI
COMMENTARIUS
DE
TUMULTIBUS BELGICIS
EX MS.

Bibliothecæ Archiepiscopalis Mechliniensis.

ELOGIA

Ex Faſtis Academicis Lovan.

GERARDI CORSELII J. U. D.
ET IN SANCTIORE SENATU ASSESSORIS.

HOpperus, Artis conditor veri & boni
Primum Senator Judicandis litibus
Machliniæ, pòſt Sanctiorem in curiam
Integritatis nomine meruit legi.
Ad ſe vocavit Rex Philippus denique
Rerumque ſtatuit Belgicarum præſidem.
Negotiorum tanta moles non tamen
Sapientiæ ſtudiis facere quivit modum:
Teſtantur opera publicæ luci data.

ALIUD

De Viris rebuſq. Friſiæ illuſtrib. p. 86.

MARTINI HAMCONII.

. . . . Celeberrima Legum
Gloria, Jus redigens primo Joachimus in artem,
Privati, Magnique fuit pars magna Senatûs,
Et Cameræ Hopperus præſes regalis Iberæ.

ALIUD

Ex Suffrido Petri de ſcript. Friſiæ dec 12. c. 9.

CYPRIANI VOMELII A STABERT.

PRoh dolor, eripuit terris cita mors Joachimum
Hopperum, Friſiæ non mediocre decus;
Nam licet Hiſpanis Regum conſultus in oris,
Snecana fuerat natus in urbe tamen.
Sneca dole, tuus ecce jacet patronus, at ingens
Gloria non ullo eſt interitura die,
Quam ſibi, quam patriæ ſtudio flagrante pararat
Aſtræam nullo fine, modoque colens.

ALIUD

ALIUD

PIERII WINSEMII

Ex Chron. Frisiæ Vernacule pag. 601.

Ætern. S. & memoriæ.

JOachimi Hopperi Frisii J. C^ti Equitis aurati Domini de Dalem, Consiliarii Status Belgici, præfecti regio Sigillo, in Belgio, & post in Hispania magnis ac inlustribus honoribus functo, scriptis claro, fama superstiti, pia posteritas P. C.

ALIUD

Ejusdem.

Ex histor. libro IV. ad an. 1576. fol. 263. edit. in fol.

JOachimum Hopperum Madriti in Hispania mors abstulit, quem Philippus claritudine famæ ac virtutis, secretis regni ac Belgicarum rerum admoverat. Viri vitam, sua & majorum laude clari, ut alii scripsêre, ita ulterioribus supersedeo. Hoc tantùm subjungam, ituro in Belgicam Austriaco scribendis mandatis præfuisse, suadentemque salubria, & nutriendis per provincias discordiis aliena, longiore morbo ac tabida febre extenuatum, præclaro exitu naturæ legem explevisse. Cujus morte quantum mœroris luctusque regius animus hauserit, magna in defuncti familiam & superstites liberos Philippi beneficia patefecêre. Quippe sumptuoso ex Hispania in Belgicam itineri duodena millia decrevit, annuâque mille carolæorum pensione hæredes donavit. Funus regia quoque impensa ei factum, illustrisque exequiæ solennibus laudationibus decoratæ, viri famam per ingenii opera conscientiis posterorum destinatam justis elogiis adumbravêre.

MONI-

MONITUM.

AD hunc Commentarium præfatione nequicquam est opus, *puram* cùm habeat, *Viglio* judice & sponsore, *ac synceram narrationem.* Hoc unum dolebis mecum, Lector, quod, quæ Viglius *huic operi adjungenda censuit*, adjuncta fuerint numquam: quandoquidem ei cum Hoppero *de rebus hisce familiarius colloqui non licuerit*, morte hujus interveniente. Ceterùm non offendat te vetustus & exoletus stylus istius ævi. Hunc polire nefas fuerit. Nec tædium subeat, quòd subinde verba desint, & forte phrases seu dictiones integræ, unde sensus sæpe & inconcinnus & minimè perspicuus est. Neque enim ex autographo publicamus hunc Commentarium, sed ex exemplari descripto per *Fratrem Dionysium Van Hertbos* monachum Affligeniensem, dum *Jacobus Boonen* sedem Mechliniensem occuparet; quam tenuit ab anno 1621. usque ad annum 1655. Hæc monere oportuit, nec plura.

RECUEIL ET MEMORIAL
DES TROUBLES
DES PAYS BAS DU ROY.

L'auctеur de ce Traicté est Messire JOACHIM HOPPERUS Conseillier & Guarde seaulx du Roy PHILIPPE deuxiesme pour les Pays Bas, resident lèz la personne de Sa Maj^te en Espaigne, ou il fust appellé a la ditte Charge l'an 1566., & deceda en la Ville de Madrid l'an 1576.

CE RECUEIL EST DIVISE EN QUATRE PARTIES.

La premiere s'extend depuis le partement du Roy des Pays Bas jusques a l'allée du Cardinal Granvelle *hors d'jceulx pays.*

La seconde depuis la ditte allée jusques a la presentation de la requeste des Gentils hommes pour le faict de la religion exclusivement.

La tierce depuis la presentation de la ditte requeste jusques a la resolution de Sa Maj^te. sur les poinctz de l'inquisition, moderation des placarts, & pardon General.

La quatriesme depuis la ditte resolution jusques a la resolution de l'allée de Sa Maj^te. en ses Pays Bas.

De l'ordre qu'a mis le Roy en ses Estatz de Pays Bas a son partement d'jceulx.

CHAP. I.

I. AYant le Roy, par la grace de Dieu, mis ses Pays & Estats d'embas en paix & tranquillité, contre ses adverſaires & Ennemis estrangeres, delibera, pour aulcunes grandes causes & raisons a ce le mouvantes, de partir vers ses Royaulmes & Estatz d'Espaigne, en l'an de grace mil cincq cent & cincquant neuf. Et afin que durant son absence les dits Estatz fussent regiz & gouvernez en bonne tranquillité & justice, establit, apres longue & meure deliberation de conseil, tant en general que particulier, l'ordre & provision qui s'ensuict.

II. Premiers, commeit & ordonna Sa Maj.te pour le gouvernement general des dits Estatz & Pays son Lieutenant Madame MARGARITE *d'Austriche* Duchesse de Parme, sa Sœur, fille naturelle de feu l'Empereur CHARLES V. (que Dieu ayt en gloire) a laquelle, oultre plusieurs & diverses instructions, tant publicques que secrètes, furent aussy donnez, pour son assistence, trois Consaulx ordinaires. A savoir le Conseil d'Estat pour les affaires & occurrences publicques de Paix & de Guerre, protection & defense des dits pays, le Conseil Privé pour les negoces de Grace, de Justice, & d'aultres choses politicques, & le Conseil des Finances pour les domaines de Sa Maj.te, Ayans ces trois Consaulx chacun apart soy, leurs instructions, avecq commandement tres expres que l'un ne s'entremectroit ou mesleroit des affaires de l'aultre. Et comme les Consaulx Privé & des Finances avoient long temps auparavant esté ordonnéz & establiz avec l'ordre qu'y convient, & desirant sa ditte Maj.te que celluy d'Estat (estant sy principal) fust semblablement furny des personnages principaulx, si comme des Prelats, des Seigneurs, & d'aultres, commoit, pour Conseilliers ordinaires du dit Conseil, le tres Reverend Pere

en Dieu *Antboine Perrenot* Evesque d'Arras, *Guillaume de Nassou* Prince d'Orenges, *Ladmoral d'Egmont* Prince de Gauere Comte d'Egmont, *Philippe de Stauele* S^r^. de Glayon, *Charles* Baron de Barlaymont Chef des Finances, le Docteur *Viglius van Zuichem* Chevalier, chef president du dit Conseil privé, ausquelz furent depuis adjoutez *Philippe de Montmorency* Comte de Hornes admiral de la mer, & puis *Charles de Croy* Ducq d'Arschot, comme plus amplement se dira par apres. Aussy ordonna sa ditte Maj^te^. que tous Chevaliers de l'Ordre de la Toison d'or eussent entrée au dit Conseil d'Estat estans a Bruxelles & appellez par la Duchesse, & semblablement les Conseilliers des Consaulx Privé, & Grand de Malines, tenant confraternité avecq le Privé Conseil es choses qui touchent la justice ordinaire.

III. Oultre jceluy ordre general, furent semblablement pourveuz les pays & provinces, chascune en son endroit, de Gouverneurs & Consaulx provinciaulx, & de mesmes de Gens de Guerre ordinaires a cheval & a pied pour les frontieres & aultres lieux semblables, & demeurant le Duché de Brabant a la charge particuliere de la ditte Duchesse, fust mis pour Gouverneur & Capitaine general des Comtez de Flandres & d'Arthois le dit *Comte d'Egmont*, pour Hollande, Zelande, & Utrecht le dit *Prince d'Orenges*, qui du depuis eust aussy le Gouvernement du Comte de Bourgoigne, pour Frize, Overyssel, Groeninghe, & Linghen, *Jehan de Ligne* Comte d'Arenberghe, pour Gueldres & Zutphen, *Charles de Brimeu* Comte de Meghem, pour Lutzenbourg *Pierre Comte de Mansfeldt*, pour Haynault, Valenciennes, & la Citadelle de Cambray, *Jehan Marquis de Bergues*, & pour Namur, le *Baron de Barlaymont*, pour Lille, Douay & Orchies *Jean de Montmorency* S^r^. de Courrieres, pour Tournay & Tournesys *Florent de Montmorency* Baron de Montigny frere du dit admiral, tous chevaliers de l'Ordre de la Toison d'or, & Seigneurs bien principaulx, ayant chascun en sa province non seullement charge du Gouvernement & des Gens de Guerre, mais aussy de la justice avec les Consaulx provinciaulx, le Gouvernement de la Flandres seullement excepté, qui n'a rien de commun avecq la justice. Sa ditte Maj^te^. feit venir avecq soy Messire *Charles de Tisnacq* Che-

Chevalier pour Conseillier d'Estat & Garde de Seaulx des dits Pays, & deux Secretaires *Josse de Corteville* & *Paul de Phintsing* pour avoir charge chascun en sa qualité des affaires des dits Estatz reservez a Sa ditte Maj^{te} & d'aultres qui se pourroient offrir. Suyvit en ce mesme temps la personne de Sa Maj^{te} le dit *Comte de Hornes* Admiral de la mer pour servir esdites affaires & aultres qu'il plairoit a Sa Maj^{te}.

De l'Ordre qui se meit sur le faict de la Religion & Justice,

CHAP. II.

IV. DAvantage comme Sa Maj^{te} fust informée des Sectes & Heresies qui estoient ja fort esparses & semees per jceulx ses Pays & Provinces, pour cause de la grande contractation avec les voisins & aultres, & alloient journelement augmentant & accroissant avecq grande diminution de nostre saincte foy Catholicque, jcelle eust grand soing & desir, qu'a ce fust pourveu & remedié convenablement, & pour ce (apres avoir enchargé particulierement a la Duchesse la Garde & execution des placarts & mandemens de feu l'Empereur son Pere, & les siens pour la conservation de la vraye religion & extirpation des Sectes & Heresies) commanda le mesme tres expressement a ceulx de son Conseil privé. Et venant un jour pour ce faict seulement a Malines, y feit aussy convocquer ceulx de son grand Conseil, & leur enchargea, & commanda de sa propre bouche tres particulierement & tres expressement, tout le mesme avecq le surplus de la bonne & sincere administration de la justice, faisant le mesme debvoir a Gand, & a ceulx du Conseil provincial de Flandres, & en conformité de ce furent escrites lettres particulieres a tous les aultres Gouverneurs & Consaulx provinciaulx, & pour proceder en ce que dessus non seulement par forme de Rigueur de Justice, mais aussy par saine & vraye doctrine, ordonna en l'Université plusieurs & diverses lecons nouvelles, tant en saincts Canons,

Canons, comme en la sacrée Theologie servantes a ce propos. Et pour oster l'occasion a ses susjects & naturelz d'jceulx Estatz d'aller hors du pays pour cause de leurs Estudes es villes & Universitez estrangeres, selon qu'ils avoient de constume, notamment pour apprendre la langue Francoise, s'aduisa de fonder une nouvelle Université en sa Ville de Douay, qui est de la langue Francoise ou Walonne, selon que de faict elle a esté du depuis fondée & fort bien ordonnée.

V. Oultre ce considerant Sa Maj^te combien qu'il importoit que le tres sainct Concile de Trente fust achevé, pour donner ordre, non seulement a la doctrine, mais aussy a la vie & discipline Ecclesiastique, & nettoyer & puger de tout poinct la saincte foy Catholicque, eust fort a cœur qu'ainsy se feist, ayant a ses grands frais & despans envoyé au dit Concile de tous ses Estatz, plusieurs Prelatz, Theologiens & aultres gens excellentes en doctrine & bonne conversation, & pour tant mieulx avoir soing, que les Prelatz, Curez, & aultres Ecclesiasticques satisfeissent a leurs offices non moins par bon exemple & doctrine, comme par diligent exercice de leurs charges, a quoy ne se pouvoit pourveoir selon qu'il convenoit, a raison que tous les Sieges Episcopaulx d'jceulx Estatz estoient estrangers & scituez hors d'jceulx, semblablement les dioceses & Evechez tant estenduz & peuplez, qu'un seul Evesque n'estoit suffisant pour les gouverner, Sa Maj^te trouva en Conseil, de soliciter notre Sainct Pere le Pape, de pourveoir a ce que dessus, en sorte que tous Archevesques & Evesques residassent en jceulx Estatz, & que les Eveschés fussent repartiez de telle maniere, qu'un homme seul les peust bonnement gouverner, ce que Sa Sainctete ordonna apres longue deliberation, & grande information & dispute des Cardinaulx, & aultres gens doctes & experimentéez & en eust Sa Maj^te les nouvelles estant a Middelbourg en Zelande pour s'embarcquer, que luy apporta le Prothonotaire Messire *Francois Zonnius* docteur en Theologie, qui par charge de Sa Maj^te en avoit faict les poursuictes a Rome.

Du Commencement des Alterations & Partialitez & des Causes & occasions d'jcelles.

CHAP. III.

VI. AYant Sa Maj^te. pourveu a tout ce que dessus, en la forme & maniere qu'avons dict, partit incontinent & s'embarca en Zelande au mois de Septembre en l'an 1559. & arriva en ses Royaulmes d'Espaigne en bonne sante & prosperite, quant a sa personne, mais de ses gens & navires perirent aulcuns par tempeste de la mer. En celle saison les Estatz des dits Pays Bas estoint fort fleurissans, & en bonne paix & tranquillité, sans aulcune alteration, du moins qui fust cognue. Je dy, cognue, parce que depuis a esté consideré, & semblablement descouvert le mescontentement, qu' aulcuns passé ja long temps avoient, partie pour leur interest particulier, qu'ilz n'avoint sy grande part en la Republicque que bien ilz desiroient, & avoient eu aultres fois, partie pour leurs passions, inimitiés, & envies secretes, qu'ilz portoint a aulcuns qui estoient en credit & Gouvernement, & partie aussy pour le desir & convoitise d'aulcunes Nouvelletez, ausquelles se soupconne qu'ilz soyent secretement solicitez par leurs parens & alliez estrangers mal affectionnez au service de Sa Maj^te. & de ses Estatz, joinct que plusieurs des principaux se trouvoient en ce temps la fort enchargez & endebtez, ce que s'est consideré donner quelcque fois occasion de Nouvelletez soubz espoir de se redresser en Republicque troublée. Aussy s'est observé lors & peu auparavant le partement du Roy, qu' aulcuns encommencoient a tenir divers propos, & se douloir du Gouvernement General, qu'ilz disoient ainsy avoir esté ordonné par la main des Espaignols convoiteux d'avoir seulz part avecq Sa Maj^te. & en jecter hors les Seigneurs du Pays Bas, & que l'Evesque se conformant aux Espaignols pour ses prouffiCts particuliers auroit esté cause de l'erection des dits nouveaux Eveschez, que Sa Maj^te entendoit establir sans l'accord & consentement des dits Estatz, ce que ne se debvoit souffrir, avecq plusieurs aultres querelles semblables,

mais

mais tout cecy se faisoit en secret, sans en rien manifester en publicq, demeurant le tout en repos jusques a tant que l'occasion s'offrit que presentement racompterons.

VII. Ayant le Pape octroyè l'erection des dits Eveschez nouvaulx, la repartition en fust faicte de telle maniere, que par tous les Pays Bas y auroit trois Archevechez, a sçavoir l'Archevesché de Malines, comme premier, soubz lequel seroient les Eveschez d'Anvers, Boisleducq, Ruremunde, Gand, Bruges, Ypre; l'Archevesché de Cambray, soubz lequel seroient les Eveschez de Tournay, Arras, S^t. Omer, & Namur, & le tiers l'Archevesché d'Utrecht, qui auroit pour suffragans les Eveschez de Harlem, Middelbourg, Leewarde, Groninghe & Deventer. Et comme l'Evesque d'Arras fust pourveu du dit premier Archevesché de Malines, advint quasi en la mesme conjoincture quand les nouvelles de touttes ces choses se publioient, que fust l'an Mil cincq cent & soixante, que sa Saincteté envoya a Bruxelles un sien chambellan presenter au mesme Evesque les Chappeau & habit de Cardinal, que depuis, en sur ce le plaisir & mandement de sa Maj^te., il accepta, prennant le tiltre de *Cardinal de Granvelle*, pour estre filz du feu le *S^r. de Granvelle* en son temps premier Conseillier d'Estat & Garde de seaulx de feu l'Empereur CHARLES V.

VIII. Ce faict, les choses que jusques a l'heure avoient esté secretes, se commencerent soudain a manifester ouvertement, courant la fame par tous costez, que tout ce se faisoit par les Espagnols contre les privileges expres, & sans consentement des Estatz du pays pour se faire maistres d'jceulx, non plus ny moins qu'ilz avoient faict de Naples & Milan, y introduisans par celle forme une servitude perpetuelle avecq l'inquisition d'Espaigne, de la quelle seroit Chef General le Cardinal, & soubz jcelluy les aultres Archevesques & Evesques chascun en son pays. Se disoit aussy, comme a aulcuns Eveschez estoient assignez certains Monasteres pour leur entretenement, que cela se faisoit non seulement pour subjuguer les Prelats & Ecclesiasticques, mais aussy tous les Estatz avecq le surplus de la Noblesse & communaulté, attendu que pour la plus grande part, & signamment en Brabant, les Prelatz representent le premier membre des

Estatz,

Estatz, & que les Evesques estans par le moyen de leurs monasteres reputez entre les Prelatz, par consequent seroient les principaulx des dits Estatz, & que par jceulx Evesques ne se feroit rien sans l'advis & accord du dit Cardinal, estant premier Archevesque, & semblablement a cause du Monastere d'Affighem premier Prelat de Brabant, qui est la premiere province de tous les Pays Bas, & qu'aussy ne se feroit rien par le Cardinal sans l'accord des Seigneurs & inquisiteurs d'Espaigne, dont necessairement s'ensuyvroit, que tout se mettroit en la puissance & arbitrage d'jceulx Seigneurs inquisiteurs d'Espaigne. Ces choses & aultres semblables raisons se semoient parmy le peuple en tous lieux & provinces, & plusieurs des Chevaliers & Seigneurs principaulx commencerent petit a petit de s'estranger, & retirer de l'amitié & conversation du dit Cardinal, & feirent par ensemble amitiés nouvelles & plus fermes, de telle maniere que faisant le dit Cardinal en l'an 61. son entrée en la cité & Archevesché de Malines avecq les ceremonies & solemnitez accoustumées, personne ne s'y trouva des dits Seigneurs & Chevaliers, alleguans jceulx qu'ilz n'en avoient esté requis, & le dit Seigneur Cardinal qu'il ne les avoit prié pour en estre refusé.

De L'Assemble generale des Chevaliers de la Toison d'Or, & des lettres qu'en ce temps se formarent.

CHAP. IV.

IX. Comme en celle saison se mouvoient au Rayaulme de France grandes alterations & troubles pour cause de la religion, en sorte que d'un costé & d'aultre se faisoit un grand amas de Gens de Guerre, la Duchesse considerant que ce seroit chose fort perilleuse & a redoubter aux pays de son gouvernement, voisins & frontiers de France, sy ses dittes parties se venoient a appoincter & aultrement prendre quelcque mauvais propos & envie, fust conseillée de faire convoquer & assembler tous les Chevaliers de la

la Toiſon d'or, & Gouverneurs d'jceulx Eſtatz. Jceulx venuz a l'ordonnance de ſon Alteze, & aſſemblez en ſa preſence en la ville de Bruxelles, ſe feiſt la propoſition par le Chef preſident du dit Conſeil privé le docteur *Viglius van Zuichem* perſonage fort notable en vertu & Doctrine, & auſi en eloquence & experience es affaires publicques, la quelle achevée, fuſt auſſy dict quelque choſe par la Ducheſſe, & entr'aultres, qu'ayans les dits Chevaliers entendu la cauſe de leur convocation, qu'il leur pleuſt d'y penſer par l'eſpace de deux ou trois jours, & apres retournant au Conſeil, dire chaſcun ſon opinion ſelon que pour le ſervice de Dieu & de Sa Maj.te & le bien publicq de ſes Eſtatz ilz trouveroient mieulx convenir. Eſtans jceulx Chevaliers ainſy deliberans chaſcun apart ſoy, advint qu'ils furent tous appellez a la maiſon du Seigneur *Prince d'Orenges*, ou ſe propoſarent deux choſes, l'une eſtoit pour conjoinctement deliberer & conſulter ſur la propoſition de ſon Alteze, & conformer leurs opinions. L'aultre qu'en jcelle conjoincture auroit ſemblé bon & auſſy neceſſaire, de communicquer par enſemble, eſtans Chevaliers & Seigneurs tant principaulx, ſur le Gouvernement general, le quel pour aulcuns mauvais ſerviteurs & miniſtres eſtoit en termes de ſe perdre, ſy ſoudain n'y eſtoit pourveu. Et fuſt ceſte matiere traictée fort amplement avecq touttes les raiſons ſus dittes & ſemblables: & le tout ouy par ces Chevaliers & Seigneurs là preſens, ſe trouvarent aulcunement differens en opinion. Les uns trouverent bon ce qu'avoit eſté dict, & le louoient fort, diſans que joinctement entre eulx ſe debvoit traicter de la ditte matiere: les aultres ſur le premier poinct diſoient, que l'intention de la Ducheſſe n'avoit eſté de s'aſſembler es opinions, ſi non qu'en ſa preſence, chaſcun a part ſoy, ſelon qu'en bonne conſcience il jugerat appartenir: & quant a ce que touchoit le ſecond, qu'ilz ne ſçavoient rien qui fuſt du Gouvernement general, & que auſſy peu appartenoit a leur office (eſtans Gouverneurs particuliers) de le ſçavoir, & moins de ſe plaindre ou douloir d'jceluy. De maniére qu'eſtans les opinions de ces Chevaliers contraires, & ne pouvoient accorder les uns avecq les aultres, non obſtant la vive & grande inſtance que ſe faiſoit par aulcuns jours

au contraire, rien ne se conclud alors, ny s'acheva, ains venant au Conseil chascun d'eulx dict son advis & opinion selon sa conscience sur la proposition de la Duchesse, de quoy ne se fera jcy plus ample mention pour ne servir beaucoup a propos.

X. Et quant a ce que touche l'aultre poinct, combien que les choses estoient es termes qu'avons dict cy dessus, plusieurs des dits Chevaliers ne le goustoient, touttes fois les aultres continuans le chemin qu'ilz avoient encommencé, n'obmectoient de s'assembler souventes fois & consulter sur icelle matiere: en la quelle fust sy avant procedé, qu'apres plusieurs assemblées & consultations fust conceue & mise par escript une lettre au Roy, la quelle fust par diverses fois reformée & corrigée, & finallement conclue en ceste substance: „ SIRE nous sommes tres desplaisans que ne pou„ vons plus differer d'advertir votre Maj.té de ce que longue„ ment avons pour un mieulx dissimulé, afin de n'adjouster „ a la multitude de voz grandes occupations l'empechement „ de ceste notre remonstrance, mais l'evident desservice „ que sans nulle doubte notre taciturnité pourroit apporter „ a votre Maj.té, & l'apparante ruine de voz affaires de „ voz pays de pardeca, nous constraignent, apres longue „ dissimulation d'escrire cestes, & informer votre Maj.té li„ brement de la source de ce danger: & est SIRE, que „ quand tant d'hommes de pardeca bien principaulx vien„ nent a enforcer l'authorité qu'at le Cardinal de Gran„ velles es affaires de ces pays, ilz entendent clairement „ que la masse d'jceulx depend de luy: la quelle persua„ sion est sy avant enraicinée es cœurs de voz subjectz de „ pardeca, & de nous, dont ne voulons dissimuler envers „ votre Maj.té, qu'il ne fault esperer de la pouvoir jamais „ extirper durant sa presence, en quoy il plaira a votre „ Maj.té de considerer combien il importe a votre service „ de remedier a un mescontentement general. D'avantage „ voulons bien adviser a votre Maj.té que tant que le Car„ dinal aura le maniement des affaires de pardeca, jceulx „ n'auront le succés que votre Maj.té & nous desirons, „ pour estre sy odieux a tant de gens. Et partant sup„ plions a votre Maj.té nous vouloir donner foy comme a

„ ses

„ ses vassaulx telz qu'elle cognoit, & a ceste cause plusieurs
„ principaulx Seigneurs ayans charge de Gouvernement &
„ aultres en ces pays ont trouvé expedient & necessaire
„ vous faire entendre le contenu de ceste remonstrance, &
„ en cas que votre Majté n'y remedie par la voye sus ditte,
„ est apparente la ruine des ses pays de pardeca: & au
„ contraire sy votre Majté (comme ilz esperent) trouvera
„ plus convenir & raisonnable gratifier a tant de voz hum-
„ bles & tres affectionnez serviteurs pour le salut & tran-
„ quillité de son pays, que non les tous mescontenter pour
„ a un seul satisfaire, nous esperons que les affaires
„ s'achemineront de telle maniére avec le temps, que votre
„ Majté cognoistra le fruict de ce changement, & affection
„ que nous tous, son peuple & ses Etatz, avons a son ser-
„ vice, prosperité, & grandeur, mesme estans tous fort
„ contents & satisfaictz de Madame la Duchesse, la quelle
„ ne nous pouvons si non grandement louer. Et afin qu'il
„ ne semble que cecy se faict par notre ambition ou prouf-
„ fict particulier, supplions a votre Majté sy jcelle le trouve
„ convenir, nous deporter de l'Estat du dit Conseil, ne
„ nous semblant estre requis tant pour le service de votre
„ Majté que pour notre reputation, de demeurer plus long
„ temps au dit Conseil avecq la mauvaise satisfaction qu'a-
„ vons du Cardinal. Au demeurant, quant au faict de la
„ religion (chose pour le temps present de singuliére conse-
„ quence) votre Majté peult estre seure, que ferons tous-
„ jours les debvoirs de bons subjectz & des vassaulx Catho-
„ licques: & ne fust le bon zele que les Seigneurs princi-
„ paulx, la noblesse, & aultres gens de bien tiennent a la
„ religion, les affaires ne seroient en ces pays encor en
„ telle tranquillité & repos. Car sans faulte le commun
„ peuple est assez infecté, & n'y remedie en rien la vie
„ du Cardinal Grandvelles, ny son authorité. " Ceste lettre
fust donnée a Bruxelles le XI. de Mars 1562. & signée par
trois Chevaliers du Conseil d'Estat seulement, sans les aultres
de mesme opinion, afin qu'il ne semblast, qu'estans jceulx
Seigneurs Gouverneurs particuliers, ilz se voulussent entre-
mettre des affaires du Gouvernement general, les dits trois
Seigneurs estoient le *Prince d'Oranges*, & les *Comtes d'Egmont*

& *de Hornes* admiral, qui ja aulcuns jours auparavant estoit retourné d'Espaigne avecq commission de Conseillier d'Estat. Et doiz ce temps là la plus part des Seigneurs d'jcelle opinion se sont monstrez peu contens & satisfaicts des aultres qui n'avoyent voulu suyvre leur ditte opinion. Ces choses considerées & pensées par plusieurs personnages prudens & desireux de la paix & concorde publicque, ont craind & doubté d'aulcun grand inconvenient, allant ce negoce la mesme trace que les Troubles & dissentions de France avoient encommené.

Du Succes des Eveschez de Brabant & aultres.

CHAP. V.

XI. PEndant que les choses passoient en ceste maniere, ne cessoit le murmure du peuple, ains croissoit de jour en jour, principallement en Brabant pour cause de la Cour illecq residente, ou telz affaires se traictent ordinairement : & ne defailloient aulcuns de mauvais volunté, qui taschoient de mectre le peuple en troubles, afin de detourner & empecher le bon succes des nouveaulx Eveschez. Et comme pour l'Archevesché de Malines & pour les Eveschez d'Anvers & de Boisleducq estoient ordonnées les trois Abbayes principales, d'Affleghem, de St. Bernard, & de Tongerloon, se forma une requeste de la part des Prelatz de Brabant estans des Estatz, par la quelle fust remonstré que les dits Prelatz n'entendoient d'empescher ou en facon quelconcque contrevenir a la bonne intention de Sa Majte. & l'erection des dits Eveschez, mais que c'estoit contre leurs privileges jurez par Sa Majte. & semblablement contre l'intention des fondateurs des dits monasteres, de les donner en commende ausdits Eveschez : supplians partant que Sa Majte. y voulust remedier. Et ores que de la part de Sa Majte. leur fust repondu, que la ditte incorporation n'estoit en forme de commande, & qu'aussy n'estoit contraire a la bonne volunte de leurs fundateurs, ains concernoit la conservation de la sainte Foy Catholique,

que, & par consequent des mesmes monasteres & aultres lieux pieux, qui sans la grande diligence, soing & sollicitude de Sa ditte Maj.te estoient en danger de se perdre bien tost, comme se veoit par exemple es Royaulmes & Estatz circonvoisins, touttes-fois ne se pouvoit rien achever avecq eulx, ains continuerent en leur propos & demande, sy avant que l'on dict qu'ilz ayent despendu plus de 30000. florins en consultations de gens de lettres recherchez en Italie, Allemaigne & aultres lieux. Et combien que ce non obstant sembla peu a propos a ceulx du Conseil de Sa Maj.te tout ce qu'ilz alleguoient, fust faicte sy grande instance, que pour cause d'icelle Sa Maj.te a esté content de supplier Sa Sainctete, qu' icelle fust servye de remectre les dits monasteres en leur liberté, accoustumée a charge de payer huict mille florins de rente annuelle pour applicquer aus dits Archevesché & Eveschez. Et comme l'on pensoit que par ce moyen s'acheveroient touttes les aultres difficultez, il en est succedé tout au contraire. Car non obstant que les dits Prelatz avoint faict semblant d'estre tres contens de l'erection des Eveschez, selon que nous avons dict, se sont du depuis joinctz aux aultres membres de Brabant, supplians n'estre mis aulcum Evesché nouveau au dit pays, ou du moings n'en avoir qu' un seul en la Ville de Louvain.

XII. Est aussy ascavoir, qu'estant venu a la cognoissance de ceulx d'Anvers, que se debvoit mectre un siege Episcopal en leur Ville, se monstrerent fort mal contens & greuez, donnans a entendre que toutte la traicte & negotiation viendroit a faillir par ce moyen. Et de faict envoyans leurs procureurs & deputez a Sa Maj.te en Espaigne, apres longue poursuicte, a esté parcticqué, que leur fust octroyé, que le dit Evesché ne seroit mis en leur Ville, jusques a tant que Sa Maj.te viendroit pardeca. Et soit que les aultres provinces ayent prins leur exemples de ceulx de Brabant, ou qu'il l'ayent faict de leur propre mouvement, il est veritable, que comme ceulx de Brabant ont esmeu touttes ces difficultez, semblablement a esté faict par les aultres, partie pour s'estre monstrez fort difficiles a receppvoir leurs Evesques, & partie pour les avoir absolutement

refusez, sans donner audience a tout ce que leur a esté proposé & mis enavant de la part de Sa Maj.te & ainsy pour le jourduy sont demeurez sans Evesques ceulx d'Anvers, Ruremonde, Deventer, Groeninghe, & Leewarde: & ceulx de Malines & de Boisleducq sont sy peu respectez & de sy petite authorité, comme sy ce ne fust rien. Et est la commune opinion que tout cecy a prins son commencement de la ditte partialité, sans la quelle personne quelconcque n'oseroit monstrer telle hardiesse comme l'on veoid. Aulcuns se plaindent non tant des Evechez establiz, comme des personnes des Evesques qui leur ont esté donnez, principalement ceulx d'Utrecht & de Harlem.

Des plainctes & Doleances d'aulcuns Chevaliers, & aultres choses qu'en ce temps succederent.

CAHP. VI.

XIII. PAssant les choses en ces termes, le mescontentement que ces Chevaliers monstroient du Cardinal alloit journellement accroissant publicquement a la veue de tout le monde: & comme la Duchesse en ce temps sembloit donner grande part au dit Cardinal de tous les negoces qui passoient, & signamment des Finances, semblablement de la consulte des Benefices & Offices, ou que ordinairement entrevenoient le dit Cardinal, le Seigneur *De Barlaymont* & le president, sans participation du *Prince d'Oranges*, des *Comtes d'Egmont* & admiral, s'en faschoient bien fort, disans n'estre l'intention de Sa Maj.te que tout le Gouvernement fust en mains d'un seul estranger comme du dit Cardinal naturel de Bourgoigne, avecq assistence de deulx aultres, & exclusion d'eulx, mais qu'au contraire suyvant droict & raison, mesmement les anciennes coustumes du pays usitées d'anchienneté, & devant que les Consaulx fussent ordonnéz, le gouvernement des Estatz, Finances & surintendence de la justice debvoit appartenir aux Seigneurs & Chevaliers principaulx du pays esgallement, comme se peult monstrer par les exemples & documents anciens, esquelz les depesches & provi-

provisions publicques se trouvent signées non seulement de la main du Prince souverain, mais aussy des Chevaliers & Vassaulx du pays principaulx.

XIV. Avecq telles & semblables raisons se semoient plusieurs querelles par touttes partz, & se commencoient a soliciter les Gentils hommes & aultres de qualite, & aussy les amis du dit Cardinal, pour estre de la partie des dits trois Seigneurs, & aultres de mesme partie: des quelz plusieurs se presenterent incontinent, & leur monstrerent faveur pour estre leurs serviteurs & amys anciens; les aultres pour estre persuadez qu' ainsy convenoit au service de Dieu & de Sa Maj.te & de la republicque, & aultres pour leur prouffict & liberté, pour vivre a leur goust & volunte, ne defaillant a ce la commune voix du peuple, qui desia avoit opinion que le Cardinal estoit homme ambitieux, avare, & convoiteux de ses plaisirs, tachant a se faire grand, & a mectre les dits pays en servitude des Espaignols, & aussy d'establier en iceulx l'inquisition d'Espaigne par le moyen de ces nouveaux Eveschéz: & quoy que l'on faisoit au contraire, remonstrant les bonnes qualitez du dit Cardinal de personnage docte, eloquent, & de beaucoup de langues, affable & experimenté es choses publicques, amateur extreme du service de Dieu & de Sa Maj.te & du bien & liberté du peuple, sans avoir jamais pensé aux choses susdittes dont on le chargoit, touttes fois rien ne prouffictoit pour effacer & oster du peuple celle opinion.

XV. Que plus est, estant a diverses fois declairé tant en particulier qu' en general par charge de la Duchesse & du Roy mesme, la vraye intention de Sa Maj.te, qu' elle ne desiroit aultre chose, & ne tendoit a aultre but, que de par l'erection de ces nouveaux Eveschez donner ordre aux ecclesiasticques qu'ilz satisfeissent a leur office, sans toucher a l'inquisition, ou changer aulcune chose en l'administration publicque, ne se pouvoit avecq tout cela achever vers le peuple de le croire, & moins avecq les Seigneurs & Chevaliers mesmes, selon se semblant qu'ilz demonstroient: ce que donna occasion a penser plus avant en ceste matiere, & comme il sembloit a aulcuns, que le Cardinal se debvroit bien un petit accommoder avecq les trois Seigneurs susdits, &

III. Philippus pace potitus, tranquilliórem tunc temporis, ac securiorem apud Belgas statum habuit: variis tamen incommodis, & diuturno, & gravi bello adeò laborantem, ut non parum pluribus rebus componendis præsentia ejus requiri videretur. Sed aut quod speraret id per Proregem fieri posse, aut quod flagitarent profectionem suam in Hispaniam, ibi * etiam natæ hæreses, maximo cum periculo in vigilantiâ *Isabellæ*, *Joannis* Portugaliæ Principis viduæ, quæ nomine fratris Hispaniæ præerat severitateque Inquisitorum (quorum ibi maxima est authoritas) extinctæ fuissent, statim post confectam pacem, ad reditum in Hispaniam animum vertit: ex Italiâ accersens sororem *Margaretam* naturalem, Duci Parmæ, ac Placentiæ nuptam mulierem, variis dotibus insignem, quam toti Belgio præesse voluit, constituens apud eam insignes aliquot viros, status Consiliariorum titulo, quibuscum de summis omnium consilium caperet.

* *Legendum videtur*: ubi.

IV. Erant hi *Guillelmus Nassauvius*, *Princeps Auriacus*, Consiliis valde aptus, *Lamoralius Comes Egmontanus* rei militaris vir

vir peritus, & ſtrenuus, ambo genere, & opibus inter alios longè primi, *Antonius Perrenotus* tunc Epiſcopus Atrebatenſis, poſtea Cardinalis *Granvellanus*, rerum experientiâ clarus. *Egidius* † tunc Dominus, poſtea Comes *Barlemontanus*, & ipſe rerum uſu non parum pollens; *Viglius Zuichemus* Præſes Conſilii Privati, rerum uſu, & naturâ vir prudens, & inſignis Juris conſultus. Addidit & poſtea *Philippum Ducem Arſchotanum*, primis illis, genere, & opibus haud imparem: *Comes* etiam *Hornenſis*, qui turmæ cuſtodiæ corporis ex Burgundionibus confectæ, Præfectus, in Hiſpaniam unà cum Rege ierat, inde reverſus poſt aliquod tempus, & id munus ſubiit. Singulas præterea Provincias, partim *Auriaco* & *Egmontano*, partim aliis Proceribus gubernandas tradidit, datâ *Auriaco* Præfecturâ Hollandiæ, Zelandiæ, Ditioniſque Ultrajectenſis; *Egmontano* Flandria, & Arthefia creditæ; Friſia *Carolo Comiti Arembergo*, Geldria *Comiti Carolo de Meghen*, & *Marchioni de Berghes* Hannonia. Cùmque eſſent multi, qui egregiè de ipſo meruerant, nonnullos aurei Velleris titulo, aliiſque honoribus, decoravit; multis regia liberalitate, magna munera elargitus eſt: ita fore ſperans, ut omnia ſecurius ſe abſente agerentur. Vehementer etiam expetebat in omnem eventum bellicum, binas Belgis veteranorum Hiſpanorum militum legiones præſidio relinquere: utque magis hoc omnibus acceptum foret, uni earum *Auriacum* præficiebat, Legatumquè (vulgo, locum tenentem) ei dabat *Julianum Romerum* virum ſtrenuum, militiæque peritiſſimum: alteri *Egmontanum*, ejuſque Legatum *Joannem à Mendoça*, & hunc virtute militari, nec non genere inſignem virum. Sed nec ſic præſidia Hiſpannorum, Ordines Provinciarum admiſére, conſtanter allegantes, non debere citra neceſſitatem extero milite Provincias onerari, quod cum animadverteret, tandem in diſceſſum Legionum conſentiens, in eo etiam Ordinibus morem geſſit. Itaque relicto penes Belgas Belli Paciſque integro ſtatu, ex Zelandiâ ſolvens vigeſima Auguſti Anno mileſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, octavo poſtea die fæliciter Hiſpaniam appulit.

Diſcedit Rex traditis in manus Belgarum, provinciis.

V.

† Male. Nomen ei *Carolus*. Porro *Ægidius*, hujus filius primogenitus, Hiergii Dominus.

1559. V. *Margareta* poſt diſceſſum Fratris, Bruxellam, ubi ſedes regia haberi conſueta, venit, atque omni, quâ potuit curâ ad functionem ſui muneris animum vertit; quod primis temporibus ſatis fælicem ſuceſſum habuit. Sed non ita diu poſtea ob vitiatos tunc per Hæreſim plurimorum animos, res binis prætextibus ad inquietem trahi cœpta. Decreverat Rex chriſtianâ mente plures Epiſcopatus conſtituere, utque haberent, quod ad ſumptus ſufficeret, ſingulas illis Abbatias annectere; quod unum incredibile dictu, quantum omnium animos offendit: hinc enim aptam nacti occaſionem avitæ Religionis oblIti homines, Religioſum Regis inſtitutum Hiſpanicæ Inquiſitioni attribuentes, non parvum Regi odium apud multos conflarunt, populique undequaque animos ad deſideria novarum rerum facile erexêre.

Novitas, etiam Chriſtiana, parit incommodum & malum producit effectum.

VI. Orta eſt etiam maxima ſimultas, & odium inter *Egmontanum*, *Auriacum*, alioſque Proceres, & *Granvellanum*, quod ferunt aliqui ex rerum publicarum adminiſtratione, quam præ aliis hic ſibi vendicabat, emanaſſe. Alii ſentiunt, ſtudio excitatum ab illis, qui ea, quæ poſtea viſa, & conſecuta ſunt animo conceperant, eo conſilio, ut cogeretur Rex *Granvellanum* amovere: ſciebant enim eo preſente nihil intentari poſſe, quod vigilantia, ac prudentia ejus in nihilum non redigeretur, quorum duorum utrum verius, aliis diſcutiendum relinquo. Hoc tamen certum eſt, odii fructum *Granvellani* ejectionem extitiſſe, quæ tanta arte obtenta eſt, ut non immeritò ampliorem mereatur declarationem, ſed cùm ſit tantum noſtri inſtituti, paucis præterita attingendo, ad præſentem Reipublicæ ſtatum animum calamumque dirigere, hoc uno materiam hanc abſolvam: tandem Regem eò ſpe quietis, ac neceſſitate adductum, ut Granvellanum mandaverit
1564. Belgio excedere. Paruit ille, diſceſſitque anno ſexageſimo quarto menſe Martio.

Concedit Rex quod injuſte exactum, ei damno fuit, & contrarium habuit effectum.

VII. Sed nihil hoc Belgarum imminenti infortunio profuit; accidit enim, uti ſolet iis, qui ad aliquod facinus accenſi proſperis quibuſcumque majori incenduntur audacia, unde maxima *Philippi* bonitas, qua cadenti rerum ſtatui ſubveniri poſſe ſperaverat, ad celeriorem inſaniam omnia provexit: exinde enim liberius, & apertius omnia agi cœpta apud Nobiles, apud populum, donec tandem ſexta Apri-

Initium rebellionum.

Aprilis Anno millesimo, quingentesimo sexagesimo sexto, magnus eorum numerus, Ducibus Domino *de Brederode*, Comitibus *Ludovico de Nassau*, Auriaci fratre, *Montenti*, & *Culembergensi*, Gubernatrici Bruxellæ supplicem Libellum multa indigna deprecantes obtulere. Horum catervæ sequenti mense Augusto, miro furore Antwerpiæ primùm, postea passim aliis in locis, fœdissimam perpetrarunt Iconomachiam. Quantam in hisce omnibus partem habuerint *Auriacus*, *Egmontanus* ejusque factionis alii proceres, erat tam artificiosa, qua tunc temporis utebantur dissimulatio, ut difficile esset indicatu. Cæterùm pro certo habetur, plures liberiorem in posterum vivendi rationem appetiisse: quidquid ulterius de mutando Reipublicæ statu animo fuit conceptum, illud in *Auriacum* rejicitur. Cùm *Egmontanum*, *Hornensemque* expectatus *Albani* adventus de eo satis videatur excusare, idque veri opinionem obtineat, eo, quod *Egmontanus* tunc cum Villembrucquium * à Gubernatrice foret missus, ut *Auriacum* ad quietem revocaret, Bruxellamque venire persuaderet, id seriò frustra tentaverit: imò *Auriacum*, quibus poterat modis *Egmontanum* ad arma capessenda adducere voluisse, *Egmontanum* verò hoc constanter negasse. Nec dubitatur, si hic ad sumenda arma paratum sese præbuisset, quin *Auriacus*, propositum exeundi Belgio (quod sibi malè metuens astutè susceperat) deponendo, ad arcendum a finibus *Albanum* libenter animum vertisset; sed cùm nollet *Egmontanus*, Dillemburghum ad fratrem se conferre perrexit. 1566.

VIII. *Philippus* audita tam fœda rerum subversione, Catholico nomine indignum ratus, tantam Religionis ignominiam negligere, continuo animum ad arma vertit, electo ad eam expeditionem Duce *Albano*; is ex Hispaniâ solvens cum triginta triremibus Italiam appulit; ibique accepto exercitu novem millium Hispannorum peditum, equitum levis armaturæ mille ducentorum, superato *Mocenigo* monte † quem vulgò vocant per Allobrogos, Sequanos, Lotharingiam, Luxemburgum, tandem decimà septima Augusti, Anno millesimo quingentisimo sexagesimo septimo Bruxellam pervenit, ubi unâ legione se muniens, cæteras legiones, equitumque turmas Gandavi, aliisque opportunis in locis disposuit, tradiditque Comiti *Alberico a Lodron*, quem adduxerat, cum una Germanorum legione Ant- 1567.

* Willebroeck, *pagus Brabantiæ, ubi fossa Bruxellensis in Rupelam Scbaldimque influit.*

† Mont-Cenis. *Est hodiernum nomen transitûs Alpium inter Sabaudiam & Pedemontium.*

Antwerpiam custodiendam, educto *Carolo Comite de Mansfelt*, qui ibi cum una Walonorum legione præsidii causa egerat.

IX. Fama ejus adventus jam dudum omnium animos, prout sibi quisque erat conscius, affecerat, ita, ut plurimi patria relicta, alio transmigrarent. Inter quos *Auriacus* frater *Ludovicus*, Comites *Montensis*, *Culembergensis*, *Hooghstratensis*, Dominus *de Brederode*, ex Nobilibus infiniti, & maxima populi turma. Sunt qui asserere velint, res jam tunc *Margaretæ* curâ & operâ, ad meliorem aliquem statum (ut videbatur) reductas, omnio instaurari potuisse, si leni, ac mansuetâ, uti inceperat, viâ progressum fuisset; sed cum de futuris nihil certi mortales sibi promittere ac statuere possint, ab aliis rejicitur: rectius judicantes forsitan illi, qui aliquâ quiete admissâ, metu, non delicti pœnitentiâ, tunc in aliud tempus malevolos institutum distulisse existimant.

X. Margareta interim de mente fratris certior facta indignum existimans, socium in imperium admittere, eo se abdicari à fratre per Legatum enixe petiit: *Albanus* verò nihil, quod sui oneris esset omittens, principiò omnia dissimulanter agere, Proceres, quos præsentes habebat, variis modis confirmare, absentes allicere, tandem ad Consilium convocatis omnibus tunc temporis Bruxellæ existentibus, quos detineri volebat, dum exirent, Comites *Egmontanum*, & *Hornensem*, eodemque tempore alios minoris farinæ viros, conscios rerum præteritarum, ibi atque alibi comprehendi jussit, atque exinde apertè passim sumere supplicium de iis, qui Regem offenderant, severius aliquantulum, quàm decebat animum obfirmavit; tribunali in eum solummodo finem erecto, cui præesse voluit *Franciscum a Vargas*, quem secum ex Hispaniâ duxerat. *Margareta* non diu moram traxit, quin veniam discedendi a fratre impetraret: itaque statim in Italiam profecta est, Imperio totius Belgii penes *Albanum* relicto, cujus detecta mens instar ignis, quo pullulans aliquod malum reprimi solet, ingenia Belgarum ad res novas liberius, quàm decebat aspirantia, ad debitam obedientiam redegit.

Severitas Ducis Albæ.

XI. Extruxit & Antwerpiæ arcem eo consilio, ut maximo orbis Emporio omnino conservato, cætera omnia in posterum securiora manerent, quamvis in eo multi judicent erratum, magisque tunc convenisse iis sumptibus limites Regionum, quam locum

Reductæ res Belgicæ ad debitam obedien-

locum mediterraneum, communire. Erat moles, ante omnes alias ejus naturæ, insignis, tantaque curâ ad perfectionem ducta, ut ex parte ad gloriam, & ostentationem ædificatam complures existiment. *tiam. Fundatio arcis Antverpianæ.*

XII. *Auriacus* paulo post discessum ex Belgio, filiam teneræ ætatis, quæ in curiâ apud *Margaretam* amicitiæ causa agebat, ad se ante adventum *Albani* transferri curarat: Verùm filium *Philippum*, tredecim annorum, Lovanii studiorum causa commorantem ibi reliquerat, quem cùm *Albanus* præsentem invenisset, in Hispaniam postea per mare captivum misit. Hactenus, quantum ad rem bellicam nihil post acceptum totius Belgii imperium ab *Albano* gestum, armorumque principium fuit, mittere *Carolo nono* Francorum Regi, qui tunc contra Hugonottos (quod est ibi hæreticorum vulgare epitheton) bellum gerebat, auxilio aliquot equitum turmas, Ductore Comite *Arembergo*, viro forti, ac scientiæ militaris perito. Profectus est ille in Galliam decimâ Novembris anni millesimi quingentesimi sexagesimi septimi, unde, & paucos post menses, reversus est cum copiis, cùm jam *Carolus* cum Hugonotis pace initâ, illarum auxilis amplius non indigeret. *Præstitisset limites regionis munire. Albanus mittit auxilia in Franciam a. 1567.* 1567.

XIII. *Auriacus* etiamsi Dillemburgum familiæ suæ ultra Rhenum antiquam sedem se contulisset, nihil minus tamen, quàm quietem in animo habens, quàm primum armis agere cœpit. Id primùm ad Mosam Trajectum ulterius versus, quod Mastrichtum vulgo vocant, tentatum est, collectis aliquot copiis Duce Domino *a Ubaroux* *, quæ tamen paucos post dies, prope Dalense oppidulum, per *Sancium Davila* Hispanum, virum fortem, eò ab *Albano* celeriter missum, profligatæ sunt. Nec diu post *Ludovicus* frater, ad fines etiam Frisiæ paucis primùm, non contemnendis postea copiis progredi cœpit, ita ut coactus fuerit *Albanus* eò mittere Legionem Sardiniæ, ex Hispanis præfecto *Gonzalo de Bracamonte*. Præerat Frisiæ tunc temporis *Comes Arembergensis*, qui cum Hispanis aliis militibus, qui eâ quoque in Provinciâ agebant, cum hoste congressus infeliciter, fortiter tamen pugnans, amisso fere toto exercitu occubuit. Cecidit eo in conflictu *Adolphus* *Initium belli.*

* Quis ille? *Strada* scribit, ducem harum copiarum fuisse Comitem *Hochstratanum*. Vide Dec. 1. lib. 7. pag. (*mihi*) 381.

phus, *Ludovici frater*. Accidit hæc clades vigesima quartâ die
1568. mensis Maji, sexagesimi octavi. Undè res regiæ eâ in parte summum in discrimen dilapsæ, ulteriorem jacturam facile accepissent, si victor eâ celeritate, quâ potuit, progressus fuisset. Cæterùm dum hæc ibi, eodem ferè tempore *Auriacus* prope Rhenum exercitum colligebat, eo consilio, ut dum *Ludovicus* in Frisiâ Res Regias lacesseret, ipse Brabantiam invaderet: sed difficultatibus, quæ variæ & multæ bellis intervenire solent, impeditus, tardius quam proposuerat, expeditioni incubuit.

XIV. *Albanus* simul atque de Rebellium mente certior est factus, & ipse ad bellum sese paravit, ac propter eorum magnam temeritatem magis irâ, quàm metu commotus, ut severo exemplo omnium animos ab inobedientiâ in posterum averteret, nihilque abiens in ipso belli procinctu domi relinqueret, unde detrimentum aliquod recipi posset, de pluribus captivis supplicio sumpto, tandem *Comites Egmontanum* & *Hornensem* ex Gandavi arce, ubi uti securè asservarentur, illos includi jusserat, Bruxellam reductos palam in foro quinta Junii anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, summo omnium mœrore capite truncari jussit, ac paucos post dies Phrisiam versus cum exercitu profectus est, atque ibi adveniens, prope Pagum Jemmeny * vigesimâ primâ die mensis Julii, *Ludovicum*, quamvis munitissimo in loco cum suis consisteret, mirâ fælicitate fudit, cæsis plus septem millibus, captisque aliquot tormentis bellicis, ex suis paucis amissis, inter quos fuit *Gabrielus Mauricus* Hispanus illustris.

XV. Videbatur tunc *Auriacum* maxima clade motum iri, ut ab instituto desisteret: ille tamen haudquaquam animum despondens (quamvis tam sinistro casu non mediocrem esset jacturam passus) animosè voluit, quæ jam animo conceperat, perficere, exercituque conscripto novem millium Germannorum equitum, peditumque millium sexdecim, tormentis aliquot bellicis adductis, non longe à Trajecto superiori, sub finem Octobris, tardius, quam debebat, castra posuit: plu-

* *Geminga* pagus. *Strada dec.* 1. *lib.* 7. *Jemmingen*, & *Geminghe*. *Borrius lib.* 4. *fol.* 174. *v°.* & 175. *recto*. *Jemminga*. *Winsemius hist. lib.* 2. *p.* 109. *edit. in fol.*

plurimos magnâ admiratione afficiens, quòd cùm esset Vasallus, cuique alendo militi nullæ omnino opes, Exul præterea, earumque facultatum, quas non ex patrimonio, sed merâ liberalitate, ac benevolentiâ *Caroli Quinti* Cæsaris, per substitutionem *Philiberti* Principi Auriaco consanguineo, in castris S^{ti} *Desiderii* vulgo S^t. *Desier* * in Galliâ, peculiari favore, ac gratiâ concessam, adeptus erat, omnino carens, potuerit tamen tantas copias, Regia potentia non indignas, adducere. Certum enim est, & tunc non habuisse, quo militi stipendium solveret, nisi Aquisgranenses, vano, aut forsitan spontaneo metu inducti, viginti millia Tallerorum redemptionis titulo illi dedissent: fecére idem Abbates, aliique viri Ecclesiastici, qui in illis confiniis habitant, qua pecunia in solutionem exercitus consumptâ, tandem sexta Novembris non longè a Stokensi, Leodiensis Ditionis oppidulo, per Mosæ vadum copias trajecit, non ultra expectato *Jenlio* †, qui cum aliquot copiis Gallorum, dum tardius adest, non antequam cum jam de reditu cogitaret, prope Tilmontium, *Auriacum* attingere potuit.

XVI. *Albanus* diu ante Mastrichtum venerat. Rediens enim ex Frisiâ, cùm Trajecto inferiori consedisset, de constanti *Auriaci* deliberatione certus, nullâ interposita morâ properavit, ac tum, cùm sciret eum adventare, in opportuno, & commodo loco castra metatus est, eo consilio, ut hostem expectaret: cùm enim tunc temporis Mosa fluvius erat tam vadosus, ut variis in locis pedibus transiri posset, ægre poterat hosti impediri transitus, constituit eo in loco consistere, ut festinanter hosti, dummodo transire audiret (quod tamen non credebat) obviam iret. Id factum magna militari scientia per multos dies *Auriacum* interius properantem a quolibet fælici successu avertit, cunctandoque eo rem deduxit, ut tandem coactus fuerit longis itineribus (creverat pluviis continuis Mosa, ita ut vado transiri non posset) per Campaniam, aliasque Galliæ Provincias, nec non Lotharingiam in Ger-

* *Saint Dizier*, nomen proprium oppiduli in Campania, ad fluvium Matronam (*Marne*).

† *Jenlio*] Indicatum vult *Franciscum Hangestum*, *Jenlisii* Dominum, factionis Condæanæ tribunum. *Strada dec.* 1. *lib.* 7.

Germaniam reditum querere, & ſpe plane deluſus, qua præcipue fertur Moſam trajeciſſe. Perſuaſum enim ſibi habebat, ſimul atque exercitus ſui vexilla conſpicerentur, plurimos paſſim partes ſuas ſecutos expeditionem ſuam adjuturos, *Albanoque* maximum incommodum illaturos. Nihilominus, quamvis non dubitatur, quin in Belgio multi eſſent, qui *Auriaco* occultè faverent, nemo tamen auſus fuit mentem factis manifeſtare. Sola Dieſta *, Opidum Auriaci, imprudenter nimium, cùm nullo modo eſſet munita, viſo Domini exercitu, favorabiliter illum proſecuta eſt; Levia & *Auriaci* † opidum commeatu illum juvit, quam ob rem illa poſtea per totos ſeptem menſes Sardiniæ legionem pœnæ nomine aluit. Ex hac vero e veſtigio ex Magiſtratu unus ad aliorum exemplum, juſſu *Albani* extremo ſupplicio affectus eſt, infæliciter nimium caſu, dum enim rogatu multorum a mulctatione totius Magiſtratus animum avertiſſet, contentus, ut unus ex Magiſtratu omnium culpis ſatisfaceret, ſortem jecére, unuſque omnium infæliciter ad ſupplicium ductus eſt. *Albanus* in eâ expeditione prope Lyſmale egregie hoſtem fudit, cæſis plus mille quingentis, atque ita ſaucio *Antonio Comite Hoocbſtratenſi*, ut paucos poſt dies vitâ exceſſerit: & ut plurimorum eſt opinio, potuiſſet aliquando certâ ſpe potiundæ victoriæ cum hoſte confligere, ſed cùm tantummodo eſſet ſui oneris, provincias ſibi creditas conſervare, dummodo id obtineret, noluit aliter rem incerto prælio objicere, damnum ſiniſtri ſucceſſus, quam gloriam ſuperati hoſtis, pluris faciens. Itaque arte fugato Auriaco ſub finem Decembris ingenti frigore Bruxellam victor rediit.

Albanus conſervatis provinciis, noluit prœli periculum facere.

XVII. Erant tunc per totum Belgium attenti, arrectique omnium animi, expectantes, quâ formâ deinceps in adminiſtratione rerum publicarum uteretur, inde judicantes dependere ſalutem vel ruinam Patriæ, cùm, ſi præteritis, iiſque magnis ſuppliciis contentus, clementiam amplexus eſſet, in poſte-

Debellato Auriaco, & reductis ad obedientiam provinciis, caſtigatiſque reis, oportuerat majore uti clementia.

* *Dieſta*] *Dieſthemium*, Belgis *Dieſt*, oppidum Brabantiæ ad Demeram fluvium.

† *Levia & Auriaci*] legendum: *etiam*. Porro *Leeuwa*, Belgis *Soutleeuwe*, eſt alìud oppidulum Brabantiæ, adjacens Getæ fluvio, duobus infra Thenas milliaribus.

posterum omnia conservari posse viderentur. Econtra vero, si nihil de severitate remitteret, certum esset, populos paulatim ad implacabile odium, ac vicissim ad vindictam inductum iri: Unde non immerito multis placet, maximam * tunc occasionem parum prudenter neglexisse, quâ Belgas tam brevi tempore ad debitum officium mirâ fælicitate reductos, in eo prorsus in perpetuum confirmare, ac conservare potuisset, dummodo non oblitus instabilitatis hujus sæculi, prosperos, quos Deus ei dederat successus, moderatione, ac modestiâ, quâ decebat gustasset: idque præ oculis habuisset Dominium exterorum cum omnibus semper fuerit odiosum, dum Belgis debuisse maximè esse, ob pœnas, quæ quamvis non immerito illatæ, solent tamen alterare, ac avertere populorum animos, quâ de causa propensiore debuisset esse animo ad benevolentiam ac lenitatem, quanta, & difficultate sola vi ditiones tales, ac tantæ, in officio contineri poterant, facilè erat judicatu, cum longa rerum experientia satis doceat, ad securum Reipublicæ statum nihil magis requiri, quam, ut omnia justè, rectè, ac moderatè agantur, sitque Princeps tamquam Pater, qui contra Filium flagello utitur, ut a vitiis abstineat, in reliquo autem eum amore; & benevolentia prosequitur; &, cùm Comicus ait: *pro peccato magno paulum supplicii satis est Patri.* Sed quod hoc aut ingenium *Albani* non ferret, aut revera ille taliter expedire sentiret, nihil de regiminis cursu mutavit; perseveratum est in incœpto, unde severitas nimia facile opinionem, nomenque tyrannidis adepta, Tribunali novo, *turbulenti* titulum imposuit.

* *Supple*: eum. *vel*: Albanum.

XVIII. Omnia ibi multo rigore contra nocentes, contraque alios, qui aut census, aut actiones a proscriptis, illorumque bonis repetebant, nimium morosè, ac lentè, atque (ut alii volunt) iniquè acta. Milites, & in præcipuis oppidis hisce rebus haud assuetis, presidii prætextu, ut plecterentur Cives, impositi, licenter, ac insolenter admodum se habuere: nec non *Albanus* tantâ vanitate ob fœlices successus elatus est, ut sibi ipsi, quod nullus forsan unquam antea, statuam ex ære, variis figuris, atque enigmatibus, crimen Belgarum exprimentibus, conflatam, ad perpetuam rei memoriam, publicè in medio Arcis Antverpiensis erexerit.

Imponit Vectigal x. denarii, unde populus graviter commovetur.

1570.

Negligit communire loca opportuna ad conservand a viribus provincias.

XIX. Postremò Vectigal novum decimi nummi, primum arte, postea vi, quamvis aliquâ specie consensus ad id ab aliquibus ordinibus præstiti, imponere voluit. Quæ omnia tantum illi apud omnes, odium conflarunt, ut neglectâ veniâ, quam Rex, omnibus aliquo modo culpandis elargiebatur, & quam *Albanus* ipse publicè magnâ pompâ Antverpiæ in foro vigesimâ sextâ die mensis Julii anno septuagesimo promulgabat, vix quisque extiterit, qui gubernationem Hispanicam omnino non abhorreret. Neglectum etiam fuit maximè ex parte *Albani* in illis locis muniendis, ac custodiendis, quæ cum omnia armis conservare constituisset, essent necessaria. Atque hoc in primis mirum, quod tantus Dux, cum Vlissingæ, quæ est in extremâ orâ Valeriæ, † præcipuè Zelandiæ oppidum quia maximi erat momenti, arcem extruere cœpisset, illam imperfectam reliquerit, quòd etiam arcem Groeningæ incœptam non perfici curaverit, quòd duas præterea Hispanorum cohortes, quæ Brilæ (quæ est Vornæ ‡ Hollandiæ insulæ oppidum ad ostium Mosæ situm) in præsidio erant, Trajectum inferius, citra omnem necessitatem transferri consenserit. Denique, quod aliquibus usque fide, & veritate integris viris, Hispanis etiam, qui diu antea, quam novi motus acciderent, illum de omnibus, quæ *Auriacus* ejusque sequaces molirentur, sæpius certiorem reddiderant, fidem non adhibuerit, cum alioquin facile potuisset immensas calamitates, quæ postea consecutæ sunt, evitare. Non enim dubitatur, quin conservatis locis maritimis, & portibus, quidquid in mediterraneis locis fuisset intentatum, illis remedium adhiberi potuisset, dummodo maris Dominium retineretur; sine quo satis animadversum postea, quàm difficile sit cæteras Belgii Provincias (quas mare non alluit, omnino tamen lucro deditas, quo deficiente maris commercio privantur) in officio contineri.

quæ sine dominio maris servari non possunt.

XX. Stetit nihilominus Albano per aliquod tempus suppliciis, armisque instaurata obedientia; Dumque hic apud Belgas status, quietaque omnia; venit ductoribus Episcopo Monasteriensi, nec non ordinis Divi *Joannis* per Germaniam magistro, Noviomagum, quod est Ducatus Geldriæ ad Vasalis

† Valeriæ, id est, Walachriæ. (*Walcheren*) ‡ Voorne.

ſalis ripam ſita civitas, Anna Maximiliani ſecundi Imperatoris major natu filia, in Hiſpaniam navigatura, ut Philippo nuberet, unaque Albertus, & Wenceſlaus fratres, quos ſecum in Hiſpaniam ducebat. *Albanus* eam ibi magno nobilium comitatu, Regiiſque ſumptibus excepit, ac per aliquot dies equeſtribus, pedeſtribusque, egregio ordine, multoque ſplendore confectis ludis, laborem præteriti itineris ſublevavit, ac paulo poſt reverſis in Germaniam ductoribus, Berghas uſque comitatus eſt, ubi maneret donec claſſis tota componeretur, atque idonei ad navigandum venti flarent, in quo cùm videretur aliquod tempus conſumptum iri, Antverpiam * etiam reficiendi animi gratiâ, duxit. Tandem Berghas reverſa, ac inde Vliſſigham navigio vecta, ibique navi regiæ, eximiè ornatæ impoſita *Ductore Ferdinando*, *Albani* filio ordinis Divi *Joannis* per Hiſpaniam magno Priore, claſſem verò, militemque ei impoſitum gubernante *Maximiliano Comite à Boſſu*, octidui ſpatio in portu S^ti^ Andreæ * vulgò dicto fœliciter Hiſpaniam attigit. * *Eam*, *aut*: Illam, *legendum videtur*.

Anna Regina navem conſcendit in Hiſpaniam.

XXI. Fertur Albanus haud ignarus odii, quo plerique in eum flagrabant, petiiſſe à Rege ante adventum ſponte † imperio Belgico abdicari, dummodo in ipſius locum ſuccederet *Fredericus* filius, & ipſe *Annam* in Hiſpaniam duceret: Regem autem in eâ conducendâ aſſenſiſſe, dummodo ſubrogaretur in imperium *Ferdinandus* filius ‡ Prior ſupra nominatus, habebatur enim, & erat ille ingenio magis Flandris accommodato, totoque regiminis paterni tempore ita ſeſe geſſerat, ut omnibus eſſet ſummopere gratus, videbaturque Rempublicam per eum rectè, & bene adminiſtrari poſſe. Sed *Albanus* volens omnino *Fredericum*, qui jam pridem ob cauſas privatas Regis gratia exciderat, proprio continuo labore ejuſdem gratiæ reſtitui, noluit eâ conditione proficiſci, maluitque manere implicitus laboribus, ut id, quod nondum ſaltem *Frederico* aliquando impetraret, non tam prudenti, quam ex paterno affectu, profecto conſilio. Erat enim eò uſque, *Albano* ob rem optimè geſtam ſummâ apud Regem, & bonos æſtimatio, & gloria, ut ſi hâc opinione acquiſita removeri ab imperio ſe Regis voluntati ſiviſſet, rebuſque, quam-

* *San Andero.* † *Puto legendum*: Sponſæ. ‡ Nothus.

quamvis tunc temporis quietis, non tamen tam ſecuris, quin poſſent aliquando turbari, procul dubio nihil *Albano* ob paccatum Belgium, nec in vita, nec poſt obitum clarius umquam: quod neglexiſſe, nec immerito multi mirati ſunt. Conſtat enim in rerum naturâ nihil eſſe tam firmum ac ſtabile, quod tractu temporis non concidat, muteturque: quam ob rem & hoc rationi conſonum judicatur, conſulere famæ, quando honeſte licet, potius, quàm ſponte inhærendo immenſis fortunæ illecebris, tandem eò evadere, ut agat ea, quæ ſolet; ac res alioquin mortales novis, ac ſiniſtris ſucceſſibus prorſus obliteret, uti multis, iiſque viris maximis ſæpenumero accidit. Fuere etiam, qui cum de Matrimonio *Annæ* cum *Philippo* ageretur, judicarunt utiliſſimum Reipublicæ, ſi Rex ad ducendam uxorem in Belgium veniret, atque ibi per aliquod tempus maneret, cùm certum eſſet proprii Principis tam moderati, & boni præſentia, quidquid odii in Hiſpanos Proregis vigor ſeveritaſque conflaverat, facilè aboleri potuiſſe, atque ita denuo componi Reſpublica, ut in poſterum etiam abſente Rege in officio, ſummaque proſperitate manſura fuerit. Sed etiamſi hoc ita eſſet, cùm tamen effectum non fuerit, veriſimile eſt alias urgentes ob cauſas fieri non potuiſſe. Cæterum Rex cum jam crederet expedire *Albanum* revocari, Ducem *Medinæceli*, generis nobilitate inter Hiſpanos præcipuum, ac morum lenitate, ac facilitate Belgicis inſigniis * accommodatum in *Albani* locum ſurrogavit.

Oportuerat Regem matrimonio celebrando in Belgium venire ad reſtituendam rem.

XXII. Menſe Martio ejuſdem anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi, tres Germanorum cohortes ex quatuor, quæ Valentinianæ † in præſidio erant, gravis inceſſit ſeditio, quæ niſi poſt quinque menſium ſpatium ſedata eſt: multa interim inſolentiæ genera perpetrârunt, primùm in *Hannibalem* de *Lodron*, Comitis *Alberici Lodronii* locum tenentem, deinde in ipſum *Comitem Lodronium*, qui paulò ante eò venerat, nihilque non tentarat, ut eos placaret, quem per quatuor fere menſes in vincula compedeſque conjectum, variiſque contumeliis, ac injuriis affectum captivum detinuere. Milites quartæ cohortis, qui ſeſe in aliorum ſocietatem non dederant, cum periculum eſſet, ne aut à ſeditioſis malè mulctarentur, aut cum illis tandem ſeſe conjungere cogerentur, ab *Albano* civitate

* *Potius*: ingeniis. † Valencenis.

civitate excedere jussi tandem mense Augusto sequenti stipendia debita illis soluta sunt, amplissimumque Diploma Ducis *Albani* alatum, publicèque pronuntiatum, quo illis seditiosis crimen, & quidquid ejus occasione deliquerant plenè remissum, ignotumque est. Quo sibi putantes abundè satisfactum urbe excessere, eorumque in locum decem Hispanorum cohortes in civitatem immissæ. Eodem tamen mense tantæ insolentiæ pœnas, non obstante Diplomate, quod *Albano* invito extorserant, cujusque beneficio indignos sese præbuerant, luerunt: *Albanus* enim eos spe certa, promissisque inductos obtinendi præsidii Sylvæducis, cautè Antverpiam pellexit, in cujus suburbiis undique ab Hispano milite cincti, summa cum ignominiâ primum tradere vexilla *Frederico Albani* filio jussi, quæ tamen postea supplicibus omnium militum præcibus, lachrimisque commotus *Fredericus* ipsis reddidit, præcipuis seditionis auctoribus ad quadraginta duos usque captivis Antverpiam deductis, ubi omnes laqueo vitam finiére, Princepsque seditionis coronâ capiti impositâ altiori patibulo suffixus est. His ipsis temporibus quietis, *Albanus*, *Carolo nono* Galliarum Regi denuo armis contra Hugonotas agenti, magnas iterum equitum peditumque copias auxilio misit Ductore *Comite Ernesto de Mansfelt*, viro genere, & scientia militari claro. Hic in prælio, quo *Carolus*, propè Moncontour superavit, fortissimum se prebens, schlopeto in brachio dextro valde ictus fuit. Tandem iterum cum illis per *Carolum* confectâ pace ad suos cum copiis eximiaque laude reversus fuit.

XXIII. Accidit etiam *Albano* non mediocre cum Anglis incommodum. Curaverat Rex navigiis in Belgium transvehi aliquam pecuniæ summam, qua aleretur exercitus: appulere hæc portum quemdam Angliæ, unde cum solvere non auderent propter piratas, quos sciebant sibi insidiari, *Don Gerandespes* * Hispanus, qui Legationem Hispanicam in Angliâ obibat, petiit sibi dari auxiliares aliquot naves, quarum comitatu navigia illa securè in Belgium pervenire possent, assensitque primum Regina, sed postea jam inclinante animo in *Philippi* damna, pecuniam omnem in suum usum convertit,

1572. *Origo inimicitiæ inter Hispaniam & Angliam.*

* Guerraus Despæus. *Strada.*

tit, eo Justitiæ prætextu, quod liceret principibus cum publica Regni necessitas flagitaret, quoquomodo sibi providere, dummodo proprietariis (quos dicebat non Hispaniæ Regem, sed Mercatores esse) inposterum pecunia redderetur; quod certo futurum promittebat; idque tam constanter, ut quamvis Legatus, quibuscumque posset modis, illam ab instituto retrahere tentaret, nihil nisi repulsam speciosis fultam verbis adipisci potuerit. Scripsit itaque *Albano*, ut injuriam, ac damnum, alia qua posset viâ, resarcire curaret. Ille verò meritò indignatus, è vestigio omnia Anglorum bona Antverpiæ, ac alibi passim per fiscum annotari jussit, quod vix in Angliâ rescitum, cùm ibi idem in bona eorum, qui Regis Hispaniæ subditi erant, factum est: quo principio inimici ac hostilis animi in longum tracto, mutua hinc inde promulgata fuere edicta, quæ multo plus incommodi, ac detrimenti Hispanico Imperio subditis, quàm Anglis attulére, cùm ob amplitudinem Hispanici Imperii, longe major, copiosiorque esset contractatio, numerusque subditorum Hispanorum, quàm Anglorum, quorum res, revera non ita latè, sed maris dominio omnino aptæ ad navigationem, Hispanorum Belgarumque omnino * accessendam, fuitque procul dubio Belgis longe funestissima hæc *Albani* vindicta.

XXIV. *Auriacus*, cui nihil optatius accidere potuit prædictâ *Albani* in gubernando formâ, occasioni non defuit, mirâque arte, ac omni, quâ potuit vigilantiâ, ac industria, paulatim populorum animos ad nova propensos, ad desperationem inducere studuit: in quo tandem ita profecit apud Hollandos, ut vix esset ibi, qui ei non solum non faveret, sed etiam ut aliquid novi moliretur, non appeteret, & quod majus est, fertur ex parte Hollandorum conventum fuisse, se ejus partes secuturos, atque ad sumenda arma illi pecuniam Coloniæ numerasse, ut jam nihil deficeret, quod ab *Auriaco* desiderari posset. Itaque non amplius differendum ratus *Lumeyum*, virum genere clarum, & quamvis scientiæ militaris rudem, superbum tamen, atque inquieti animi, adque hoc civile bellum admodum propensum in vindictam, (ut

* *Ita vitiosè in cod. nostro. Conjicio, ut sensus utcumque constet, legi posse:* arcessendam. *Sed nihil perspicuitatis est in sermone.*

(ut ferebat) *Comitis Egmontani*, cujus erat affinis, cum classe (quam jam dudum in Angliâ haud ita magnam construxerat) properare jussit. *Lumeyus* verò, prima Aprilis anno septuagesimo secundo, in insulam Vornæ exposito quem secum adduxerat milite, Brilam inermem, favore multorum civium, ostiumque Mosæ inopinatè occupans, secundum harum, de quibus agitur, calamitatum jecit lapidem. Agebat tunc temporis in Haga Comitis, quæ est in continenti Regius pagus, Comitum Hollandiæ antiqua sedes, *Comes a Bossu*, Hollandiæ præfectus, qui statim ubi de *Lumey* adventu certior est factus, Maeslanslusium (quod est ad ripam Mosæ Brilæ oppositus pagus) advolavit cumque speraret Brilam facile recuperari posse, modo celeritate uteretur, advocata è vestigio ex Trajecto inferiori legione Lombardica, cui præerat *Ferdinandus Toletanus* Hispanus, vir illustris, navigiis bis denis, & quinque eam trajiciens, Geeruliti * exposuit, nullaque interpositâ morâ Brilam versus sine tormentis bellicis, alioque belli apparatu, sola spe bonorum Civium nixus, contendit, relictis imprudenter absque custode navigiis, quæ ab hoste postea incensa maximum in discrimen *Bossuum* conjecére. Cùm enim re infectâ redire cogeretur, viæque omnes post conflagrata navigia essent præclusæ, per eam partem vadi, quæ vulgo flacque nominatur, limosam adeo, ut ultra cingulum immergeretur miles, exercitum ducere coactus est, quod etiamsi difficulter, tam fortiter tamen actum, ut omnes incolumes evaserint. Reduxit *Bossuus* suos per aggeres prope Dordracum, ubi ægre a Civibus navigia impetrata, quibus veheretur Roterodamum: erexerant enim sese & ibi ad res novas plurimorum animi, ita ut *Bossuo* introitum negaverint. Hostis interim trajecto milite, jam Maeslanslusium, opidumque † Scidam, ac Delfavium occuparat, ac in ipso Roterodamo per factionis suæ homines ita profecerat, ut jam Civitas ad deditionem inclinaret. Petiit *Bossuus* solummodò transitum, quem tandem adjuvante Plebano impetravit, eâ conditione, ut viceni quini tantùm quaque vice transirent, igni ad sclopeti usum extincto, quorum cùm primi in portam intrassent, *Bossuus* fabrum, qui præcipuus inter rebelles aderat, confodit,

1572.

Amissio Brilæ.

* Geervliet. † Sciedam ac Delfshaven.

1572. dit, cæteris suis ne porta clauderetur fortiter caventibus, donec advolaret tota legio, quæ præsto erat, qua facile urbs occupata est. Cæcidere ex civibus ducenti, aut circiter, ultra non sævitum. Postridiè summo mane Delphavium aliquot hostium cæsis recuperavit, atque inde Scidam versus, missis aliquot militibus, facile hostem ex continenti in insulam rejecit, reversusque Roterodamum ibi in præsenti consedit.

XXV. *Albanus* de Brilensi occupatione certior factus, continuò legionem, quæ Trajecti agebat, *Bossuum* versus contendere jussit, sed illa jam eò ierat. Posteà, cognita conflagratione navium, non parum commotum *, celeriter Dominum *de Quarebbe* Bredæ Præfectum, & *Joannem Baptistam de Tassis* † Dordracum proficisci jussit, cum mandatis, ut quibuscumque possent modis, *Bossuo* in insula existenti, re frumentaria (cujus inopiam maximè timebant) subveniri curarent. *Quarebbius*, & *Tassius* celeriter Dordracum advolarunt, sed (ut supradictum (*Bossuus* jam redierat: mansére tamen jussu *Albani*, ut Civitatem, quæ totius Hollandiæ caput est, undequaque mari cincta, nulloque erat præsidio armata, & munita, in officio continerent; cui rei statim quinque armatas naves sumptu publico instrui curarunt, quibus hosti jam circumvicina loca vastanti occurretur. Accidit ibi eo tempore evidens futuræ Rebellionis signum, cùm enim navigiis venirent ex parte Brabantiæ binæ cohortes Hispannorum, jussu *Albani* ad Bossuum missæ, & ex iis manipularis unus, cum decem militibus schafa vectus portum appulisset, quæreretque ex *Tassio* quo cohortibus esset eundum, mirabile dictu, quantus populum furor invaserit: ad arma concursum civitas maxima tumultu tota commota est, nec quievit, donec discessissent, ita plurimorum ad inflammationem parati, ac propensi jam erant animi.

XXVI. Dum hæc in Hollandia, Vlissinga, quo statim post amissam Brilam, *Albanus* tres Hispannorum cohortes, quæ in insulâ agebant, ire jusserat, introitum illis negavit, occasione arrepta (ut fertur) quod ille, qui admissus fuerat, ut domos militibus designaret (*Fourier* vulgo vocant) omnino vellet

* Commotus † Horum Commentariorum auctorem.

vellet lucri causa multo plures sibi dari, quam pro militum numero opus esset. Hæsit Vlissinga sic per aliquot dies; interea misit eò *Albanus*, *Petrum Pachecum* Hispanum unius cohortis Præfectum, qui Magistratum Populumque sui officii admoneret, quod nimium infæliciter illi cessit; admisére quidem, sed suspensum sublimè pedibus vitâ privarunt, eaque tam insigni perfidia *Auriaco* sese addixére. Erat tunc temporis Zelandiæ Præfectus Dominus *de Vacken* *, qui Guidelbergi † agebat, quo *Albanus* etiam Dominum *de Beauvais* virum illustrem, & rei militaris peritum continuo proficisci jussit, ut quidquid reliqui in Valeria esset conservari curaret, donec de recuperanda Vlissingâ agere posset, quod equidem, quam primum facere decreverat: sciebat enim quanti esset momenti locus ille maritimus, quod & plenius postea compertum, cùm certissimum sit nihil magis *Auriaci* cœpta promovisse. Quam ob rem curam conscribendi aliquot novos milites, nobilibus quibusdam committens, quam celerrimè potuit filium *Fredericum* cum *Chappino Vitello* Italo, Domino *de Noircarmes* Flandro, aliisque armorum usu exercitis viris, Bergas op Zoom contendere jussit, ut qua possent celeritate Valeriæ rebus subvenirent. Hostis enim post obtentam Vlissingam, Veram etiam (quæ est aliud Insulæ oppidum) pagumque Ramuâm ‡ Præsidio munierat, magnaque rusticorum manu Middelburgum obsidebat, ubi *Beauvosius* facile in discrimen incidisset, nisi ei fuisset subventum. Utque ignoraret hostis, quid in animo haberet, finxit hisce apparatibus omnino se constituisse Brilam invadere, jusso, inter alia ad hanc rem facientia, *Joanne Baptista Tassio* Dordracum Bossuum versus sese conferre, ut cleriter rem frumentariam, qua opus erat in expeditione illa Brilensi, procuraret: ita fore sperans, ut hostis non tam exactè ac vigilanter Valeriæ defensioni incumberet, maximo certe *Tassii* commodo, namque haud diu post Dordracum etiam ad *Auriaci* partes sese convertit: *Quarebbiusque* qui ibi remanserat, captivus retentus

1572.

* De Wackene. de quo aliisque dixi alibi. V. Indicem notarum ad *epist. Viglii ad Hopperum*.
† Lege: Middelburgi.
‡ Indicare videtur *Rammekens*. V. Smallegange p. 663.

1572. tus est; posteaque Gorcum delatus, tandem post longam captivitatem mortem obiit: verisimile est, & Tassium in idem discrimen lapsurum fuisse, si ibi etiam mansisset. Cœterùm nec indignum erit huic infortunio laudabile quid de ālio adjungere.

XXVII. Erat tunc temporis Dordraci regius Justitiæ Præfectus (Escutetum * vulgo vocant) *Joannes Drinckwaert* **, vir ex præcipuis illius civitatis. Hic cum ab initio adventus *Quarebbii*, & *Tassii* summopere ad omnia, quæ res regias spectarent, paratum se præbuisset, miraque sedulitate, & vigilantia rebellionem diu avertere conatus fuisset, tandem cùm nihil amplius, quàm perire esset reliquum, patrias potius maluit sedes, atque omnia, quæ ibi satis latè possidebat relinquere, ac spontanei exilii incommoda cum uxore, viriliter partes regias sequendo subire, quàm fidem cum reliquis Principi fallere.

XXVIII. Perdifficile procul dubio erat Valeriam versus militem vehere, ibique copias exponere, nulla enim erat classis ad prælium constructa, qua hosti, qui eam satis instructam habebat, in itinere occurri posset, nec portus, quo securè copiæ exponerentur, cùm omnes ejus Insulæ aditus in hostium potestate essent, uno tantummodo excepto loco incustodito, per quem appropinquare Insulæ aliquo modo licebat, qui vulgò vocatur Mariæ Polder, sed, & id maximo cum periculo. Quamvis enim adhuc pro Rege staret Arx Ramequm, inaccisibilem tamen reddebat illum aditum innumera hostium classis, superanda nihilominus erant omnia. Itaque *Fredericus* cùm ad rem venire vellet, ad se venire jussis quinque illis navigiis, quæ Dordraci ad bellum instructa diximus, quorum Dux erat *Zerathius* vir nobilis, collectisque præterea plerisque aliis onerariis quingentis Hispanis, totidemque Walonibus impositis, summam expeditionem *Sancio Davila* Hispano, ac Domino *de Bria*, virtute bellica insignibus viris committere, fælicem successum habuit. Appulere enim in dictum locum, eademque celeritate adjuvante fortiter *Beauvosio*, cæsisque plerisque Middelburgum obsidione liberatum, Ramnâque recepta est, nihilque In Insula exceptis

* Schout. Prætor. ** V. *Van Leeuwen. p*, 939.

tis Vlissingâ, & Verâ (quas tam parvo apparatu oppugnare 1572.
consultum non erat) hosti relictum. Cœterum classi longe aliter evenit, cum enim statum post expositum militem nullo modo ibi posset consistere, jamque in reditu esset *Zerathius* classem reducturus, cursum longè diversum ab eo, quo venerat, tenuit, eo consilio, ut hostilem falleret: sed cum summo manè Schouæ * in qua est Ziriczea appropinquaret, hostem invenit; quo viso, haud ignarus, quàm illi viribus numeroque navium impar esset, ac Schovam amicam etiam putans, in eam naves reducere animo conceperat, misso in eam Insulam, qui an hoc securè liceret, exploraret: sed & ibi, uti ubique locorum, omnium animi ad mutationes vergebant. Itaque sinistro accepto responso, dum quid ageret hæsitaret, ab hoste circumventus totam classem perdidit. Ipse, paucique in Insulam, quæ est Schovæ omnino vicina, quam natando attingere contigit, ægrè evasere.

XXIX. *Albanus* ab initio harum novarum turbarum Enchusii ** extrui curarat classem viginti navium per *Laloum* † financiarum, ut vocant commissum, qui hoc quanta potuit celeritate perfecit, deductisque in altum navibus, ad *Albanum* rediturus, Enchusium reliquit. Manserat eo ipse die cum sua tantum in portu navi *Bossuvius* ‡, qui erat designatus vice Admiralius, vir maritima scientia clarus: acciditque, cùm hic navem versus iret, ut alias jam in alto existentes sequeretur, oriri (nescitur spontene an casu) inter eum, & quemdam civem altercationem, ac eum civem ab *Boshusio* percuti, quâ occasione perfidi quidam, eò rem duxere, ut *Boshusius* comprehensus conjiceretur in carcerem: plebs verò in navem irruerit, eamque direptam intra muros reduxerit, *Laloumque* in diversorio frustra quesierit: brevi tota civitate ad arma concursum, eòque res ducta, ut coegerint *Boshusium* nuntium mittere cum litteris, quibus totam classem, ad se redire jussit, quod etiam aliqui ex præfectis fecere, cumque suis

* Schouwen. ** Enchusa. *Enckhuysen.* † Albertus van Lo.
‡ Lege: Boshusius, ut in consequentibus. Is est *Franciscus Boschuysen* maris Nord-hollandici pro-præfectus. *V. Van Leeuwen fol.* 881. Videndus quoque *Borrius lib. 6. fol.* 269. & 270. qui rem hanc paullò aliter narrat.

1572. suis navibus eo rediere. Fuit casus hic rebus regiis valde periculosus: cùm esset jam occupata Vlissinga, & Brila, si Enchusio insuper potiretur *Auriacus*, cum demum totius maris imperium adeptus, meritò timendus foret; quod cum satis compertum haberet *Comes de Bossu*, statim, ubi ex hisce motibus certior esset factus, nulla interposita mora Amsterodamum advolavit, vocatisque ad se ex Enchusio præcipuis aliquot, cum iis de sedandâ re agere cœpit, spe quidem bonâ, exitu vero pessima: Quamvis enim & hi aliique complures avitæ religionis, Regi dediti, ad hoc negotium non tantummodo operas suas promitterent, verùm etiam nec de successu bono dubitarent, cum tamen eò ventum esset, ut quid possent experirentur, apparuére malevoli, & numero, ac audacia longe superiores, qui illis in carcerem conjectis, accersitis ex Brila militibus *Auriaco* civitatem tradidére.

Rebellio oppidi Enchusani.

1572. XXX. Accidit hoc eodem anno septuagesimo secundo, vigesimâ secundâ Maji, biduo non amplius antequam *Ludovicus* Auriaci frater misso *Domino de Famâ*, ut mutuo consensu, auxilioque plurimorum civium Valentianam caperet, Montium, quod est munitissimum, ac præcipuum Hannoniæ oppidum, paucis comitatus equitibus mirâ fælicitate summo mane occupavit. Egerat *Ludovicus* diu ante cum *Gasparo de Coligny*, Admiralio, summo Duce Hugonottorum, cujus artificiis, & auxiliis * Valentiani & Montii secretas societates præparaverat, in finibus verò Galliæ copias paratas habebat, quæ cum celeriter secutæ, cives inopinato casu perculsos, ac perterritos facile ad quietem, & obsequium adduxére. Fertur, quod pictor ob non solutum ab *Albano* opus, tanti incœpti præcipuus fuerit auctor, *Ludovicusque* cum videret militem auxiliarium, quem exspectabat non adventare, metu ex civitate egressus, sed *Jenlio* socio, qui cum auxiliis aderat obviam facto iterum intravit, atque ita maximo civium dedecore, quod tanta occasione libertatem clausis portis non vindicassent, instituto potitus est. *Famanis* † etiam Valentianam cepit, sed cùm arx esset Hispanico præsidio munita, quam occupare non potuit, paucos post dies diligentia *Albani*, ac opera *Joannis de Mendoça* illustris Hispani,

† *Lege*: Famanus *id est*: Dominus de Fama, *ut sup.*

* Valencenis & Montibus Hannoniæ.

ſpani, equitumque levis armaturæ ſummi præfecti, ejectus, nihil aliud civitati, quam direptionem attulit. 1572.

XXXI. Poſt caſum Enchuſianum, quotquot Hollandiæ civitates præſidijs carebant, præter Amſterodamum, ac Schonhovium, *Auriaco* ſe dedére; Mechlinia etiam, Hiſpano milite non admiſſo, ſiniſtra ſuſpicione notata eſt; *Comes van den Bergh*, *Auriaco* cognatus, collecto milite Zutphaniam occupavit. In tranſinſulana Regione, & Phriſia complures civitates *Auriaco* adherere, brevi ubique locorum, tam immenſum in *Albanum* odium exarſum eſt, ut vix eſſet, qui debiti officii, ac fidelitatis erga Regem non obliviſceretur.

Rebellio totius ferè Hollandiæ.

XXXII. *Dux Medinæ Celi* * quem in *Albani* locum deſignatum ſupra diximus, claſſi in *Laridi* † portu conſtructa, multis ibi diebus ob contrarias tempeſtates, aliaque incommoda, hærere coactus, tandem ſolvens, apparuit in finibus maritimis Comitatus Flandriæ, prope *alelum* § (quod volunt multi dictum olim portum *Jecium*) medio fere menſe Junii ejuſdem anni, manſitque ibi biduum, expectans, an aliquid ſibi ab *Albano* nuntiaretur de ſtatu in quo erant res Belgicæ, quòve cum claſſe eſſet eundum: cùmque nihil inaudiret, movit Dunquerkam verſus, quæ eſt in eodem Comitatu portus ſatis exiguus, ubi inventis per mare plurimis ſchaphis, quibus piſcabantur Incolæ, duodecim aut circiter, maritimi Flandrici curſus peritos nactus eſt, quorum ductu prope Sluſam (quæ eſt alius Flandriæ portus haud ignobilis) fæliciter cum tota claſſe ſtetit. Cumque nec ibi quidquam de *Albano* acciperet, ſciens jam aliunde, quid in Valeriâ accidiſſet, & ‡ pro apparente hoſte cum bis denis navibus, tandem commiſſa claſſe *Joanni Oſorio Ulloa* Hiſpano, viro nobili, ac forti, aſſumptis ſecum *Juliano Romero*, aliiſque aliquot viris præcipuis, quos ex

* Joannes a Cerda, Navarræ *Prorex*.

† *Forte*, Lerida in Catalaunia, *aut* Lericé, *portus Ericis in Italia, in ſinibus Genuenſium.*

‡ Negligens, demiſſuſque ſtylus. Puto legendum: *Et cum apparerent hoſtes cum bis denis navibus* &c.

§ *Puto legendum:* Axelum, *vel* Axelam. Axele, *oppidulum, ſecundum inter Ambachta Flandriæ locum tenet. Vide Sanderi Fland. illuſtr. to* 3. *fol.* 259. *nov. edit.* Niſi mavis pro *alelum* legere, *Caletum*; & pro *portum Jecium* legere, *Iccium*. Ant. Matthæus Analect. to. 1. pag. 233. novæ edit. in 4. ait: *Calais, Caletum eſt portus* Iccius, *ut putant.* Et hæc poſterior lectio eſt veroſimilior. A *Caleto* namque Dunkerkam deſcenditur. Ab *Axella* ſi Dux Medinæ-Cæli Dunkerkam moviſſet, retrogreſſus, & ab Albano remotior fuiſſet.

1572. ex Hispaniâ adduxerat, per canalem, quo ex Slusa Brugas versus navigatur, eo se contulit. Venerat cum Duce vir quidam dictus lingua Teutonica * *Bauwen Evertzen*, qui magni cujusdam onerarii navigii Vlissingensis, *Hulk* vulgo dicti, præfectus erat. Hic Rebellibus omnino addictus, tam secretò tamen, ut ne minimam quidem eò usque sui suspicionem dederit. Cumque esset navigandi peritissimus, Dux magni eum faciebat, multumque ei deferebat. Facile itaque Duci persuasit, ut omnes sabras (quæ est apud Hispanos parvum, & portibus non usque adeo profundis accommodatum navigii genus) unà secum juberet proficisci. Cumque jam paululum essent profectæ, complures extra profundum ad latus maris vado inserere † curavit, ubi postea defluxo mari hostis eas plurimis schaphis aggressus in potestatem redegit, militibusque Hispanis in iis inventis, in mare conjectis, accensisque sabris variis mercibus onustis, ad suos se recipiens, virum illum secum abduxit, qui postea in præmium facinoris Viceadmiralius apud illos creatus est: idque munus subiit, functusque est, donec Bombarda ictus, tandem periit.

XXXIII. Manserant in alto extra portum Slusæ anchoris retentæ tredecim magnæ naves, expectantes, quid sibi à Duce mandaretur: sed eâ ipsâ nocte ita mare inhorruit, tantaque orta est tempestas, ut hinc inde agitatæ tres dies, ac noctes, prope jam desperata salute, nihil nisi naufragium expectarent: quarto tandem die, nonnihil pacato mari, cùm viderent tempestatem, magnam anchoratum, funium, rudentumque partem, consumpsisse, nullamque sibi spem salutis superesse, si ibi hærerent, haud ignari nihil, jam in Valeria esse, quod Regi pareret, per tractum Vlissingensem, quamvis inimicum, ictibusque tormentorum bellicorum obnoxium Antverpiam petere decrevere, ac saltem ea via, favore aggerum in canali Antverpiensi ex utraque parte existentium, si eo usque salvos provehi contingeret, milites, nautasque quantum in ipsis esset conservare. Accidit illis præterea aliud novum: dum enim itineri se præpararent, comparuêre procul in

* *Borrius lib. 6. fol.* 286. hunc appellat: *Boudewyn Ewoutsz*, & hanc rem alio modo loquitur.

† *Lego*: inhærere.

in alto bis denæ magnæ naves, quæ recto itinere ad ipsos 1572.
contendebant. Commovit eos aliquantulum inopinatus ille navium conspectus, suspicantes hostes esse; sed cum propius accessissent cognovere naves esse Hollandicas onerarias, quæ mercibus onustæ ex Lusithania adventabant. Dixere Ductores (incertum unde rescirent) Middelburgum, & Ramnam, etiamnum pro Rege stare; finxeruntque & sese Antverpiam unà cum Hispanis velle proficisci. Assensére Hispani, primaque in navigando præfectura, Admiralio Hollandiæ data; sequebatur Admiralia Hispanica, aliæque deinceps sese alternatim insequentes, navigabant, cumque Vlissingæ appropinquarent atque inde aliquot Bombardarum globi in navigantes, torquerentur, Admiralia Hollandiæ mansit cum omnibus suis tamquam in amico solo, Hispanica autem cognita proditione, quo potuit ulterius progressa, tandem in portum, qui est prope arcem Rammeckin fœliciter, uti, & cæteræ delata est, sola Vice admiralia excepta, quæ extra profundum provecta arenis insedit. Præfectus Rammeckin, visâ classe Hispanica, Vexillum, in quo erat depicta Crux Burgundica rubei coloris extulit, ut ex hoc signo scirent, qui appulerant, se jam in tuto esse, quod quia præter spem acciderat, non mediocrem illis lætitiam attulit. *Beauvosius* etiam, qui jam ex Middelburgo ad littus venerat, misit continuò senas naves, quæ Vice admiraliam exonerarent, exoneratamque remuleo in portum traherent, quod ita confectum est, servatique inter alia viginti quinque Hispanici equi. Cæterum Hollandicæ illæ bis denæ onerariæ naves, quæ Vlissingæ remanserant, cum essent onustæ multis magni prætii mercibus, rebus *Auriaci* parum stabilitis, incredibile dictu, quanto illi ad ulteriora, quæ meditabatur fuerint emolumento.

XXXIV. *Sancius Davila*, & Dominus *de Bria*, soluta obsidione Middelburgensi, receptaque Ramnâ, relicto ibi milite, quem adduxerant, Antverpiam ingeniosè, atque industriè reversi sunt. Dux etiam *Medinæ cœli*, ad *Albanum* profectus est, qui quamvis tam variis, tamque periculosis bellorum jactatum se videret fluctibus, magnâ tamen laude & constantia, summaque cæleritate, ac vigilantia, rebus cadentibus fortiter se opposuit, ingentibus tam equitum, quam peditum comparatis copiis, eam præcipue ob causam, quod metueret,

1572. ret, Gallos tam idoneam occasionem minime neglecturos, ubi fuisset perfacile, cum jam tunc *Carolus* nonus immemor beneficiorum præteritorum, instigatione, ac impulsu, Admiralii, nec non suo-pote ingenio satis ad bellum propensum haberet animum, ni brevi postea generalis illa, divi *Bartholomei* (quam ex die vocant) in Hugonottos, ipsumque Admiralium accidisset animadversio, quo casu se continuit.

XXXV. Itaque in primis Montium obsidére constituit, misso eum in finem *Frederico* filio, ut nulla interpositâ mora, cum copiis, quæ presto erant, auxiliarios, quos ex Gallia *Ludovicus* expectabat, excluderet, donec plures militum copiæ conscriberentur, ac pararentur tormenta bellica, aliaque, quæ ad tantam expeditionem essent necessaria. Decreverat enim ipsemet huic expeditioni interesse, & quidquid alibi facto opus esset, Præfectis Provinciarum committere, ut dum ipse Montium oppugnat, illi rebus sibi creditis, numero aliquo militum, quem per illos confici curarat, quantum fieri posset providerent. Extracto itaque undequaque omni fere Hispano veterano milite, *Beauvoisium* Middelburgi, cum Walonis, paucisque Hispanis in præsens manere jussit. Rotterodamum, & quidquid in Hollandiâ per legionem Lombardicam in officio continebatur, imprudenter hosti sciens reliquit, eo etiam cum mandato; ut omnes incolæ, qui Regi essent dediti unà exirent. Res vero magna digna admiratione, cum loci natura jam tum satis doceret, Regionem illam semel amissam, difficillimè in posterum recuperatam iri: ac viros bonos exstrahere, nihil aliud esset, quàm solis perduellibus relictâ Provincia difficiliorem aliquando sibi ipsi recuperationem construere. Interim complures ex incolis post posita multa commoditate, promptè cum uxoribus, & liberis Regis causâ, natale solum summâ cum laude deserere non recusarunt. In itinere *Ferdinandus Toletanus* septem vexilla hostium fudit.

Albanus Hollandiam exarmat, in quo graviter erravit.

XXXVI. *Lumayus* verò simul atque de Hispanorum discessu cognovit, advolans, ubique locorum admissus est, & exinde per totam Hollandiam victor grassari cœpit: multaque insuper dira, ac horrenda in Religionem paravit, Religiosos trucidavit, Phana incendit, nihilque omisit, quod immanem ac ferum hominem deceret: utque primum potuit Amsteroda-

damum obsidione cinxit, nec prius destitit, quàm *Bossuus* 1572.
civitati auxiliares copias ex Trajecto adduxit, ob cujus adventum de successu desperans, incensis castris, noctu discessit, postea quòque Schonhovium invasit, fœliciterque cepit, cùm *Bossuus* adducto milite, ut obsessis opem ferret, nihil profecisset. Hic etiam Oudewater (quæ est oppidulum Hollandiæ prope Gaudam situm) paulo ante oppugnarat, sed id etiam frustra, cum enim bina tantummodo tormenta bellica adduxisset, aliis rebus bellicis necessariis destitueretur brevi constantia hostium, infecta re, Trajectum repetere coactus est.

XXXVII. *Albanus*, quamvis ad obsidionem Montensem summo studio animum applicaret, nihilque ea in re curæ, ac vigilantiæ obmitteret, non tamen tam celeriter omnia præparari potuere, quin antea *Jenlius* cum exercitu, quo *Ludovico* opem ferre decreverat, adveniret. Quibus rebus cognitis *Fredericus*, & ipse castra movit, ductoque exercitu per sanctum Gislenum, (quod est vicinum Montio Hannoniæ oppidulum), hosti appropinquanti fortiter se opposuit. Accidit hoc mense Julio anno septuagesimo secundo. Cumque ad manus ventum esset, Gallique primùm more suo ingenti impetu irruerent, non minus fortiter ab Hispanis levis armaturæ equitibus, facilè in fugam versi omnem exercitum perdidère. Magna cædes facta, qui noctis beneficio effugerant postea undique a rusticis, partim trucidati, partim capti, inter quos *Jenlius*, ita ut pauci in Galliam reverterentur: fuitque tanta omnium trepidatio, ut fama sit, mulierem complures fugientes eo redigisse, ut sese ipsi dederint, captivosque ad castra duci passi sint.

XXXVIII. *Fredericus* re bene gesta continuò ad obsidionem reversus est. Fœlix hic magnusque successus, incredibile, quantum rebus labentibus profuerit: cùm enim accensi omnium animi, eo audaciæ proveherentur, ut non immerito verendum esset, civitates undequaque exemplo earum, quæ jam desciverant, ad mutationem inclinaturas. Præsertim, cum jam omnibus innotesceret *Auraicum* etiam alibi non contemnendum conficere exercitum, qui adventans, si sese cum *Jenlii* copiis conjunxisset facile suos conservaturos videbatur. Hoc uno prœlio unusquisque iterum de exitu rerum dubitans,

1572. nihil aliud sibi tentandum ratus, in debito officio se continuit, ulteriusque nihil in gratiam * aggredi ausus est; quo stimulo *Albanus* tanto magis sibi properandum existimans, quàm celerrime potuit triginta quinque tormenta bellica, quæquæ ad eorum usum necessaria erant, montium versus vehi curavit: cumque aliunde cognovisset, adventasse jam complures Germanos, aliamque equitum peditumque manum, ita ut esset exercitus satis copiosus, tandem relicto Bruxellæ *Duce Arschotano*, qui in politicis rebus suas gereret vices, & ipse ad exercitum profectus est, unàque Dux Medinæ cœli.

XXXIX. Imperarat ante discessum Antverpiæ construi classem, sex navium magnarum, duodecim mediocrium, quas vocant *Crommesteven*, aliquotque minorum navigiorum, vulgo *Heven*, quibus, quam primum fieri posset, rebus maritimis, non minus, quam terrestribus, subveniri volebat, præfecitque classi *Sancium Davilam*, *Comitem* præterea *de Bossu*, qui Amsterodamum adduci curarat reliquias illius classis, quæ à *Laloyo* Enchusii constructa fuerat, cujusque partem ob infortunium Vice-admiralii, in manus hostium venisse, supra demonstratum est, jussit instaurare has reliquias, iisque addi alias novas naves, volebatque eum, cum alterâ classe in Zelandiam contendere: sed ille, aut quod non posset, aut quod rebus Hollandicis minimè hoc convenire intelligeret, numquam eo profectus est.

XL. *Auraicus*, ubi mutationem Reipublicæ, quam præteritis annis variâ arte summaque diligentia affectarat, exortam esse vidit, tantosque jam rumores, bellique tumultus, sua causa conflatos, dignum se, ac necesse putans suis non deesse, cùm nihil esset, primum lapidem jecisse, ni incœptum prosequeretur, exercitum construere, & cum eo in Belgium se conferre statuit, spe certa voto potiundi, cum videret maris dominium, in quo maxima erat illi fiducia, prorsus esse in sua potestate, inque locis mediterraneis, complures civitates, easque præcipuas, jàm suas esse, omnemque populum *Albano* omnino infensum, sibi favére: tum quoque ex Gallia vires haud contemnendas præsto esse, quibus fundamentis tam magnis quidvis videbatur sibi posse promittere, nec

* *Subaudi*: principis Auriaci; *vel*: Ludovici Nassovii.

nec immerito; quamvis enim *Albanus* valde copiosum comparasset exercitum, non tamen usque adeo timendus esse videbatur, præsertim cùm ipsi tam variæ, tamque ingentes difficultates simul objicerentur, quin merito dubitari posset; an Provincias saltem maritimas, quibus invadendis classes; & nautæ (quibus ambobus hosti longe impar erat) requirebantur, ille retinere, & recuperare aliquando posset. *Auraicus* itaque, quamvis *Jenlii* casus, non parvum rebus suis attulisset detrimentum, constanter tamen in instituto permansit, ac fratri auxiliaturus, quâ potuit celeritate copias in campis Geldriacis collegit: indeque Mosam trajecturus, ut ibi haberet locum securum ad reditum Remundam *, cui præerat *Floyomus* † ex Barlemontana familiâ, unà cum cohorte Walonorum, non tam vi, quàm multorum civium auxilio, qui schalis, quibus muros ascenderent, emissis, *Floyonium* turpiter prodidére, cœpit; inque Ecclesiasticos pro more crudeliter sævit, relictoque præsidio, inde Wiertam, quæ est oppidulum Campaniæ, *Comitum Hornensium* sedes, venit. 1572.

XLI. Erat ibi Domini egregia Domus extructa in morem arcis, cui præerat custodis ‡ causa *Gabriel de Cayas* Hispanus, qui cùm octo dies *Auraico* oppugnanti fortiter restitisset, tandem ille haud ignarus, quam celerem profectionem Montensis flagitaret obsidio, ubi frater non parum periclitabatur, re infectâ Lovanium versus movit, missis primùm Mechliniam aliquot copiis, quæ à suæ factionis hominibus introductæ civitatem, antea sola suspitione notatam, palam suam fecere. A Lovaniensibus, authore præcipuè, Doctore (ut fertur) *Elberto Leonino* Juris-consulto insigni, intromissus est, sexdecimque millia florenorum impetravit. Illi sese postea ob loci imbecillitatem purgavere. Nivellam inde ac Binchium præteriens, tandem non longè ab *Albani* castris, castra metatus est: postero vero die obsessis subventurus, instructis ad pugnam copiis, egregie, sed frustra id tentavit. Curaverat *Albanus* arcem opportuno in loco extrui, eamque militibus, ac aliquot tormentis bellicis munierat, quod unum maxi-

* Ruremundam.
† Florus Flojonus Caroli Comitis Barlemontii filius.
‡ *Melius*: Custodiæ.

1572. maximum incommodum *Auraici* rebus attulit. Præterea tam opportunè omnibus in locis dispositæ erant reliquæ Regiæ copiæ, ut nullo modo quidquam potuerit exequi, fuitque procul dubio *Albano* dies ille admodum illustris; vidit enim exercitum decem millium equitum, peditum decem, & senum millium, nihil non, quod viros fortes deceret armis tentantem: hostem alia ex parte civitate fortiter erumpentem, seseque interea hinc inde fulmineis bombardarum ictibus * ipse tamen utrique fortissimè restitit, murosque civitatis assiduè magis, quam antea quati jussit, donec tandem altero intra mœnia compulso, alterum re infecta cedere coegit, ita ut nihil ulterius, quàm de reditu cogitaret. Consedit nocte illa *Auraicus* in Pago Bossu, atque altera die . . . . . qui est Pagus in via Binchia exercitum duxit, ubi eum *Albanus* per noctem Duce *Juliano Romero* Siculæ legionis Præfecto viro fortissimo, cum binis millibus Hispannorum indusiis supra arma positis (quod genus invadendi Hispani *Camisadam* vocant) inopinatè egressus, tanti † hosti terrorem incussit, ut nil exinde de profectione remiserit, quòd ‡ Mechliniam attingeret, ubi amicissimè, summoque populi applausu exceptus est; obsessis omnem salutis spem auferens, quod illi cum vidissent, continuo de deditione cogitare, atque agere cœpere, à qua cum *Albanum* non alienum invenirent (volebat enim prudenter quoquo modo civitate citò potiri, ut reliquam æstatis partem aliis rebus, quæ multæ, & difficillimæ adhuc superarant, conficiendis insumert) brevi per idoneos hinc inde homines res eo deducta est, ut civitas *Albano* redderetur, civibus nil indigni accideret, Galli ad suos limites, & *Ludovicus* cum suis ultra Mosam, secure duceretur: in quo egregie fides servata.

Pugna ante Montes Hannoniæ.

Montes redduntur Albano.

XLII. Dum hæc circa Montium geruntur, hostis maritimis Flandriæ Comitatum excursionibus haud semel vexare tentavit: ac tandem collectis in Valeria satis magnis copiis, trajecit in Insulam vulgo dictam *Tergoes*, quæ satis magna est, agrique fertilis, partesque sequebatur regias, civitatemque in eâ primam, ejusdemque nominis obsidione cinxit, omnique vi, ac qua potuit curâ oppugnare cœpit. Erat Præfectus regius

* *Supple*: peti. † *Lege*: tantum. ‡ *Id est*: donec.

gius in Insula, & civitate *Isidorus Pacheecus*, Hispanus, vir strenuus, habebatque non ita magnum numerum militum Hispanorum, & Walonorum; tam fortiter tamen post muri labefactationem, variasque irruptiones, hostibus restitit, ut coacti fuerint nova auxilia petere, quæ per *Lumeyum* missa; quorum adventu victores tandem evasissent, nisi obsessis fuisset subventum. Res erat maximi momenti Regi insulam conservare, quam ob rem *Sancius Davila*, qui Antverpiæ agebat, ac *Mondragonius*, qui ibi etiam tunc temporis aderat jussu *Albani* de auxilio ferendo consultantes, primum hoc navigiis aliquot præparatis, iisque bonâ manu militum imposita tentari curarunt: sed hostes multitudine navium ita insulæ aditum præcluserant, ut coacti fuerint, qui eò ierant, re infectâ reverti: itaque coëgit necessitas aliud quid ad rem exequendam excogitare. Fama est, & vulgaris opinio, insulam illam aliquando Brabantiæ adhæsisse, tempestatibus vero divulsa terra, insulam mansisse. Et hoc certum est, hodie defluxo mari apparere turres, aliaque vestigia, quæ hoc indicant. Est inter insulam, & continentem tractus non minus trium milliarium: hoc maris spatium defluxo æstu siccum manebat, tribus exceptum canalibus, qui quamvis etiam defluente mari, minus profundi essent, nunquam tamen omnino aquâ carebant. propositum *Sancio* & *Mondragonio*, posse spatium illum itinere pedestri quinque horarum superari, dummodo opportunè iter susciperetur; misere viros idoneos, qui an hoc ita fieri posset studiose explorarent, renuntiarunt posse fieri: itaque inter eos secretò constitutum, ut insulæ eâ viâ subveniretur. Provinciam eam suscepit *Mondragonius* vir fortissimus, reique militaris experientiâ admodum clarus; designata ad expeditionem tria millia militum Hispanorum Walonorum, & Germanorum cum quibus opportunè dispositis, cum jam tempus esset, *Mondragonius* sacculis pulvere sclopetario repletis, in humeris multorum impositis, insueto illi itineri, primus se commisit, tantaque constantia, ac virtute, & ipse & reliqui ejus exemplo iter prosecuti sunt, ut tandem, quamvis jam valde ex æstu crescente mari, insulam attigerint, novem solis militibus submersis. Substitit *Mondragonius* in parte illâ insulæ, quam primum attigit, duarum horarum spatio, ut militem aquâ cœnoque madentem, tan-

1572.

Succurritur oppido Goesano. Factum Mondragonii.

1572. toque labore defatigatum, aliquantulum reficeret; postéaque eadem illâ animi fortitudine, quo eò venerat, hostem versus contendit. Erat jam nox, hostis verò statim per rusticos de *Mondragonii* adventu certior factus, nulla interposita mora de discessu cogitare cœpit, ita ut antequam illuc accesseret, jam ad portum navesque se receperit, septingentis exceptis, qui ultimum in profectione agmen tenebant. Cæterùm *Pachecus*, simul atque de inopinato hostium discessu cognovit ignorans adhuc advenisse *Mondragonium*, mirari summopere, ac suspicari hostium stratagema esse, insecutus tamen esset illos septingentos, ni numero militum longe impar hosti fuisset. Dum hæsitat, quid sibi faciendum sit, nuntiatur *Mondragonium* non amplius medio miliari à civitate abesse; Lœtus itaque protinus ad eum misit, qui nuntient hostem ad naves confugisse, reliquisse verò in ultimo ordine aliquem numerum, quem facile cædi posse non dubitabat, dummodo, celeriter sibi auxilium mittatur, quod a *Mondragonio* factum, tamque opportunè, ut potuerit *Pachecus* conficere, quod animo conceperat. Cæsi sunt omnes, ita ut illi tantum, qui ad naves confugerant, tutè in Valeriam fuerint delati. *Mondragonius* cum suis, re bene gesta, nulla interposita morâ in Brabantiam reverti constituit, sciebat enim hostes facile id impedire posse, si spatium daretur utendi classe, quam copiosam habebant. Certum verò est, præbuisse se omnino strenuum ac constantem *Pachecum*. Cœterùm quantum attinet ad ea quæ fecit *Mondragonius*, si spectes inauditam audaciam, difficultates itineris, atque pericula, celeritatem, atque indefessum laborem, nil fortius, nil immortali gloria dignius excogitari queat.

XLIII. *Albanus* recepto Montio, relictoque ibi *Domino de Vaulx* ex *Longevallia* illustri familia, cum quinque cohortibus Walonorum, Præfecti titulo, Mechliniam versus exercitum movit: sciebat enim quanti esset momenti, hostem fugientem, obque rem male gestam, turbatum, ac trepidantem, celeriter insequi. Ille verò simul atque de deditione Montensi, ac adventu *Albani* certior factus est, corrasis aliquot millibus florenorum, continuò Mechliniam reliquit, & Remundam cum omnibus copiis profectus est, relicto ibi *Domino de Varoulx* ex *Merodea* illustri familia, qui primo magnæ con-

stan-

stantiæ indicia, animumque defendendæ urbis ostendit: sed 1572.
visis *Albani* signis, & ipse profugit, civesque, qui unà non abiere (quos plurimos fuisse ferunt) turpiter dereliquit. His vero, quid faciendum hæsitantibus, uti in simili discrimine plerumque fieri solet, tandem decretum, Oratores ad *Albanum* mitti, rogatum, ut civitati parcat; sed fuit infœlix Mechliniensium sors, cum enim victor meritò in eos esset commotus, quòd hostem nulla necessitate coacti recepissent, fugienti pecuniam dedissent, quòd nil de salute cogitassent, nisi jam conspectu Regio exercitu, memorque, quantum antea rebus regiis attulissent detrimenti, adeundi se licentiam dedita opera distulit. Milites interea paulatim fossis appropinquare, muris succedere, postremò & eos scandere cœpere, nullisque inventis defensoribus, prope portam, quæ *Neckerspoel* vulgò dicitur, voto, quo prædam affectabant, facile potiti sunt. Fertur, *Noircarmium* hujus rei authorem extitisse, ut exercitus ad cujus solutionem deerat pecunia Mechliniensium bonis, opibusque sublevaretur. An prudenter nescio; ferri quidem aliquatenus potest, quantum ad fælices rerum successus, absit tamen à viro forti, ac Christiano crudeliter, atque iniquè agere, ac immoderato rigore animum exsatiare. Exitus enim, postea docuit, eam urbis direptionem non tantùm commoditatum, quantum militaris licentiæ, diminutionisque exercitus (cum multi præda, spoliisque onusti, militiæ sese subduxerint) Regi attulisse, quodque majoris erat momenti, *Albanu* denuo apud Belgas maximum conflavit odium, dubioque procul rebus Regiis summopere nocuit, flammamque, ut dicitur igni addidit, qua magis magisque in *Albanum* omnium animi incenderentur; satis alioquin exulcerati, præteriti Regis memoria *, quam clementia, ac benevolentia satius fuisset abolére, quàm odia odiis accumulando, inexpiabili ira, ac odio, & furore omnium animos exacerbare. In cives parum sævitum, sed quantum ad eorum bona, totos tres dies, primum Hispanis, postea Walonis, Germanisque ad libitum civitas diripienda data est. Postremò & *Fredericus* ibi reliquit *Erassum* Præfectum Hispanum, qui per complures postea dies, quidquid frumenti, aliarumque rerum, quæ

Direptio urbis Mechliniensis Regi damnosa.

* *Fortè legendum*: præteritarum rerum memoriâ.

1572. quæ aliquo modo jure militari vindicari posse videbantur, indignius, quam decebat, in *Frederici* usum convertit. Brevi civitas ex locupletissima, miserrima effecta est: & quamvis summopere culpanda, multos tamen ad commiserationem commovit.

XLIV. Casu Mechliniensi, qui *Auraici* nomine Terremondam, ac Audenardam (quæ sunt Comitatus Flandriæ duo haud contemnenda oppida:) detinebant, perterriti profugere. *Auraicus* etiam cum Rumundæ exercitum trajecisset, eam deseruit, statimque promissis, pollicitationibusque, dimisso exercitu, paucis comitatus, magnis itineribus in Hollandiam contendit, Enchusiumque navigaturus, Campium versus profectus est, quâ maximâ potuit celeriate: videbat enim rem ad mutationes vergere; quasdam jam civitates, quæ sibi antea faverant, cum *Hiergio* Provinciæ Præfecto convenisse, perterritosque omnium animos ad fortunam Victoris (ut plerumque fieri solet) inclinare. Quod cùm non fugeret *Albanum*, nulla interposita morâ Maestrichum venit, indeque misso filio *Frederico*, qui exercitum prope Eltem, & locum, quem Spuy vulgo vocant, Rhenum traduceret. Ipse Mosâ vectus cum tormentis bellicis, eorumque apparatu, Monkium, ac deinde cum *Duce Medina cœli*, Noviomagum pervenit, filioque statim obsidionem Zutphaniensem commendavit, quam ille tentaturus, invenit Præfectum, qui civitatem sibi creditam virtute conservare velle videbatur: sed vix moenia quati cœpta, cùm metu perculsus fuga salutem cum militibus favore fluvii Ihelæ * qui civitatem alluit, quæsivit, hostique eam diripiendam turpiter reliquit; qua sola capta, quidquid in tota Phrisia *Auraico* adhærebat, fugientibus Præsidiariis militibus, Regi restitutum est, ipsimet *Comites Montenses*, & † *Schamburgenses* (quorum hic *Jodocus* nomine) qui rebus *Auraicis* ejus Provinciæ præerant, separatim deserto Campio, & Swolla, (quæ sunt Transinsulanæ Provinciæ præcipua oppida) cum suis salutem quesivere. Amersfortium etiam, quod est in Trajectensi ditione secundum oppidum, ab hoste desertum, Regi recuperatum est, ita ut jam ultra Rhe-

* Jsalæ. *Den Yssel.*
† Grave Joost van Schouwenberch. *Borrius lib. 6. fol.* 304. *col.* 1.

Rhenum parum extra Hollandiam, & Zelandiam *Auraico* 1572.
restaret, tantum inclinata jam ejus fortuna sola potuit occupatio illa Zutphanii, ut plurima eaque maxima victori, quamvis non conspecto libenter cesserint.

XLV. Quod cum *Albano* esset nuntiatum, animadverteretque, quæ quantaque sola illa expeditione victrices copiæ obtinuissent, etiamsi jam ventum esset ad finem Novembris, & hiberno frigore horrerent omnia, essetque exercitus longo labore non parum fatigatus, jamque non tam in armis, quam virtutis opinione bellum consisteret; tum his accederent varia, & magna, itinerum, commeatus, aliarumque rerum incommoda, quo minus Hollandiam ipso æstivo tempore, tantoque magis tunc accessu difficillimam, invaderet: præstantius tamen esse duxit, difficultatibus quamvis maximis sese committere, quam tam manifestum Dei favorem negligere, sciebat enim, quanti referret tam divinis, quam humanis rebus, *Auraicum* ab Hollandis receptum, adjutumque, quibus posset modis assiduè inquietari, bellisque vexari, ne ei tempus spatiumque daretur omnia ad libitum subvertendi; itaque ad Harlemii oppugnationem animum adjecit, exercitumque ducendum filio dedit; & civitas illa ex præcipuis ejus Provinciæ, in ejusque centro sita, sola inter omnes, quæ ob loci situm tunc temporis obsidione cingi posset: non enim uti aliæ ita aquis erat circumdata, quin pateret aliquot in locis aditus nec incommodus, nec difficilis. Cœterum voluit *Noircarmius* oppugnationem, qua parte bene munita, magisque difficilis erat (quod brevior ea via videretur) tentare, idque minori, quàm opus erat, apparatu, ac viribus: unde favens eousque fortuna (desideratis ex diuturno bello multis necessariis ad urbis expugnationem) mirâ mutatione, ex fœlicissima (uti postea dicetur) immenso Regis detrimento, extemplo miserrima effecta, quantum inconstantiæ in se habeat, quamque parum illi credere debeamus, satis ostendit: nec non Imperatores, ne temere quidquam aggredi audeant, egregiè admonet.

Albanus statuit fortunam sequi. Expensis multis difficultatibus res male cedit.

XLVI. *Fredericus* Harlemium oppugnaturus, Amersfortium venit, unumque ibi moratus diem, Nardium versus movit: manserant in oppidulo illo, nec naturâ, nec arte munito, nonnulii ex hostibus, qui (neglectis *Bossuii* monitis,

1572. quibus ille Nardianos, ut sese Victori dederent, ex Amersfortiâ piè admonuerat:) imprudenter exercitus adventantis conspectum, non solùm ferre, sed, & sclopetis ferire ausi sunt; quam ob rem *Fredericus* meritò ira commotus, quam primum Nardium obsidione cingi, aliquot etiam tormenta bellica ad oppugnationem expediri curavit. Sed cùm dies illuxisset illi pœnitentia ducti, de deditione eum *Romero* agere cœpere; qui jussit, ut unum in locum omnes convenirent. Illi spe salutis, cùm jussa fecissent, milites civitate potiti, dissimulanter, aut (ut alii volunt) jubente *Romero*, ad unum omnes crudeliter trucidati sunt: oppidum etiam totum direptum, ac incendio deformatum, ita ut ad luendas temeritatis pœnas, nil defuerit. Quod ideo accidisse credendum est, ut eorum exemplo, aliorum animi ad deditionem metu, ac terrore facilius adducerentur: sed tamen turpiter, dum verum sit, illis vitam, fortunasque fuisse concessas. Debuit enim, quamvis non merentibus, servari semel data fides, quam fallere nulli umquam, aut saltem raro profuit: ut nec in hâc calamitate Nardii, non enim quod ibi accidit, Batavos ad se dedendos inclinavit, sed potius eos tam inexpiabili obstinatione, quidlibet pati, quam illis se submittere, jam tunc animo conceperint. Itaque *Fredericus*, cum præclare sese rem gessisse putaret, magnosque inde fructus Belgii rebus speraret, prorsus omnia perdidit, atque subvertit. Accidit Nardii res notatu digna. Cum enim tot tantisque cladibus afficeretur, essentque passim in plateis mulieres plurimæ, quæ parentes, ac maritos trucidari, ac bona sua ante oculos diripi videbant, nulla fere earum visa est, quæ lachrimas, multæ, quæ risum emitterent, adeo metus dolorque mirâ pertubatione omnium animos abduraverat. Ex Nardo venit *Fredericus* Vesopium, atque inde Amsterodamum profectus est.

Severitas apud Nardam exercita, Regi damnosa.

XLVII. Cum adhuc Hannonia esset in armis, Waterlandi (qui septentrionalem Hollandiæ partem incolunt) cum copiosa classe non longe ab Amsterodamo constiterant, munitisque aggeribus, qui eidem sunt oppositi, illisque similiter, qui Assendelphium versus tendunt, navigationem omnino Amsteromensibus ademerant, sed hoc non diutius, quam mare, (uti ibi solet) conglaciari incœpit. Tum vero ad reditum inten-

latenti, non tam opportunè hoc facere potuere, quin nimio 1572.
frigore, & glacie detenti, ita prope regios aggeres coacti sint consistere, ut conspici à *Frederico* potuerint, inque spem venerit, classem posse capi, qua pulsus duo tormenta bellica in aggere constituit, quibus classem infestaret: misit etiam per glaciem Hispanos aliquot schlopetarios exploratum, quomodo illis nocere posset, sed utrumque frustra. Longius enim aberant, quam videbatur, tum etiam, ex confracta glacie tantos quotidie ejus acervos circumquaque accumulabant, ut instar aggerum munimenta classi præberent, nullusque ad eam esset aditus, quapropter ulterius, non expugnata, tandemque liquefactâ glacie domum se recepit. Interim aggeres, quos Amsterdamo oppositos diximus recuperati. *Fredericus* verò, cui antequam Harlemium attingere ullo modo posset, Sparendamum (quod est pagus in viâ situs) necessario erat occupandum, *Rodericum Sapatam*, eò mittit exploratum, quo in statu ibi res essent. Erat Amsterodamo egredientibus eo versus, hæc tantum via: agger continuus latitudine triginta, aut circiter pedum, longitudine quatuor milliarium: ad dextram magno fluvio munitus, quem 't Ey vulgò vocant, qui fluvius per medium Sparendamii Harlemium alluit, atque inde mari (quod vulgo *Harlemer-mer* dicitur) se condit; ad lævam prata aquis tota tecta, ita ut nulla ullibi particula terræ appareat; quod ibi plerumque * Hiemesis.

XLVIII. Propè Sparendamum erat agger erectus, absque ullo inflexu, quo cum adventasset *Rodericus*, eaque efficere conaretur, quæ in mandatis habebat, Bombarda ictus brachio sinistro ad cubitum usque, quamvis non lethali vulnere, privatus est. Occuparat vi ante aliquod tempus Sparendamium *Rodericus*, multaque virtute Rebellium piratam ibi vicerat, & quia erat locus natura munitissimus, quo minus hostes, eo uti possent, igni eum consumpserat. Itaque videtur ibi pœnas ob damnum illatum brachii amissione solvisse. Erat res longè difficillima per aggerem exercitum apparatumque bellicum ducere, difficilius Sparendamum, sola recta via

* Hiemesis. *Ità in Cod. nostro. Numquid legendum:* hieme fit? *Nempe hæc prata hyeme sunt sub aquis.*

1572. via accessibile, oppugnare. Nihil (ut antea dictum) omnino necesse erat eo potiri.

XLIX. Itaque *Fredericus* paucos Amsterodami moratus dies, ad Domum (quæ ibi *het huys ter hort* * vocatur) inter *Sparendamium*, & Amsterodamum media in viâ cum legionibus Hispanicis consedit, quantumque potuit copias Sparendamio appropinquare jussit. Erat Pagus ad levam haud longe *Sparendamio* distans, indeque aliquot domus, quæ quasi ripam fluminis attingebant, ad quas per peritos ejus tractus homines favore aggerum mediterraneorum, quibus in locis aquaticis utuntur nocte ductus *Romerus* opportunis in locis milites constituit, eo consilio, ut occulte ibi manentes, commoditates, ac occasiones rei bene gerendæ explorarent, fore sperans illucescente die non nullas oblatum iri, quibus ulterius progredi liceret. Nec eum fefellit opinio; cùm enim ex Harlemio ducenti, aut plus pedites per alteram partem fluminis *Sparendamium* tenderent, Hispani pauci ex insidiis in apertum se dedere, ut quid in animo haberent, cognoscerent. Quod simul atque ab illis animadversum, confestim itinere relicto, ad hosce invadendos advolarunt, fluvioque congelato sese commisére, unde Hispani, qui alioquin fluvio minime fidebant, de potestate transeundi certiores facti, illico adfuére omnes, hostemque repellentes, fluvium superarunt, ac nulla interpositâ morâ, relictis, quæ hostem, quem ante oculos habebant, distinerent, ac fugarent, alacriter ducenti Duce *Ludovico Caravaglio* Hispano Præfecto viro forti, ac illustri Sparendamium a tergo invadendum jussu *Romeri* petiére, tantâque virtute in eo usi sunt, ut præsidiarium militem repentino, ac incogitato casu, perterritum, favore glaciei, per quam salutem quærere sperabat, facile fugantes, Sparendamio absque ullâ cæde insigni fœlicitate potiti sunt, solo *Joanne de Tuarra* amisso qui dum inter primos militibus Harlemensibus strenuè se opponit, à quadam fugiente sclopeto ictus periit. Ex hostibus circiter centum coesi, cæteri fuga mortem evasére. Contigit hoc decimo Decembris anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

L. Altera

* *Het buis ter Hert.* Borrius. lib. 6. fol. 319. vso. col. 2.

L. Altera verò, quæ secuta est, die, *Fredericus*, *Ferdinandum a Toledo* cum legione misit Harlemium versus, ut suburbia Divi Lazari occuparet. Erupére hostes, qui incensis aliquot domibus eum ab instituto removére tentarunt, sed frustra. Itaque in civitatem repulsi, liberam Hispanis castrametandi potestatem reliquere. Ille verò exinde, quàm celerrime potuit dispositis undequaque militibus in domibus (hyems enim non patiebatur sub dio consistere) civitatem obsidione cinxit. Cogebat jam tunc *Auriacus* copias, quibus obsessis, rebus necessariis subveniret, eæque *Norvicum* * (quod est pagus in Leydensi viâ) tribus Harlemio distans miliaribus, advenerant Duce *Lumeyo*, qui, quod in mandatis habebat, executurus, duodecimâ Decembris inde movit: ac exercitum quatuor millium peditum, ac ducentorum equitum, cum aliquot Bombardis campestribus, *Hillegum* (quod est pagus vicinior Harlemio) unde eò versus patebant duæ viæ, una ad levam, quæ Dunas (ut vocant) attingebant, altera, quæ recto tramite ducebat ad nemus quod civitati imminet, cum jam serò esset, duxit. 1572. *Obsessio Harlemi.*

LI. Postridie ejus diei, quæ erat decima tertia mensis, Divæ *Luciæ* sacrata, summo manè copias ad pugnam extra *Hillegum* opportuno in loco disposuit, tribus missis cohortibus, quæ per viam, quæ recte ad civitatem ducebat, incederent, cum mandatis, ut quam maximâ possent celeritate eò pervenire niterentur. *Fredericus* mente hostium cognitâ, ignorans tamen, quod tam vicini essent, exploraturus quid agerent, eodem die sexcentis schlopetariis Hispanis comitatus, jussa subsequi legione Germanicâ Comitis *Eberstenii*, *Hillegum* versus per viam Dunas attingentem, misso per alteram *Garcia Zuare* Hispanico Præfecto, viro strenuo cum ducentis sclopetariis Hispanis, nec non quinquaginta equitibus profectus est, unàque *Noircarmius*, *Romerus*, ac *Dominus de Cressoniere*, cui tormentorum bellicorum administratio commissa. Cùm autem ambo hi Duces, *Fredericus* sua via, *Zuares* altera & hic paulo ante, atque sic uno fere, eodemque tempore, in hostem incidissent, tam fortiter sese gessére, ut tres illas cohortes, breviori viâ Harlemium missas, & *Lumeyum* cum omnibus,

* Noortwyck.

1572. nibus, suis copiis in fugam conjecerint. Captæ sunt campestres illæ Bombardæ, & hostium cecidere plus mille, cœteri per glaciem, qua mare Harlemicum (quod vocant) pervium erat, inermes cum Duce Leydam pervenere. Ex Regiis pauci desiderati, inter quos Præfectus quidam Hispanus, qui à vexillifero, quem ad deditionem cogere volebat, sclopeto ictus occubuit. *Lumeyus* periculum evasit, quod regii nulli adessent equites, qui eum trepidantem prosequi potuerint.

LII. Casus hic *Auriaco* procul dubio multum damni, ac *Frederico* certam spem potiundi Harlemio attulit: quam ob rem nec momentum quidem intermittendum ratus, quàm primum potuit, tormentis bellicis muros quati curavit: dispositâ in eum finem decem, & quatuor ea in parte, ubi erant suburbia Divi *Lazari*, eo consilio, ut ante omnia quateretur ravelinus, qui erat ad portam (est hoc genus quoddam munitionis, quo portæ civitatum plerumque in Belgio muniuntur) non erat ibi adeo lata fossa, quin pons super eam jaci posse videretur. Ravelinus ille quati cœptus decima quinta Decembris summo mané: sed cum post meridiem, non satis diruptus esset murus ob tormentorum paucitatem, in diem posterum post majorem mœnium demolitionem dilata est irruptio: tunc verò constructo ponte par *Bartholomeum Campum*, Italum Ingeniarium (ut vulgo vocant) egregie ex cerevisiæ vasis, ac assoribus, qui humeris, manibusque militum, portari, ac jaci debebat, ad id operis quadraginta ex primis legionibus Bombardicæ electi sunt, qui, quamvis esset, extra munitionis via centum, aut circiter passuum, per quam nuda incedere fronte contra hostium ictus erat necesse, mira tamen fortitudine, etiamsi onusti eum subiére: verùm tam malè ab hostibus accepti sunt, ut multis eorum antequam ad fossam ventum esset coesis, ac vulneratis, pauci egre institutum perficere potuerint. Brevior etiam, quam oportebat, pons inventus est, unde transitus toti legioni Lombardicæ, quæ subsequebatur difficilior redditus, hosti ad libitum eam feriendi potestatem, spatiumque concessit: quâ de causâ major pars ad castra reverti coacta est, multi transire conantes in fossa submersi; stetitque in ea *Franciscus de Vargas* Præfectus insignis magno saxo percussus, in noctem usque, quâ tectus egregiè a suis receptus est. Pauci vero, qui transierant nil

potué-

potuére: ex munitionibus præterea negligenter actum in feriendo ac infestando hoste, ne ad defensionem in muris auderet consistere, unde ex trepidante audax effectus, non solum muros strenuè defendit, sed, & *Fredericum* magnâ clade affecit. Periere Hispani plus ducenti, eosque inter Præfecti aliquot, vexilliferi nonnulli vexillis amissis, saucii multò plures, inter quos & ipse *Romerus*, qui dum suos intra munitiones hortatur, ut strenue hostem ad defensionem se præbentem ferirent, sclopeti ictu oculo privatus est, fuitque Hispanis dies ille procul dubio longè funestissimus, pristinæque eorum fortunæ omninò contrarius. Exinde enim tamquam ea amissa, tam infelices in multis extitére, ut pristinus ille ardor, atque animi fortitudo videretur in ipsis prorsus resedisse: quod non ante in melius versum, quàm victoria Mokensi pristinæ virtuti restituerentur. 1572.

LIII. *Frederico* etiam parum laudi *, quod rem tam difficilem, tam parco apparatu, imprudenter tentasset, militemque temerè, ac inconsideraté periculo objecisset, Regi præterea maxime noxium. Uno enim hoc sucessu ita se confirmavit *Auriacus*, ut non solùm non superari potuerit, sed è contrario ipse suâ arte eò rem deduxerit, ut pené Regem toto Belgio postea excluserit. Voluit tamen *Fredericus* rem malè gestam constantia, aut potius obstinatione emendare, nihilque minus, quàm de omittenda obsidione cogitare, etiamsi videret parcè posse administrari omnia, quæ contra obsessos jam vires suas nihil facientes sufficerent, unde oppugnatio in longum protracta, tandem eò evasit, ut non prius voto sit potitus, quàm mense Junio, cum Harlemienses non oppugnantium virtute, sed fame se dedere coacti sunt. Numerosa interim per *Fredericum* consumpta pecunia, magna exercitus parte frigore, ac fame amissa, cæterisque ita afflictis, ut nihil ulterius, quod alicujus esset momenti, toto illo anno efficere potuerit. Fuit procul dubio admirabile illud Harlemiense obsidium, multaque ibi accidere memoratu digna.

LIV. Accepta hac clade, cuniculis agi cœptum per Hispanos; occupato revelino, bina ibi tormenta bellica con-

* *Supple*; datum fuit.

1572. constituta, quibus continuò mœnia quassata, donec tandem altera tentata est irruptio, eaque, etiam sine successu: obsessi enim intus aggerem novum, instar mediæ lunæ fossa munitum extruxerant, erantque omnia intra muros tam bene disposita, ut tandem re infecta, amissisque plurimis, interque eos aliquot Præfectis, nec non vulneratis aliis non Præfectis solùm, sed etiam Magistro legionis Neapolitanæ *Roderico de Toledo*, viro illustri, & forti, coactus fuerit *Fredericus* receptui canere, suosque a pugna revocare. Ex cuniculis etiam unus opportunè, tempore invasionis erumpens, maximo Hispanos affecit incommodo, atque ex eo utrimque, ita iis usi sunt, ut sæpius sub terrâ convenire, colloqui, & se mutuo ferire contigerit, indiesque ex utraque parte cuniculi aliquot eruperint, qui tamen plus timoris, quam damni adferebant. Erant cùm primum obsideretur Harlemium, frigore glacieque omnia concreta, cumque ea in parte, quæ vergit ad mare, nil nisi gelu appareret, essentque exiguæ *Frederici* copiæ, non potuit civitas præcipue ibi tota obsidione cingi: ut tamen huic incommodo, quantum fieri posset, provideretur, excubabat in ipsa glacie *Franciscus Verdugo* vir insignis, in quem cum nocte quadam tenebris fidens incidisset *Carolus Boisotus* civitatem petens cum quinque cohortibus, cæsus ab illo profligatusque est. Econtra occuparunt postea obsessi locum quemdam in quo agebat Walonorum Præfectus, quo obtento tantus illis patuit aditus, ut plenâ luce palam, plus semel spectantibus Regiis civitatem intraverint, & quamvis nil omitterent ad id impediendum, ipsique equites glaciei se committerent, novoque ac inusitato bellandi genere hostem quærerent, haud tamen tantum efficere potuere, quin trahis (quas *sleddas* vulgò vocant) quibus in glacie utuntur Batavi, quidquid in civitate desiderari posset, eoque modo adferri, eo fuerit importatum. Quin etiam obsessi sæpius ad Regios usque munitiones erumpere ausi, strenue pugnarunt, ex mœnibus quoque sclopetis plurimos vitâ privarunt. Vulnerati quoque *Noircarmius*, & *Goingnius*; & *Cressonerius* *, dum noctu sportas sportis superimponi curat, quo facilius ex

* Bellicorum operum machinator, vulgò *Ingenieur*.

ex alto in civitatem despectaret, sclopeto caput ictus periit: 1572.
Lamotius etiam in maxilla, quamvis non lethaliter sclopeto vulneratus est, ita ut nec præcipuis belli sors pepercerit. Deinque hiems militem adeò afflixit, ut visa fuerint vexilla, quæ ultra vicenos non haberent custodes: accessit ad hæc incommoda, æris inopia non exigua, ita ut, quo se reficerent milites non haberent. Brevi nihil defuit, quod summam calamitatem non representaret. Posteaquam autem adveniente Vere glacies liquefacta est, potuitque navigari mare Harlemicum, tunc utrimque contenderunt classes, utra superior evaderet. Prevaluit *Auriaca*; itaque ex tempore quidquid animo collibitum, liberè, ac sine ullo impedimento in civitatem importari potuit*, unoque navigio subvecta sunt tormenta bellica, eorumque apparatus, quibus postea ex mœnibus ipsimet obsessi, à Regiis occupatum revellinum quatere cœperunt, tantaque rerum omnium copia in civitate fuit, ut magis obsidentium, quam obsessorum speciem præferre viderentur.

LV. Quod cum semper futurum certum esset, nullaque superesset spes potiundæ civitatis, dum liber illis pateret introitus, & exitus, cura *Bossuo* data construendæ classis, qua mare Harlemicum in *Frederici* potestatem veniret: qui eam eò celerius Amsterdami confecit, quod parata ibi omnia forent. Cumque jam proficisci constituisset, nocte quadam aggerem prope Domum *Ter hort*, quem ex unâ parte fluvius 't Ey, ex altera mare Harlemicum alluit, summa celeritate discindi curavit, traductaque classe tam inopinato, ac novo casu hostem perterritum invasit, ut illo in fugam verso, facile ei fuerit canalem, quo ex mari Harlemico Harlemium versus navigatur occupare, quo uno successu merito civitatem victam esse dici potest. Extruxit enim in ipso introitus canalis castellum vallo, fossaque munitum, unde postea alia plura opportunis in locis extrui potuere, totaque obsideri civitas, maximo hostium dedecore, quod tam imprudenter, quæ per *Bossuum* facta essent, ipsi neglexissent, cùm se, & Harlemium summâ cum laude, non solùm conservare, verùm etiam *Fredericum* non minori ignominiâ, quàm damno afficere potuissent. Cui negligentiæ hanc solam excusationem videntur potuisse ad fer-

* *Legendum*: importatum fuit.

1572. ferre, quod per aggerem ducere classem fieri non posse videretur.

LVI. Sed quamvis præter opinionem hoc accidisset, obsessi tamen in proposito defendendæ urbis, animum obfirmarunt, & navigiis die quodam eruptione factâ, pontem, quem *Fredericus* super fluvium prope nemus construi curaverat, ut viam sibi aperirent, audacter, sed sine successu discindere aggressi sunt: in munitiones quoque nemoris, quæ a Germanis, & Walonis militibus nebantur * irrumpentes, eas igni consumpserunt, cœsis plus trecentis; undecimque captis vexillis impunè in civitatem se recepére: unum etiam ex constructis castellis, quod ob propinquitatem maximè ipsis nocebat, cui præerat quidam vocatus *Rora* vi occuparunt. Quibus sanè, similibusque factis satis ostendebant, sibi nec vires, nec animos, licet tam arcta obsidione premerentur, deesse, certòque sperabant, *Auraicum* civitatis salutem minimè neglecturum.

LVII. Cœterum ille obsessis subvenire cogitans, primo diversione agendum ratus, misit *Arnoldum de Vighe*, cum duabus satis magnis cohortibus ad occupandum Pagum *Brenghel*, qui est in via, qua ex Trajecto inferiori Amsterodamum itur, ad ripam fluminis situs (in altera ripa erat castellum fossa munitum) ut eo obtento ac munito, jam nihil amplius navigiis Amsterodamum importari posset; fore sperans, ut sic brevi *Fredericus* præ penuria ac inediâ obsidionem deserere cogeretur. Quod procul dubio haud difficile fuisset obtinere, cùm sola tum restasset illa via, quæ Nardium versus ducebat, quæ præterquam, quod esset terrestris, ita per *Auraicos* infestari poterat, ut nullo modo exercitui, qui nulla alia, quam via Trajectensi securè, ac satis abondè alebatur, provideri potuisset, ni celeriter adventasset *Tassius*, qui cùm paucos ante dies jussu *Albani* ex castris Trajectum venisset, ut rebus publicis, quibus *Groesbecius*, qui illis præerat, ob adversam valetudinem vacare non poterat, ejus nomine, præesset.

LVIII. De *Brenghelii* occupatione . . . . . Aprilis manè horam circiter octavam certior factus, cum quingentis, aut circiter peditibus, ac equitibus centum, eò statim est profectus, hostemque non parum munitum fœliciter in fugam vertit, occisis plus trecentis, & plus centum captis, quod quam-

* *Lego*: tenebantur.

quamvis adspicerent socii, qui in castello erant, noluere tamen de deditione agere, donec viderent se tam arctè obsessos, ut jam nulla exeundi spes superesset, qua sibi per vim noctu salutem querere possent. Tunc demum ad deditionem venere eâ conditione, ut * *Vordium* usque (quod est parvulum Hollandiæ oppidulum non longe inde distans) salvi ducerentur, facileque admissa est hæc deditio, hanc præcipue ob causam, quod non longè aberat alia hostium manus, mille quingentorum peditum, aut amplius, quæ primos illos, cum ad hanc expeditionem venirent, cum aliquot minoribus tormentis bellicis subsequebatur. Quos etiamsi non reformidaret *Tassius*, maluit tamen absquè cunctatione voto (præsertim, cum ad violentam castelli oppugnationem, tormentis bellicis opus erat) quoquo modo potiri, quàm neglectis difficultatibus, vana quadam gloriâ quorumdam temeritatem punire. *Auraicus* eâ spe ductus, idem prope Amsterodamum tentavit, sed frustra, restitit enim strenue *Bossuijus*, qui tunc temporis in ea civitate erat. Postremò, & aggerem, qui est vicinus † *Vesopio* invasit, fœliciter ei cessit; traductis navigiis in potestatem suam redegit mare, quod vocant *Vesopicum*, quod una ex parte flumen, quod ex Trajecto Amsterodamum fluit, attingit, & unde importationem commeatus impediri posse, speraverat. Sed cùm ripæ undequaque satis essent munitæ, parum hoc illi profuit: itaque desperata diversionis via ad apertam vim animum vertit: Aventabat ex Italia *Lopez de Aucuna* Hispanus illustris, scientiæ militaris peritissimus, cum quinque, & bissenis cohortibus Hispanorum, & equitibus quadragintis. Verùm cùm adhuc longius abessent, videreturque *Auraicus* in instituto properaturus, missis ab *Albano* ad eum litteris jussus est e vestigio præmittere mille expeditos sclopetarios, qui Duce *Petro Gaytano*, quàm maximis possent itineribus ad se properarent, dum subsequeretur ipse cum reliquis copiis. Advenere hi satis tempestivè, cœteræque item copiæ; nondum enim *Auriacus* illam aliam difficiliorem viam tentarat. Itaque *Fredericus* tanto supplemento auctus, cùm jam adventaret *Dominus de Battemborck* ⸸ cum exercitu satis amplo, ut suis subveniret, cœso majore parte, illum cum

1572.

⸸ Baron van Batenburch. Bor. l. 6. f. 322. vso.col.1.

* Woerden. † Wesop.

1572. cum reliquis facile in fugam vertit: quibus rebus gestis *Fredericus* despositionem tormentorum bellicorum mutavit, aliaque in parte mœnia quati cœpta, atque sic tandem Harlemienses, consumpta non solum re frumentaria, sed etiam aliis quibuscumque rebus, quibus aliquo modo ulterius sustentari possent, omnique auxilii spe destituti, ad deditionem venire coacti sunt, ea conditione, ut in arbitrio victoris omnium vitæ, fortunæque essent.

Redditur Harlemum Frederico.

LIX. Ne tamen direptione deformaretur Civitas, magnique referret eam integram conservari, cives in subsidium exercitus bis centum millia florenorum se daturos polliciti, post longos labores tandem hanc salutem adepti sunt. *Fredericus* autem, ne milites, qua, ea in civitate virtute atque fortitudine usi erant, alibi etiam uterentur, eorum super mille quadringentos, partim Gallos, partim Anglos ultimo supplicio affici jussit, data venia abeundi Germanis, & Schotis, quod ad deditionem faciliores sese exhibuissent. Fertur multos inter eos fuisse, qui vi salutem quærendam existimarunt, idque certum est, quemdam ex Præfectis Gallorum*, cum jam videret, deditionem nullo modo evitari posse, perinde, ac si venturam aliorum cladem animo præsagiisset, semetipsum ferocitate barbara, sclopeto interimisse. Usi sunt Harlemenses, cum jam undique ita obsiderentur, ut omnino exitu prohiberentur, novo atque admirabili modo nuntiandi *Auriaco*, quæ vellent. Erat illis columba domestica, cujus pectori ita alligabant litteras, ut volatum non impedirent: hæc Laydam volabat, ubi nota à civibus recipiebatur: cumque iidem vellent, Harlemium revolabat. Tantum & in brutis potest educatio. Receptum Harlemium decimo tertio mensis Julii anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, obiitque ibi *Lopez de Acunna* febri acuta.

Obsessi nuntiabant Auriaco per columbam

1573.

LX. *Sancius Davila*, quem classis Præfectum supra diximus designatum, cùm jam illam instructam, paratamque haberet, Middelburgo subventurus, ex portu Antverpiensi solvit circa medium quadragesimæ, unaque *Nicolaus de Greve* scien-

* Hunc Borrius nominat *Monsieur Bordet*. Lib. 6. fol. 323. col. 2. in fin.

scientiæ nauticæ peritissimus; navigavit autem libere, donec ventum ad locum illum, qui vulgo *ter Neusen* *, ubi obviam illi facta classis *Auraica* consedit. quarto verò postea die, cùm jam ambæ concurrere pararent, tormentisque bellicis invicem ferirent, accidit Admiraliam *Auraicam* adverso vento ita ferri prope locum, quem *Stuvelant* vocant, ut coacta fuerit terræ inhærere, ibique immota stare duarum horarum spatio, tanta salutis desperatione, ut multi jam de fugâ cogitare inciperent. Fuisset haud difficile illam capere, si Regii occasione uti scivissent, navimque fortiter adorti fuissent, qua una re credibile erat, totam *Auriaci* classem potuisse vinci, unde res Regiæ, summopere instaurari potuissent. Sed cùm quid agendum esset hæsitatur, mare denuo ex reciproco æstu ita crevit, ut licuerit Admiraliæ sese à terrâ amovere, ac consueto iterum officio fungi. Itaque consumpto inutiliter die, ad stationem ex utraque parte reditum est, ubi & mansére per alios multos dies, *Sancio* occasionem captante, qua ulterius progredi posset, aliis verò ad hoc impediendum omnino sollicitis, donec tandem ille, cùm jam videret, sciretque hostilem classem ita quotidie augeri, ut meritò esset timenda, instituto in aliud tempus dilato, Antverpiam statim post festum Paschatis incolumis reversus est. Cùmque neglectam videret tantam tamque bellam rei bene gerendæ occasionem contra Admiraliam hostilem terræ affixam, adeo irâ accensus est, ut Consiliarium illum suum *Nicolaum de Greve* proditorem appellaverit, quam ille injuriam tam ægre tulit, ut postea Belgium relinquens, aliò se contulerit.

1573.

* Est Flandriæ municipium duabus ab *Axella* leucis, in eadem maris linea.

LXI. Laborabat interea omnium rerum inopia Middelburgum, cui malo cum promptis remediis occurendum esset, obtulit se *Dominus de Glimes*, nobilis Belga, vir admodum fortis, dicens se id tentaturum, dummodo statim sibi dentur aliquot navigia parvula onusta frumento, quibus constituebat recto itinere Middelburgum petere, fore sperans, ut aut classis *Auraica* jam libera à *Sancii* invasione, in suos se portus recepisset, aut si hoc falleret, saltem posse se navigiis suis minutis majora hostium navigia ita fallere, ut Middelburgum attingere, quamvis invito hoste liceret. Nec eum fefellit opinio, solvit enim ex Antverpiensi portu cum aliquot navigiis, octingentis mensuris tritici onustis, tantaque celerita-

Subsidium Middelburgum navigiis illatum.

1573. ritate usus est, ut hoste nihil tale suspicante, foeliciter Middelburgum apulerit. Cæterum *Albanus* ex inutili successu præcedente, prudenter colligens res maritimas majoribus viribus, ac copiosiore classe indigere, noluit ullo modo rebus Valeriæ deesse, itaque quam primum de augendâ illâ prima, atque ita componenda, ut merito ex illa suo tempore victoria sperari posset, agere cœpit. Utque res maritimæ assiduâ Præfecti præsentia inposterum exactè, uti erat necesse, administrari possent, *Dominum de Beauvois* supremum maris Admiralium constituit. Is vero misit Antverpiam *Dominum de Blicquy*, quem sibi locum tenentem elegerat, ut quam celerrime fieri posset, cum classe ad se veniret: sed cum esset res illa maximi momenti, voluit *Albanus*, *Sancium* ipsum cum classe eò proficisci, iterumque præesse, donec *Beauvoisium* inveniret, cui ipsemet classem plus centum navium magnarum, & mediocrium traderet. Solvit *Sancius* decimâ Aprilis, Anno millesimo, quingentesimo septuagesimo tertio, & vigesima secunda prope *ter Neusam* consedit.

LXII. Erat ibi in littore extructum castellum cum præsidio trium cohortium Walonorum, aderat præterea *Comes de Reulx* ex *Croya* familia, tunc temporis Comitatus Flandriæ Gubernator, cum manu mille peditum, quibus classi subveniri, si necesse esset, *Albanus* volebat. Postero verò die post meridiem cùm *Sancius* ibi adhucdum consisteret, apparuit in statione prope Vlissingam classis hostium: qua de re communicato consilio cum *Domino de Blicquy* aliisque omnibus navium Præfectis, virisque rei nauticæ peritis, post multas hinc inde allegatas considerationes, tandem in eo convenere omnes, ut hosti pugnandi potestas fieret. Cum enim regia classis esset copiosior, fortioribusque, quàm *Auriaca* munita militibus, omnesque unanimes, allacrique animo pugnam exposcerent, videbatur de fœlici exitu non esse dubitandum, præterquam, quod plurimi etiam judicarent per vim securius, quam aliter transitum Rammekin versus tentari posse: sed *Sancius*, qui nihil aliud in mandatis habebat, quam Valeriam attingere, ac *Beauvoisio* classem tradere, omnino noluit, non sine magno omnium moerore, aliquid tentare. Itaque rejecto prælio de solo tentando transgressu decretum est, dataque cura Magistris, quos vocant inter nautas, quorum est judicare

Damnum acceptum ob recusationem Sancii: Davila classe dimicandi.

re iis de rebus, quæ ad navigationem pertinent, uti solverent, cum opportune id fieri posse videretur. Erat certé res difficillima: oportebat enim haud longè a Vlissinga ex profunditate tractus Antverpiensis in illum, qui *Rammekin* versus tendebat, classem ducere, idque in ipso puncto commutationis æstuum, unde effectum est ut cùm * paret faveret ventus, complures naves non prius tractum *Rammekensem* potuerint attingere, quàm essent delatæ ante Vlissingam, eoque modo tamquam coactæ in manus hostium inciderint, nullaque aliarum navium illis subsidio venire curaverit, cùm unusquisque ex sententia diei præcedentis, intelligeret solùm id sibi incumbere, ut quocumque modo posset *Ramekium* attingeret, *Sancius* etiam, pænes quem summum erat imperium, acceperat incommodum haud exiguum. Ignis enim in vas pulvere bombarduo plenum inciderat, quod eum tam occupatum habuit, ut nulla alia de re, quàm de salute propria cogitaret, unde nulla spes relicta iis, qui intra fines hostium delati erant, quàm vi propria salutem quærere. 1573.

LXIII. Pugnavit itaque *Dominus de Blicquy* totas sex horas fortissimè, sed tandem victus cùm omnibus (qui multi erant nobiles, aliquotque ejus consanguinei, trecenti milites, & nautæ ducenti) periit, nec nisi amissis quindecim navibus, ex præcipuis, Regia classis in securo portu sisti potuit. *Sancius* eam ibi statim *Beauvoisio* tradidit, qui cùm statuisset cum classe Antverpiam se conferre, eam celeriter refici curavit, naves etiam aliquot Hispanicas, quæ ibi stabant ad bellum jussit parari, quo securius hoc iter conficeret. Hostis interim de deliberatione *Beauvoisii* certior factus, volens profectionem impedire, brevi ex Hollandiâ tanto navium numero auctus est, ut jam potentior factus, classem regiam undique obsessam eò redegerit, ut re frumentaria omnino consumpta, coacta fuerit vitam sustentare quodam concharum genere (quas *mosselen* vulgo vocant) quarum prope Valeriam maxima est copia, dimidiâque pintâ, quam vocant, vini Hispanici, quæ est satis exigua mensura in diem: tandem cum & id deficeret, ad tantam inediam ventum est, ut nil ad salutem reliqui esset, quàm † ut vi egregie, uti viros fortes decebat, viam aperire,

* *Lego*: parum † *Lego*: aut.

1573. re, aut cum summa ignominia hostium voluntati sese dedere. Unde ingens indignatio orta omnium in *Beauvoisium*, eò rem deduxit, ut duo ex præcipuis navium Præfectis, assentiente *Sancio*, illum adierint, omniumque nomine debiti officii, ad classem, quocumque posset modo Regi viriliter conservandam, seriò admonuerint; cùmque suspicarentur complures, in decernendo tarditatem *Beauvoysii*, ex eo nasci, quod durum illi videretur uxorem, quam secum habebat, unicèque amabat prælii periculis objicere, petiere ab eo, ut aut Middelburgii eam relinqueret, aut si hoc non placeret, saltem pateretur eam cum tribus schaphis bene armatis vehi in *Zuytbeverlandiam*, confidere enim omnino, ac certò sperare sese, etiam, si per medios hostes, esset eundum, illam tamen incolumem eo deducturos, quorum petitioni, *Beauvoisius*, quamvis admodum invitus, visa necessitate publicâ, tandem assensit. Opportunâ itaque solventes horâ, tam industrié, atque intrepidé vecta uxor, ut absque ullo incommodo insulam attigerit, eaque exposita, ductores ad suos incolumes reversi sunt.

LXIV. Maritus etiam uxoris periculo liberatus, prima fœlici aura solvere statuit; jussitque eum in finem omnia præparari, omnesque paratos esse: relictaque ad securitatem Middelburgi, & * Anunæ legione suâ, ac constituto in castello Rammekin Præfecto *Lanienville*, tandem vigesimâ Julii dato signo profectionis, de quo secretò cum præcipuis convenerat, ut eo viso omnes solverent, tanta celeritate, ac labore navigatio incœpta est, ut antequam certò hostis discernere posset, quid *Beauvoysius* in animo haberet, jam ille primas superaverit, non tamen tam fœliciter, quin invasas à tergo duas Hispanicas naves, nec non alias tres, perdiderit. Consedit classis regia ea nocte, cessante maris secundo æstu, prope insulam Zuytbeverlant. *Auraici* etiam classis haud amplius uno miliari ab ea distans, & ipsa ibi stetit. Postero verò die prima luce rursus opportuno tempore solvens *Beauvoisius*, iterum à tergo ab hostibus lacessitus est, nec tum adeo fœliciter: inhæsit enim vadum propre pagum, quem

* *Lego*: Armudæ. *Armuyden*, vel *Arnemuyden*, oppidum in insula Walachriæ.

quem vocant *Saftinghen*, altera navis Hispanica, ibique 1573.
periit, ægrè expositis, conservatisque militibus, ac nautis, ob hostium propinquitatem, atque ita tandem cum classe Antverpiam appulit.

LXV. *Dux Medinæ cœli*, cùm per aliquot dies Neomagi apud *Albanum* moratus esset, cerneretque illum omnia ad libitum agere, suamque ibi præsentiam nihil publicæ utilitatis adferre, in Brabantiam reversus est. Atque haud diu post, terrestri itinere per Galliam in Hispaniam rediit. Coeterum *Albanus* obtento Harlemio, Neomagio Trajectum inferius se contulit, ibique vocatis ad se *Frederico*, ac *Noircarmio*, de rebus, quæ deinceps essent agendæ, cum illis egit. Erat tunc Mensis Junius, tempus anni commodissimum ad debellandos aquaticos alioquin inaccessibiles: itaque properandum ratus, filium, ac *Noircarmium*, quam primum ad exercitum remisit. Sed Hispanici milites, jam ob insoluta stipendia, predæque Harlemensis privationem indignabundi, haud diu post in apertam seditionem prorupére, constitutoque electo: (sic vocant, quem Principem factionis sibi assumunt) palam solutionem stipendii vi petiére, intempestivé, fœdè, ac indigné nimium: cum enim plus aliis penuriam, qualiscumque ea esset, pati debuerint, sola sua seditione, ac tumultuatione effecere, ut exercitus rei bene gerendæ occasione minime uti posset, unde maximo procul dubio detrimento res regiæ afflictæ sunt. In sedanda enim illa sola seditione, quod reliquum erat æstatis fere consumptum: ita ut ad Alkemarii obsidionem tum demum ventum sit, cùm jam civitas satis esset munita, ventique autumnales flare, ac sevire inciperent: quodque perniciosissimum fuit, eo incœpto audaciores effecti, in posterum post alteram eorum seditionem tandem Belgis opportunam denuo rebellandi occasionem præbuére: ita ut non minus eorum seditionibus, quam incolarum motibus Respublica prorsus videatur eversa, cum tamen omni modo placandi essent. *Albanus*, quo citius meliusque id assequeretur Amsterodamum se contulit. Ubi tandem ea res composita est.

Seditio Hispanorum Regi damnosa.

LXVI. *Auriacus* cùm intelexisset rem in Zellandia optimè gestam, per illos, quos consecutos *Beauvoisium* cùm Antverpiam tenderet, supra diximus, prosperâ fortunâ elatus, quam-

1573. quamprimum de Thola occupanda agere cœpit, eumque in finem militem, coeteraque omnia, quæ ad expeditionem viderentur necessaria, eò misit. Multa, variaque armis ibi acta, aggeres, aliquotque pagi, qui a Regiis tenebantur, occupati; tandem & eo perventum, ut civitati imminerent per cuniculos: sed tandem *Mondragonius*, cui erat concreditus ille tractus, pristinâ sua virtute usus, fortissime hostem repulit, ac discedere coegit, institutumque *Auriaci* vanum reddidit. Qui cum postea montem divæ Gertrudæ (vulgo *Gertruydenbergh*, cujus ipse ante rebellionem Dominus) arte, doloque tentasset, foeliciter eâ potitus est. Erant ibi in præsidio duæ Walonorum cohortes, quas qui eo ab *Auriaco* mittebantur, tam negligentes in excubiis invenére, ut sine ullâ cæde, maximo cum dedecore civitatem occupari passi sunt.

Amissio Gertrudis Berga

LXVII. *Beauvoisius* Antverpiam reversus, cùm necesse esset Valeriæ rebus non deesse, quàm maxima potuit diligentia, classem refici, atque etiam augeri curavit quâ in re consumpti fere toti tres menses, tantaque illa fuit, ut numerum centum, & quinquaginta omnis generis navium excederet. Inter alias excelluit una, constructa Antverpiæ sumptibus *Egidii Hoffmans* mercatoris celeberrimi, quæ tormentis bellicis, aliisque omnibus rebus necessariis optimè instructa, Præfecto cuidam Hispano cum suæ nationis nautis commissa est: qui cum parum docti, atque experti in eo mari essent, prope Saftinghen in profectione, tam repente illa subversa navis periit, ut tempus, spatiumque, omnes milites, nautasque conservandi defuerit. *Beauvoisius* (classe imposito *Mondragonio*, cum ejus legione Walonica, utpote, qui rebus Valeriæ deinceps jussu *Albani* præesset) mense Septembri Antverpiâ solvens, in itinere certior factus, Rammekin in hostium potestatem proditione redactum (quo incommodo nullatenus insulam recto tramite attingere classe licebat) apertum mare petivit, ac circumvectus majorem insulæ partem, prope locum illum, quem vulgo divæ *Mariæ-Polder* vocatum ante diximus consedit, ac *Mondragonium* statim cum aliquot cohortibus in terram exposuit. Adfuère è contra ex Vera (quod est secundum insulæ oppidum ibi propinquum ab hoste possessum) qui *Mondragonio* resisterent, sed frustra. Advenere enim ex Middelburgensi

gensi Regio præsidio complures. Itaque coacti sunt Auraici, 1573.
Veram redire, liberamque Beauvoisio potestatem exponendi in terram, quæ vellet relinquere: quâ in re maxime properatum; tota *Mondragonii* legio Middelburgum ducta, suamque *Beauvoisius* Middelburgo eductam navibus imposuit, magna rei frumentariæ copia, aliaque plurima, quæ ad usum Middelburgi adduxerat, in dies exposita. Nihil interea intentatum relinquebat hostis, quo id impedire, classique nocére posset, misitque haud semel noctu aliquot navigia artificiosis ignibus repleta, quibus classi haud parum damni illatum foret, ni *Beauvoisii* cura, operâque nautarum, fortiter obviam itum fuisset. Dum hæc aguntur nocte quadam tanta tempestas exorta est, ut duo navigia perierint, tantaque signa continentis tempestatis apparuere, ut tandem, necdum omni frumento in terram exposito, coactus fuerit *Beauvoisius* securitati classis providére. Itaque ex ipso, quo venerat itinere Antverpiam reversus est, solis desideratis aliquot navigiis haud magni momenti, vulgo *pleyten* dictis, quæ cum inter postrema Vlissingam prætemavigarent, hostesque ea insequerentur, ad oram Comitatus Flandriæ sese recepére, ibique, quæcumque vehebant, exportatis, inania in manus hostium pervenére.

LXVIII. Sedatis Hispanis, *Fredericus* jussu Patris exercitum Alkmarium versus, quod est Hollandiæ oppidum in Watterlandiâ (quæ vulgo dicitur) orientem versus situm, movit. Fertur quosdam ejus regionis incolas extitisse, qui debiti officii erga Regem non immemores, Regiis portam unam civitatis tradere decreverant, ejusque negotii curam *Noircarmio* commissam; ipsum verò in itinere tam negligenter se habuisse, ut tardius adveniens, tantam, tamque optatam occasionem amiserit: (quod si modo verum) incommodissime *Frederico* accidit. Is cum civitatem postea exercitu cingeret, murosque tormentorum bellicorum ictibus labefactasset, ac irruptionem facere juberet, non solum nihil profecit, sed amissis quamplurimis, plus mille vulneratis, tandem hieme superveniente, ægre reductis tormentis bellicis, ob itinerum difficultates, infecta re civitatem deserere coactus est. Multi eum judicarunt non caruisse culpâ, quod cum non satis diruta-

Culpa D. Noircarmii.

Discessus regiorum ab Alcmaria.

1573. ta essent mœnia lentè nimis, & non ordine, quo debebat, ad irruptionem milites misisset.

LXIX. Eodem fere tempore, Comes *Bossuvius* classem ex Amsterodami portu educens, hostilem, quæ non amplius duobus miliaribus inde aberat, animose ad pugnam provocavit: sed illa etiamsi numero superior, statim cedens, intra suos se limites recepit. Quod non tam metu, quam sponte, & consulto factum judicatur, ut *Bossuvium* longius eliceret. Verùm, cùm jam non procul a suis munitionibus abesset, unde milites aliaque, quæ forsitan erant necessaria, subministrari possent, tunc non amplius pugnam detrectans, præliandi potestatem *Bossuvio* fecit, qui eâ lætus, fortirer hostem invasit, suis fidens, certoque sperans, suo exemplo idem facturos, sed ex eis plurimi pristinæ virtutis immemores, Duce *Boschusio*, vices ejus gerente, fœdè nimium, & forsitan sponte fugam arripuere. Itaque *Bossuyus* à suis desertus, cum paucis, qui constanter eum erant secuti, cum totas quatuor, ac viginti horas, pugnam sustinuisset, plurimis ex suis amissis, multis sauciis, tandem dedere se coactus, in hostium potestatem venit. Ob fortitudinem ibi ostensam gloria dignus: Verum in eo reprehensione non carens, quod tunc, cum hostem procul à suis prope Amsterodamum obviam habuisset, non pugnasset, jamque imprudenter cum hoste congressus esset, cum e contra ipse longe a suis abesset: hostis vero inter suos, quorum auxilio, undique fulciebatur, præliaretur. Accidit hoc primâ Octobris. *Albanus* verò hisce duobus sinistris successibus Hollandico bello finem imposuit.

Clades & captivitas Comitis de Boussu.

LXX. Adventabat ex Italia *Ludovicus Requesennius*, ordinis divi Jacobi magnus Commendator, quem *Philippus* in instituto permanens, *Albanum* a regimine removendi in ejus locum surrogaverat, virum negotiis aptùm, & quem ingeniis Belgicis omnino putabat accommodatum, tam facilem tamen, tamque illi alteri bellicæ virtutis opinione dissimilem ut multi judicarint, postea, Regem longè errasse, quod *Albano* ea, quæ in Belgio perdiderat (præsertim, cum omnia armis essent agenda, quorum ille usu, ac scientia, alteri longè præstabat) recuperare non permiserit. *Requesennio* in adventu imperium assumendum erat. Itaque *Albanus* eum Brux-

Bruxellæ exspectaturus, statim de reditu in Brabantiam agere 1573.
cœpit, ac brevi postea *Noircarmio* commisso exercitu, eò cum filio profectus est, relicto apud Hispanos *Joanne Baldesio* Præfecti titulo, qui inde ultra Leydam (quæ est Hollandiæ præcipuum oppidum) profectus *Maeslanslusam* fœliciter recepit. Laborabat iterum tunc temporis summa annonæ penuria Middelburgum ab *Auraico* obsessum, usque adeo, ut jam fieri non posset, *Mondragonium* longius deditionem differre, ni prompte subveniretur. Quod experiri cupiens *Beauvoisius*, cùm impotentiorem sese sentiret, ob ingentes hostium maritimas vires, stratagemate utendum ratus, Antverpiâ solvit, totaque classe educta eò pervenit, unde ex fluvio Schaldi minoribus navigiis, Bergas versus navigatur, ibique majoribus relictis, ut hostem falleret, cum iis naviglis, quibus uti poterat, multisque commeatu onustis, inopinate ea via Middelburgum versum vela fecit, Bergasque prætervectus Romersualii (quod est ulterius undique mari cinctum oppidulum) relictis sexcentis Walonis, ut secura manerent, quæ a tergo erant, quàm celerrime potuit properavit. Sed obstitit contrarius Auster, quo minus, quod constituerat perficere posset; Ejus enim favore, cùm hostis multo superior extra Valeriam obviam se dedisset, coactus cedere, paucis ex suis desideratis, Bergas se recepit, ita premente hoste, ut non potuerit, aut Romersualii manere, aut milites, quos ibi reliquerat, recipere, qui continuò ab hostibus obsessi, cùm omnia deessent, quæ ad defensionem erant necessaria, dedito oppidulo, in proximos aggeres expositi ad suos rediere.

Advenerat jam tunc Bruxellam *Requesennius*, unde paulo post *Albanus*, abdicato imperio Namurcum, atque inde in Italiam sub finem Decembris anni Millesimi quingentesimi septuagesimi tertii cum Filio *Frederico* profectus est.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS,

Commentariorum de Tumultibus Belgicis.

LIBER SECUNDUS.

1574. I. R*Equesennius* assumpto imperio, quam diligentissimè potuit rerum Belgicarum cognitioni incubuit, statimque Middelburgum obsidione liberare constituit. Itaque Bergas profectus, celeriterque instaurata classe, absente *Beauvoisio* ob afflictam valetudinem, *Juliano Romero* eam tradidit. Continebat sese hostis prope Romersualium, quem aut in fugam vertere, aut vincere erat necesse, nulla alia ad institutum patente via. Quod tentaturus *Romerus* non tam fœlici, ac prospera aura, atque opus erat, ex portu solvit: fortiter tamen hostem invadens, cum diu pugnasset, suo, aliisque aliquot navigiis amissis, reque perdita, saltu sese in mare jecit, ægreque hostium manus favore proximorum aggerum evasit. Accidit hoc vigesima quarta Januarii anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, fuitque hæc clades ob id præcipue insignis, quod Middelburgum omni spe subsidii adempta ad deditionem coegerit, remque maritimam, jam antea ob infœlices successus claudicantem, eo anno omnino perdiderit. Dedidit civitatem *Mondragonius*, cum nihil amplius superesset, quo sustentaretur miles, tamque honorificis conditionibus cum hoste (cui nihil tam curæ erat, quam civitate quoquomodo potiri) transegit, ut explicatis vexillis, omnique armorum genere munitis discedere licuerit, hac conditione addita: ut intra tres menses proximos, aut *Aldegundus* apud regios captivus, *Auriaco* redderetur, aut *Mondragonius* ipse rediret, seseque in potestatem hostium dederet: quarum prior conditio suo tempore confecta est. Fuerat captivus *Aldegundus* Maeslanslusæ, vir animo ad malum omnino propenso, ingentique in Religionem

Clades Juliani Romeri, mari accepta.

Amissio Middelburgi.

nem

nem Catholicam, ac Monarchiam flagrans odio, atque * Reipublicæ mutationes, cœptaque *Auraici* promovenda ita docto, aptoque ingenio, ut nihil *Auraico* optatius fœliciusque, nil Regi nocentius accidere potuisse judicetur, quam hunc hominem dimittere. Procul dubio multum *Auraicis* rebus postea profuit. 1574. * *Supple*: ad.

II. Reliquerat imperium *Albanus* copiis militaribus onustum, aut, quod tutum non putasset milite non abundare, aut non potuisset exhausto ærario bonam eorum partem dimittere: unde & æs alienum in immensum creverat. Cui tamen incommodo aliquo modo provideri potuisset, eâ pecunia, quam novus Imperator attulerat, dummodo alia, quæ in procinctu erant, minus eum commovissent. *Auraicus* enim, aut quod res Hollandiæ, *Baldesio* eam provinciam invadere properante, ita postularet, aut quod aliter pro se maximé facere putaret, *Requesennium* in ipso adventu, quo minus quietè rebus incumberet, bellicis motibus lacessere, paulo post discessum *Albani*, per *Ludovicum* fratrem primum copias colligere, postea & invasionem in Fauquemontii fines equestri, pedestrique milite tentare, cœpit. Quarum rerum fama, eundo aucta, facile eò novum Imperatorem adduxit, ut aut, quòd suis omnibus non fideret, aut ut motuum Germanicorum parum conscius, plus æquo timeret, septem millia equitum Germanorum, tres legiones peditum ex Helvetiis, alteram ex Germanis, tertiam ex Walonis è vestigio conscribi jusserit. Quæ copiæ præterquam, quod incassum essent confectæ, in tantum etiam sumptus regios auxére, ut jam tunc non esset, unde æri alieno solvendo, dimissionique militum satis provideri posset. Itaque crescentibus indies stipendiis, tandem res eo deducta est, ut nullo modo solvendi fuerit potestas, similiterque ad omne genus licentiæ januam aperuerit.

Error Commendatoris Majoris, plures conficiendo copias, quam quibus solvendo esset: & damna inde exorta.

III. Excubabat *Auriacus* erectis auribus, aliique, qui in Republicâ illi faventes novis rebus studebant, ex præsenti rerum statu fere conjectantes res Regias eâ viâ recta in præcipitium ferri, cùm certum esset, non solutum, ac copiosum militem passim ad rapinam, omniaque mala, atque execranda sese daturum, atque inde Regem, ejusque milites omnium in se odia conflaturos, quod demum illis erat ad insititu-

Astus Auriaci.

1574. ſtitutum neceſſe. Quamobrem occaſionem minime negligentes, ille animos ſuorum ſuſcitando: hi omni arte, ac ſtudio pertinacique negatione nummorum ſubſidiariorum (quos Reges antiquitus à ſubditis tempore neceſſitatis petere, ac accipere conſueverant) *Requeſennium* variis expeditionibus implicatum cogentes, contributionibus, aliiſque viis violentis, atque extraordinariis, contradicentibus Ordinibus (cujus generis fuit, quod in * excendendis Abbatum Brabantiæ arboribus actum) neceſſitati providere, tandem non ita affluente ære Hiſpanico*, ut tantis, tamque variis ſumptibus ſufficeret, eò rem duxere, ut milites neceſſitate compulſi in tumultuationes palam eruperint: Belgæ verò ad defenſionem ſui in eos arma ſumpſerint, ac tamquam coacti in apertam, ac generalem rebellionem proruperint, ſagaci procul dubio, ac artificioſa agendi ratione: nimirum, ut culpa Regi injecta, infamiam facti evaderent, exteroſque ad ſui commiſerationem, ac benevolentiam commoverent. Quâ de re alibi latius, nunc dixiſſe ſat ſit, conſilia ultra vires non eſſe extendenda, ſatiuſque eſſe Regibus æſtate fortiter belligerare, hyberno, atque alieno tempore quieſcere, quàm continuis, atque intempeſtivis ſumptibus, ita vires exhaurire, ut nihil, quod magni ſit momenti agendo, neglecta alterna requie, eò tandem evadere, ut omnia onere ſuo, atque mole corruant.

IV. Miſit *Requeſennius* ad reprimendos *Ludovici* impetus, pedeſtres, atque equeſtres copias Duce *Sancio Davilâ*, qui ex Maſtrichto per aliquot dies hoſtium conſilia explorans, cùm intelligeret *Ludovicum* per Juliæ fines Geldriam, indeque Hollandiam verſus properare, illumque ſciret, cogi inter Neomagum, & Gravam duobus miliaribus inter ſe diſtantia, iter facere, & ipſe per alteram ripam Gravam tantâ celeritate profectus eſt, ut licuerit ex ratibus pontem conficere, exercitumque traducere, cùm hoſtis Mockii, quod eſt pagus non ultra unum miliare Grava diſtans, conſiſteret. Habebat *Sancius* legionem Siciliæ, *Juliano Romero* Præfecto abſente, Lombardicam, ac Flandricam Præfectis *Ferdinando Toletano*, ac *Gonzalo Bracamonte* præſentibus: duas Walonorum, quarum una parebat *Mondragonio*, altera Gallio: equitum levis arma-

* *Lege*: exſcindendis.

armaturæ turmas . . . . . sub suo quamque duce, inter quos erant præcipui *Bernardius a Mendoça* & *Joannes Baptista del Monte*: unam ex Germanis Duce *Schenquio*. Venit etiam *Baro de Hierges*, *Comitis Barlamontani* filius natu major, qui post obitum *Comitis de Meghem*, Geldriæ, transque Insulanæ Regioni præerat, & cui postea jam mortuo *Comite de la Roche*, rei bellicæ etiam in Hollandia cura data est, vir solidi ingenii, ac scientiâ militari insignis, aduxitque Neomago aliquot vexilla Walonorum. Cœterum *Baldesius*, qui ex Hollandia, jussu *Requesennii* etiam adventabat, tardius adfuit, sicut etiam *Petrus Tassius*, cum turmis levis armaturæ equitum tribus, quas ex Bredano præsidio adducebat. 1574.

V. Erant cum *Ludovico* tria millia equitum Germanorum, peditum sex millia: inter eos Gallorum aliquot vexilla: aderat & illi *Joannes Georgius Palatinus* Electoris frater. Fertur etiam ex Hollandiâ expectasse copias, quas *Auraicus* subsidio mittere promiserat, sed non venére. Erat locus ubi consederat ad lævam flumine munitus, prata habens propinqua, pedestri pugnæ accommoda: munitionibus insuper septa: ad dexteram existebant campi eminentes, equestribus præliis aptissimi. Miserat uno ante pugnam die equites, qui in silva (quæ est in via, qua Gravam itur) latitantes ex insidiis hostem venientem invaderent, suspicatus id, quod accidit, nimirum, quod *Sancius* suos ad explorandum mitteret: Regii enim venientes inopinaté invasi, regredi coacti sunt, aliquot eorum amissis, captusque *Ferdinandus Ponce* Hispanus nobilis. Altera, quæ illum secuta est, luce, quæ fuit decima tertia Aprilis anni millesimi, quingentesimi septuagesimi quarti, *Sancius* summo mane exercitum hostem versus movit: militeque ad pugnam instructo, primùm munitiones per aggerem, qui est ad Mosam tentare, postea, & invadere incœpit. Quod cum animadverteret *Ludovicus*, resque ibi suas periclitari cerneret, ad equites fertur advolasse, fortiterque *Schenquium* invasisse, & fugasse, invenisse verò suo ordine turmas equitum levis armaturæ, quæ cum fortissimè in eum, cæterosque irruerent, tandem in fugam conjecére: quod cum etiam peditibus virtute Hispanorum accidisset, omnis *Ludovici* exercitus profligatus est.

Pugna Mokensis Sancio victore.

VI. Cecidere ex victis quam plurimi, inter quos ipse *Palatinus*,

1574. *latinus*, ac *Ludovicus*, quem volunt aliqui saucium, bis terve transitum Mosæ tentasse, ibique submersum: cæteros nox, silvæque proximæ, cliviaque vicina texére. Ex Regiis pauci sunt desiderati, summamque meruit laudem *Sancius*, quod tanta celeritate hosti jam Hollandiæ appropinquanti, tam opportunè occurisset. Rebus verò regiis nihil commodius, nihilque optatius evenire potuit.

Hispanorum seditio altera, Regi noxia.

VII. Restabat tota æstas, quâ post tam insignem victoriam, rebusque *Auraici* multum deperditis, magna spes affulgebat bellum commodissimè geri posse, nisi obstetisset intempestivè Hispanorum secunda tumultuatio, quam statim a prælio aggressi, cùm nullo modo placari possent, deessetque *Requesennio* pecunia solvendis stipendiis, omnino cursum victoriæ interrupit: resque regias non minori incommodo, quàm semetipsos affecere ignominiâ: cùm viri fortes (quales haberi volebant) plus aliis (uti dictum est) astricti, tam levi occasione hosti officium optimum, Regi vero pessimum præstare non erubuerint. Neque id etiam satis fuit; Antverpiam (non reveriti præsentiam Imperatoris, qui ibi tunc temporis agebat, constituto sibi Electo) profecti, ac dissimulante arcis Præfecto, ingressi sunt eo consilio, ut à civibus sustentarentur, donec sibi debita stipendia solverentur. Præerat tunc temporis urbi *Campagneus* Burgundiæ *, Cardinalis *Granvellani* frater, qui Hispanis supra modum infestus, aliquot Walonorum suæ legionis cohortibus, quas secum habebat, Hispanos ab introitu posse prohiberi satis confidebat. Sed noluit *Requesennius* rem discrimini objicere, jussoque *Champagneo* aliò cum suis proficisci, ne sinistri quid præsentia sua pareret, ipsemet remedio incumbens, non prius tumultuantem militem (quamvis quàm maximam posset, adhibere videretur operam) sedare potuit, quàm à civibus impetrata pecunia, qua tota stipendia solverentur. Quibus rebus confectis, tum demum Præfectos legitimos receperunt, jussique civitatem relinquere, cùm totas sex hebdomadas omni licentiæ genere ad libitum grassati essent, tanto populi, totiusque Belgii mœrore, atque indignatione, ut non modicum odium in Hispanos undequaque conflaverit: præsertim cùm non deesset suspicio

Reque-

* *Lego*: Burgundus, *vel*, Burgundio.

Requesennio; cum jam jactam aleam esse vidisset, postea non displicuisse, ut miles inutilis ob penuriam, pecuniâ Antverpiensium reficeretur. 1574.

VIII. Obierat paulo ante *Noircarmius*, quem Præfectum militiæ Trajecto inferiori ab *Albano* relictum diximus, inque ejus locum successerat *Comes de la Roche* Burgundio. *Baldesius* in Hollandiam reversus, dum interius properat, foeliciter pugnavit, Hagamque attingens mirâ tandem Leydam obsidione cinxit: quam & tractu temporis eò redegit ut ob annonæ penuriam periculo deditionis non careret. Quod cùm *Auraicum* non lateret, subvenire civitati constituit, cùmque subsidio terrestri non sufficerent vires, navigiis hoc tentandum ratus *Ludovico Boysoto* eam curam demandat. Erat sanè res longe difficillima, & quæ multorum opinione fieri non posset; solummodo enim per canales Leydam navigabatur, qui undiquaque adeo erant muniti, atque obsessi, ut nullus unquam navigiis pateret transitus. Et quamvis per hiatus aggerum * pro Roterodamum, quos studio subveniendi obsessis (nulla habita ratione incommodi) fecerant, ita influerent aquæ, ut prata vicina Leydæ inundarent, non tamen videbatur, eas tantum posse excrescere, ut navigationi servirent: quod tamen aliter accidit. Ita enim excreverunt, ut potuerit *Boysotius* per prata vectus, munitiones invadere, quod cum repente, & præter omnem opinionem fecisset, in tantum terrorem militem regium conjecit, ut fugâ sibi quisque salutem quæreret: adeoque terror hic omnium animos invaserat, ut & qui longe aberant Waloni, ac Germani, quamvis non viso hoste munitiones sibi creditas turpiter deseruerint, *Boysotioque* non tantùm Leydæ subveniendi, verùm etiam omnia loca recuperandi, quæ inter Harlemium, & Leydam in tractu maris mediterranei a Regiis tenebantur, potestatem reliquerint. Sunt, qui asserant unam munitionem quæ prope civitatem erat, ab Hispanis turpiter desertam, eaque sola omnia conservari potuisse. Fertur etiam civitatem paulo ante ad deditionem inclinasse, eâque de re agere voluisse cum *Comite de la Roche*, tamquam supremo exercitus Præfecto: *Baldesium* verò hoc impedisse, quod eâ de-

Obsessio Leydæ, & subsidium insolito modo ab Auriaco adductum.

* *Lege*: per.

1574. de re secum agendum esse affirmaret, nolletque frustari præmio laborum, quos ipse in obsidenda urbe prior suscepisset; eamque ob causam simultatem maximam inter illos ortam, quod (dummodo verum sit) inconsulte sane, atque imprudenter factum: satius enim *Baldesio* fuisset, quoquo modo Leydâ potiri, quàm tam brevi momento tantos labores cum dedecore perdidisse. Consedit *Baldesius* post rem male gestam in Haga Comitis, at *Requesennius*, sedata Hispanorum tumultuatione, *Vitellium* cum exercitu Bommeliam versus miserat, ut quod posset hosti noceret: quâ in expeditione oppidula Vorcum*, & Lerda vi capta.

IX. Ipse vero Antverpiæ politicis intentus, cùm classem construere statuisset, fretus justitia, atque æquitate causæ, quam præcipue Ecclesiasticos primariosque omnes, ante alios amplecti decebat, ut eò citius, & Regis, & orthodoxæ religionis hostis debellari posset, arbores sibi pro cujusque modo, ac facultatibus dari, unde classis parari posset, litteris ad eos missis petiit. Quod cùm pertinaciter præter expectationem negarent, supremâ usus potestate, illis invitis complures cædi, Antverpiamque devehi curavit. Mandavit etiam *Joanni Andreæ Cigongna*, ut ea pecunia, quæ per singulas hebdomadas toti, Compiniæ extorquebatur (quam contributiones vocabant) Præsidiarios in finibus undiquaque sustentaret, ad quæ duo necessitate procul dubio impulsus est. Nam in ordinibus non nulli eò tendebant, ut res regiæ aliquando ob summam penuriam collaberentur: ideoque voluntariam subditorum erga Regem liberalitatem, quamvis petitam, consuetamque, ita impediebant, ut nihil obtineri posset, unde aleretur miles, rebusque necessariis subveniretur: quo nihil *Auraico* accidere potuerit gratius: sciebat enim violenta hæc, maximam Populi conflatura indignationem quæ præteritis addita paulatim animos ad desperationem (quam sommopere expetebat) trahere necessario videbatur.

Violentia Commendatoris necessaria, & noxia.

Astus Auriaci.

X. Eodem anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Electores Imperii Rheno vicini, cùm cessatione commercii ob Belgarum turbas damna haud mediocria in suis consuetis vectigalibus paterentur, de componendis contro-

ver-

* Worcum & Leerdam.

versiis summo studio, nec non spe boni successus, cogitare coeperunt: communicatoque consilio cum sociis, Imperatoris ea de re explorata mente, cùm omnes uno ore animoque huic deliberationi assentirentur, *Salentino* * ex familia Comitum *d'Issembourg* Electori tunc Coloniensi negotium est commissum; Primum, ut ex *Requesennio* sciret, an id voluntate Regis tentare liceret: exploratoque Regis animo, nullum officii genus omitteret, qua quieti, ac tranquillitati publicæ consuleretur, quam cùm ipse Provinciam suscepisset, litteris malè fidens, sibi a *Requesennio* petiit mitti ad se *Joannem Funquium* Consiliarium regium, & familiarem suum, habere enim seria quædam, quæ ipsi per hunc communicata vellet, qua in re, cum *Requesennius* illi morem gereret, de mente Electoris certior factus, negotiationi libenter assensit. Sciebat enim Regem, quamvis armis agentem, dummodo populum suum miseriis liberare posset, a pace non abhorrere. Vocavit itaque ad se *Salentinus Joannem Comitem Nassovium*, *Auraici* fratrem, cujus opera hac in re uti decreverat: detectaque mente, hic de salute fratris sollicitus, negotium libens suscepit. Cæterùm cùm in profectione Hollandiam versus non ita longe à Regiis præsidiis iter facere esset necesse, petiit sibi dari a *Requesennio* salvam guardiam (ut vulgo vocant) qua si forsitan in regios milites incidere contingeret, saluti, ac libertati suæ satis provideretur, quam cum mittere vellet *Requesennius*, intellexit *Auriacum* Dordraci peste laborare, atque admodum etiam de vita periclitari, quo nuntio accepto, haud quaquam consultum putans, eo tunc ire fratrem, ubi fratre mortuo ipse presto esset ad occupandum imperium, consilio mutato salvam guardiam petitam negavit, quod ita *Salentinum* offendit, ut deinceps nihil amplius de suscepto negotio agere voluerit. 1574.

Pacis tractatio proposita per Principes Germaniæ.

XI. Non fuit tamen omnino inutile hoc principium: namque haud diu post, cùm jam ex morbo convaluisset. *Auraicus*, per *Guinterum Comitem de Zuarsenburgh* † eum in finem

* *Salentinus de Isenbourg* ad sedem Coloniensem evectus anno 1567. dignitati sponte renuntiavit nondum consecratus, & dispensante summo pontifice, eò quòd stirps Isenburgica masculo careret, anno 1577. uxorem duxit Comitis Arembergii sororem, & privatus dein vixit, vir multum laudatus. *V. Gall. Christ. to.* 3. *col.* 711. † *Swertsenburch.*

1574. finem ex Germania ab Imperatore missum, eò res deducta est, ut Bredæ * per Commissarios hinc inde missos, de rebus componendis agere partes convenerint, & quia erat locus Regi parens, quamvis aliquatenus videretur indignum, dedit obsides *Requesennius*, *Julianum Romerum*, *Ludovicum Guastum*, aliosque duos nobiles Hispanos, quibus *Auraici* commissariis satis esset cautum: erant hi *Carolus Boisot*, & *Arnoldus van den Dorpe*.

XII. Ex parte vero regia *Baro de Rassinghen*, *Arnoldus Sasbout* Consilii privati Præses, & *Albertus Leoninus* Doctor Juris Consultus cum *Jacobo de Torre*, qui illis esset a secretis; tractatum est ibi satis diu, sed frustra: quamvis enim ex parte Regis, quantum aliquo modo pateretur obsequium, ac reverentia Regiæ Majestati debita, Rebellibus venia daretur, displicuere tamen *Auraico* conditiones, utpote, qui jam, tum, cum vidisset, frustra ab *Albano* tentatam Hollandiam, satis sibi persuaderet, imperium, quod ab initio animo vendicaverat, aliquando posse obtinere: quam rem tamen ut tanti ponderis caute admodum ac lente attingere cogebatur, eratque illi necesse maxima ubique uti industria, ac varia dissimulatione, hæreticis omnino facilem se præbere, Catholicis non offensum, in exteros maxime infestum, solam Patriæ libertatem in ore habere, nunc pacem publice affectare, nunc eam prætextu boni publici rejicere: quibusque possit modis populi benevolentiam captare, postremò omnium animos in Hispanos accendere, donec eò ducerentur, ut illorum imperium omnino aspernarentur, non solùm illi, penes quos ejus jam stabat authoritas, sed etiam illarum Provinciarum, quæ adhuc Regi parebant incolæ; in quo Hispanici procul dubio austeri Regiminis auxilio ita tandem profecit, ut pene omnes cujuscumque gradus, ac conditionis unanimes in eo videantur conspirasse, tam cœca occupati opinione, ut vix unus extiterit, qui virus latens penitus intelligeret, adducta eandem in opinionem omni fere nobilitate, ac nonnullis etiam, qui erant Regi a Consiliis, aliisque, quamplurimis viris gravissimis, & (quod vix credibile videbatur) ipsos etiam Ecclesiasticos, interque illos primates, inprimis Epi-

* De Congressu Bredano videndus *Borrius lib.* 8. *a fol.* 88. ubi tam Commissarii utriusque partis, quàm dati obsides, aliter enarrantur.

Episcopos, ac Abbates, alioquin, & eruditione, & vita 1574.
claros, ita ad odium contra exteros excitavit, ut obliti, quid Religioni, ac officio deberent, neglexerint certissima pericula, quibus se, suaque omnia objiciebant, tum fœdè nimis, atque imprudenter, se ei committerent, ejusque consilia summo studio foverent, cui nihil tam cordi esse, à multisque annis fuisse sciebant, quàm illos ipsos in exitium trahere. Quibus modis res facile eo deducta est, ut tandem unanimiter ad arma ventum sit. Unde vicissim solo vindictæ desiderio eò est progressum, ut Religione perdita, tantam Belgarum quondam fœlicitatem, miseriis, iisque gravissimis implicatam, obrutamque videamus, solo *Auraici* commodo, qui communi hoc malo viam sibi ad imperium commodissimè aperuit.

XIII. Reddiderat etiam dudum cum Reginâ Angliæ, Gallorumque prætextu Religionis tumultuantium, omniumque ubique hæreticorum rebus rem suam communem, qui proprii commodi causâ, eaque consuetudine, quam ejus farinæ omnes amplecti solent, eum libenter omni officiorum genere, favoreque, & auxiliis prosecuti sunt, præcipue Regina, quæ fovendo, ac nutriendo continuas rebelliones, nunc apud Belgas, nunc apud Gallos, à multis jam annis spectatrix, alienarum calamitatum, mirâ dexteritate integram Imperii quietem sibi conservavit, eaque mutui zeli commoditate, quam contra potentissimos Hispaniæ, & Galliæ Reges, natura videtur regno Angliæ comparasse, utriusque Regni maximo incommodo, quidlibet hactenus in illos impunè tentare ausa est. Quod cum non ignoraret *Requesennius*, jam tum ab *Auraici* amicitia Reginam abstrahere conatus est, misso ad eam *Champagneo*, sed sine ullo successu, refragante nimirum Reginæ ingenio, ad ea tantum inclinato, unde aliquem fructum capere posse sperabat.

XIV *Hiergius* interea Buram, Oudewaeter, & Schonhoviam, illam Geldriæ, has Hollandiæ civitates, etsi non grandes, satis tamen munitas, primas vi, tertiam post multam muri diruptionem deditione recepit: Crimpiumque, quod est ad ostium Insulæ ad Mosam inter Dordracum, & Roterodamum munitus pagus, occupavit, tamque fortiter Hollandiam aggressus est, ut tum * difficulter res *Auraici* in summum discrimen adduci potuissent, dummodo fælici cursu uti permissi-

* *Supplendum videtur:* non.

1574. misisset, rerum ad expeditiones necessariarum provisio, qua deficiente coactus substitit, eaque ipsa oppida, quæ tanta fœlicitate cœperat, postea egestate premente, atque etiam Crimpium, perdidit. Noluit enim *Requesennius* omnino rebus Hollandicis incumbere, cum haberet & ipse præmeditatam contra Zelandiam suam expeditionem Ductore vice Admiralio, ubi necesse erat uti Hispano milite. Quam ob rem in Hollandia sola defensione contentus, *Hiergio* vocato, exercituque opportunis in locis, quo paratior esset, collocato, sub finem æstatis *, *Santannelandiam* versus profectus est. Occuparat paulo ante Insulas Finart, & Clunart †, finibus Brabantiæ proximas, unde omnia terrestria ab invasione hostium manebant secura. Quæ omnia eò tendebant, ut Schouviam præcipuam Zelandiæ insulam (in qua est Zirisea oppidum) invaderet. Habet hæc tam sibi propinquam Duvelandiam, ut defluente mari, ex unâ in alteram facilè pateat transitus, inter quam, & Santannelandiam, ubi erat *Requesennius*, interfluit mare . . , ... miliarium, quod quamvis navigia pleno maris æstu pateretur, eo tamen refluente peditibus præbere consueverat, dum tempestive, ac celeriter tentaretur.

XV. Qua tam incommoda via exercitus iturus, ea superata, non minorem expectabat difficultatem: *Auraicus* enim cognito *Requesennii* consilio, in Insula habebat mille, & quingentos milites suis in munitionibus dispositos, quibus sibi persuadebat Regios longo, ac difficillimo aquatico itinere lassos, ac madentes, facile ab insulæ accessu prohiberi posse, quos Regiis vincere erat necesse, aut omnibus perire, cum reditum nullo modo pateretur refluus maris æstus. Erat res procul dubio incerti admodum successus, maximique periculi. Vicit tamen militum virtus: quatuordecim enim Hispanorum, & duæ Germanorum cohortes, Duce *Joanne Osorio* ‡ Hispano, nobili animo, vado se commisere, quamvis ad cingulum usque, atque etiam amplius ante confectum iter tingerentur: ita ut duæ cohortes, quæ erant in novissimo agmine, ob altitudinem maris coacti fuerint reditum accelerare, essentque præterea disposita hostium navigia, quæ euntes tormentis bellicis a latere feriebant, ita ut multos interque alios *Isidrum Pachecum* læthaliter læderent:

Improvisa aggressio Zirickzea.

* S. Anne land. † Clundert. ‡ Joannes Osorius Ulloa. *Fam. Strada.*

rent: jamque terræ appropinquantes, *Carolum Boisottum* invenere, qui *Auriacis* præerat, qui quamvis fortissime pugnans Regios à terrâ arcere conaretur, vim tamen, atque impetum eorum sustinere non potuit. Itaque non solum terrâ potiti sunt, sed & hostem occiso *Boisotto* superarunt, inque fugam verterunt. Cumque eodem fere tempore *Sancius Davila*, qui classi præerat, alteramque vehebat partem militum, insulam quoque fœliciter attigisset, omnis exercitus in Schouviam expositus est. 1574

XVI. Zirisеenzes jam tunc ruptis opportunis in locis aggeribus mari se cinxerant, ita ut non pateret ad civitatem aditus, nisi per aggerem, qui ex capite (quod ibi vocant) eo vergebat. Quam ob rem placuit Regiis primum totam insulam occupare, ac sic tandem annonæ penuria Ericzeam ad deditionem cogere. Quod cum ita esset constitutum, civitatem quoad licuit milite cingentes, misere qui Bommeneam munitissimum locum caperent. Quod post multam muri diruptionem, unamque *Joannis Osorii* (ut fertur) male, & non sine clade tentatam invasionem, ea denuo iterata egregie successit. Deinde Brauveshavium cæpere, totaque insula potiti sunt, eò adductis minoribus navigiis, quæ mediterraneas aquas securas redderent. Extruxere præterea aliis opportunis in locis ex ratibus, vastisque, arboribusque colligatis, miraque arte compositis propugnacula tormentis bellicis munita, quo minus *Auriacus* obsessis vel vi, vel arte subvenire posset. In hac expeditione *Vitellus* in Santannelandia febri correptus, dum Antverpiam triremi vehitur, in itinere mortem obiit.

XVII. *Requesennius* etiam eo reversus, haud parum sollicitus erat, quo pacto pecuniam ab Ordinibus impetraret, aliove modo provideret, quo rebus bellicis sumptus suggeri possent. In quo primo dum parum proficit, in altero maximum illi accidit incommodum: ex Hispania enim nuntiatum est, Regem severum valde contra Mercatores, & negotiatores edictum promulgasse, quo solutio creditarum pecuniarum omnino suspendebatur; unde sciebat fidem regiam pessumdatam iri, & simul atque hoc mercatoribus negotiatoribus innotesceret, ne obulum quidem ab illis impetrari posse. Quam ob causam cum primus omnium de Edicto rescivisset, non tam honesto,

Decretum contra negotiatores, nocivum.

 quàm

1575. quàm necessario artificio usus, litteras ad unam omnes stricte penes summum postarum (ut vocant) Magistrum detineri jussit, nec prius suis tradi consensit, quàm ab aliquibus qui ei summopere fidebant, pecuniam impetrasset, unde necessitati aliquantulum provideretur.

XVIII. Eo vero tempore, aliquot equitum turmæ ob non soluta stipendia, seditionem non solum meditari, sed etiam agitare cœperunt, confluentibus ad id statuto inter eos die ac loco plus trecentis, quod cùm incolis maximum esset allaturum terrorem, animorumque commutationem, unde multa alia incommoda oriri erat necesse, Imperator recenti malo occurrere volens, inter alia hoc remedium adhibuit, ut illis impune omni armorum genere sibi providere, iisque conf. seditiosos ad sui defensionem uti liceret, neglecto *Albani* Edicto, quo contrarium cavebatur, ut oblata occasione, minus novis rebus studerent. Quod *Requesennii* consilium non caruisse periculo nonnulli postea judicarunt, cùm constaret jam tunc de Belgarum in exteros odio, quod satius fuerat extinxisse. Itaque hæc *Requesennii* indulgentia, præter audaciam nihil genuit, efficitque, quod expetebat, & jam animo conceperant, aliquando se perficere posse certo sperarent. Venit postea *Re-*
1576. *quesennius* Bruxellam, ubi febri acuta correptus, quinta Martii anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto obiit. Quo tandem casu prorsus omnia in præcipitium acta: quamvis enim omnia ad rebellionem satis jam essent disposita, essentque multi, qui tumultus resque novas & appeterent, & secreto mollirentur, reprimebat tamen eorum audaciam Imperatoris præsentia, ac vigilantia, quo sublato, tamque omni obstaculo remoto, quidquid animo erat conceptum, ad effectum est perductum.

Accidit tempore *Requesennii* Lutetiæ casus memoratu non indignus: contra strictam, quam communiter Galli profitentur libertatem in recipiendis, conversandisque in Regno Galliæ exteris cujuscumque sceleris culpandis; Venerat eo regnante etiamnum *Carolo*, nobilis quidam Hispanus cognomine *Maldonatus*, crimine læsæ Majestatis apud suos convictus, petiit Legatus eum sibi dedi: consensit *Carolus*, deditusque, ac in Belgium missus, Antverpiæ jussu *Requesennii* capite truncatus est.

JOAN-

1576.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS,

Commentariorum de Tumultibus Belgicis.

LIBER TERTIUS.

Ventum est ad Annum a quo Historiam promiseram, quam etiam ad brevitatem reducendam censeo: frivolis enim, aut parvi rebus momenti Lectorem fatigare, nec illi gratum, nec scriptori consultum puto. *

I. MOrtuo *Requesennio* Imperii curam suscepit Tribunal Consilii Status, donec Rex Catholicus alium in defecti locum constitueret. Is vero prudenter, *Joannem Austriacum* ex Patre fratrem, qui tunc temporis Viguevani (quod est parvulum parum Mediolano distans oppidum) agebat, ad id munus eligere in animo habebat. Sciebat enim, quantis confusionibus, & periculis gubernatio plurimorum, & æqualium subjecta esset. Utque Respublica nil detrimenti acciperet donec *Joannes Austriacus* in Belgium se transferre posset, dilata publicatione alterius illius electionis in tempus opportunum, statim post acceptum *Requesennii* mortis nuntium, idem Tribunal Status Consilii, imperium assumere jussit, specioso magis, quam utili consilio. Videbatur autem Primarios hosce, quod Rex illis tanta fideret, tunc maximè, cum Belgæ tanto in Exteros flagrarent odio, inductum iri, ut omnia componerent. Subditi verò, quod Belgæ essent, omnia ab illis componi paterentur. Longè tamen alius fuit eventus: repserat enim longe lateque Rebellionis virus, acciditque corpori ex plurimis

Commissio regiminis Belgici Consilio Status, damnosissima resolutio.

* *Non stetit promissis auctor. V. Libri sexti initium: Alia lector observabit.*

1576. rimis membris composito, quod plerumque solet, ut inter eos non tam conformis, atque una eademque mens semper extiterit. Et quod magis fœdum, non defuere, quibus magis curæ erat partibus Patriæ: (quod tunc erat maximè speciosum nomen illorum, qui novis rebus studebant) favére quam Regi debitum præstare officium: unde Respublica supra modum superiorum annorum malis afflicta, partim negligenter, & incauté, partim malitiosé, diu propter dilationem adventus Austriaci, gubernata, tandem omnino corruit.

II. Erant ea tempestate in illo tribunali Status *Philippus Dux Arschotanus*, Princeps familiæ Croyæ, *Ernestus Comes Mansfeltius*, *Carolus Comes Berlamontanus*, *Maximiliann Baro de Rassingen*, *Viglius Zuichemus* Præses, *Arnoldus Sasbout* Præses Consilii Privati, *Christophorus Assomuilius*, omnes hi Belgæ: quamvis enim *Mansfeltius* esset oriundus ex Germania, tot tamen annos apud Belgas egerat, ùt pro Belga haberetur, unus illis aderat Extraneus *Hieronimus de Roda*, vir apprimè doctus, qui quamvis Hispanus, Belgicis tamen moribus satis era: accommodatus, tantaque prudentia præditus, ut omnia, quæ in æquitate, & Justitia consisterent, non minus ab eo, quam alio quovis sociorum expectari possent. *Mansfeltius* statim unanimi omnium assensu Bruxellæ Gubernator designatus est. Quamquam enim supremum ibi staret imperium, expedire tamen Reipublicæ visum, uti & alias sub imperio *Margaritæ* Parmensis acciderat, præesse rebus Belgicis, ac Politicis, Bruxellæ singularem aliquem virum ex præcipuis, qui alios summa rerum implicitos, in eo opere singulari sublevaret, omniaque temporibus periculosis, ac turbulentis conservaret, in officioque contineret.

III. Interea obsidioni Zericzensi vacari non est desitum, qua tandem ad summam annonæ penuriam redacti cives, *Auraicus* cum illis subvenire vellet, *Ludovicum Boisottum* cum aliquot navigiis commisit, qui magna audacia rem aggressus, cum militem in aggerem exponere vellet, non extimescens bombardarum ictus, quibus à terra infestabatur, navigia ad aggerem adegit, pugnavitque strenuè, sed è contra fortiter resistentibus regiis, cum tam diu ibi hæsisset, ut jam mari defluxo solo naves inhærerent, re perdita nolens captivus in manus hostium venire; natando salutem quærens, fluctibus submersus est.

IV. Dum

IV. Dum hæc * Zelandia, domi paulatim ad futura incendia progressum est. Cumque jam tunc in quorumdam animis futura concepta esset seditio, cautè admodum, ac simulatè, ultima ad eam exequendam via præparatur. Erat Antverpiæ Præsidii causa *Hannibal ab alta Emps* Germanus cum novem cohortibus suæ Germanicæ legionis, vir Regi admodum fidelis, & addictus: inter quem, & *Fredericum Perenottum*, Dominum de *Champaigny* urbis Præfectum magna erat simultas, & odium: volebat enim hic utrumque & Pacis, & Belli negotium suo nutu, ac arbitrio regi: alter vero, quidquid bellici esset muneris sibi soli non alii deberi constanter affirmabat, idque ipsum etiam obtinuit. Quam ob causam *Champagneus* indignatus Bruxellam se contulit. Erat hic ex illis, qui novis rebus studebant, ingratè profecto: cum enim benevolentia, ac liberalitate *Caroli* quinti Cæsaris, pater ejus ad magnos evectus esset honores, eademque benevolentia, ac gratia *Philippus* Rex Catholicus illum, suosque omnes benignissime prosequeretur, credita illi tanta civitate, atque electo jam pridem fratre *Cardinale Granvellano* in Proregem regni Neapolitani, quod est maximum Hispanici Imperii munus, præcipuisque tantum viris dari solitum, debuisset utique tantorum beneficiorum memor, non solum nihil moliri, quod Regi suo vel tantillum detrimenti adferri posset, sed illud etiam præcavisse, omnibusque viribus, iis sese opponere, qui tale quid animo concipere, aut concepta perficere ausi fuissent. Sed plus apud eum potuit extremum quoddam, idque parvis ex principiis natum in Hispanos odium, quo semel flagrans animus, forsitan, & suapte natura rerum novarum appetens, eo facile virum impulit, ut quamvis alioquin perspicaci esset ingenio, multisque aliis dotibus præditus, maluerit tamen novis motibus imprudenter sese involvere. Erat prætextus ejus satis speciosus, nihil enim in Civitate nocentius, Præfectorum discordia, nil securius, quam omnia unius voluntate atque arbitrio regi. Justum itaque visum est in eo providére: quod cum commodè fieri posse non videretur nisi remoto *Alta Emptio*, habuere illi, qui ad ulteriorem finem tendebant argumentum satis speciosum, quo 1576.

* *Adde*: in.

1576. quo alios ignaros adhuc quorsum hæc fierent, in suam sententiam traherent. Persuasere præterea facile omnibus expedire ob æris inopiam, exercitum sumptibus quantum fieri posset sublevari: quo obtento negotiatum est apud Comitatus Flandriæ Status, ut Regem in tam extremâ necessitate aliquo subsidio pecuniario juvarent. Quod cum concederent, ea ab ipsis opposita est prorsus necessaria conditio, operâ procul dubio eorum ipsorum, qui omnia eversa cupiebant, ut aliqnot cohortibus Germanicis *Ebersteyniæ* legionis, quæ in diversis Flandriæ locis, in præsidiis agebant, exonerarentur, pecuniaque, quam darent in solvendo, ac abdicando *Alta Emptio* dispensarentur, quod sic admissum eo rem deduxit, ut hic post solutionem dimissus domum redierit: Antverpiæ vero custodia *Ebersteynio* sexdecim suis cohortibus comitato, tradita sit. Erat iste *Otto Comes de Eversteyn* Germanus, etiam tunc variis illecebris ad partes illorum, qui nova moliebantur attractus, ita ut ejus introitu celeberrimum illud totius orbis Emporium, jam talium arbitratu rectum iri non dubitaretur. Et quamvis obstaret adhuc Hispanorum arx munitissima, cui præerat *Sancius Davila*, speravére tamen, tum ob militum, civiumque multitudinem, tum ob intervallum spatiumque loci, qui arci, ac civitati medius interjacet, suo tempore facile obtenturos, ut vallis, fossisque interjectis semoti Hispanorum periculo liberarentur.

V. Accidit & aliud in Brabantia opportunum, quo facilius arma ariperentur. Erant in Campania, quæ est pars illius Provinciæ sic vocata, adhuc aliqui, qui ob non soluta stipendia tumultuarent Regii milites, quos, quamvis ad obedientiam jam reduxisset *Romerus*, arrepta tamen hac occasione, quod indignum esse judicarent, Provinciam in ejusmodi insultibus amplius objici, petiére Status Brabantiæ ad sui defensionem sibi dari facultatem conscribendi duo millia peditum, equitesque sexcentos. Quod cùm facile à Tribunali supremo impetrassent, continuo *Hesio* peditum, equitum *Beurio*, qui erant ambo genere clari juvenes, ac futuri facinoris conscii, cura datur. Accessit ad hæc aliud longe maximum, quo tandem via ad apertam Rebellionem strata, & quod ultimum ut ita dicam futuris motibus, videtur jecisse lapidem.

VI. Erat

VI. Erat obsidio Ziriczensis, ut longe difficillima, ita & exercitui molestissima: per totam enim hyemem, quæ in maritimis illis locis est asperrima sub dio agens, extrema quæque passus erant: accessit ad hoc tarditas solutionis stipendii, in quo, cum post obitum *Requesenii* parum curæ haberetur, facilè effectum, ut nihil magis, quam queremoniæ in castris sonarent. Postremo, & id evenit, ut tandem post tot, tantosque labores civitas dedita foret, exclusis Hispanis, *Mondragonio* cum solis suæ legionis Walonis crederetur: unde illi, qui in ea obsidione præcipuam operam præstiterant, egestate, suique contemptu commoti, pulsis Præfectis, assumptoque Electo in apertam seditionem eadem indignatione, & indignitate, qua bis antea debitæ stipendiorum solutionis causa sese dedére consilio rebus regiis longe perniciosissimo. Cùm enim eorum cœptis, quorum animi ad Rebellionem erant propensi, nihil commodius posset accidere, nihilque a talibus magis expeti, atque desiderari, quam speciosi quidam prætextus, quibus perfidiam suam tegere, ac multitudinem ad rabiem citius faciliusque incitare possent, uno illo consilio, & honestum nomen crimini maximo, & facilitatem opere alioquin difficillimo, præbuére. Cumque postea tumultuantes Hispani in Brabantiam reversi, secretis itineribus *Alostium* (quod est Comitatus Flandriæ parvulum oppidum) tendentes, illud inopinanter occupassent etiamsi solummodo in animo haberent ibi commodè manere, donec debita stipendia solverentur, tantum tamen exarsit, omnium in Hispanos odium, ut jam in exteros animadverti posse, prorsus justum, ac necessarium esse prædicaretur. Ac tandem cum propositis a Tribunali supremo ad quietem aliquot conditionibus, tumultuantes non acquiescerent, eo ventum est, ut hostes edicto publico declarati sint, ut sic jure in eos arma ferre liceret. Ex quo videre facile est, quam bene comparata, & instructa haberet jam tunc *Auriacus* ad Rebellionem omnia: quid vitii in multis, quid in ipso Tribunali supremo, cùm neglecta opportuna admodum Ziriczeensis deditionis occasione, quasi usi fuissent, potuisset haud difficulter Valeria recuperari, eoque uno ob portus Vlissingensis opportunitatem *Auraicus* superari, resque Regiæ, unde, & avitæ Religionis instauratio depen- debat,

1576.

Ziriczea capta.

Considerationes super Belgarum consiliis damnosis Regis obsequio.

1576. debat, omnino reparari: maluere tamen insistere iis, quorum affectu via ad ruinam publicam aperiebatur. Recepta per deditionem Ziriczea duodecima Julii anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto ea conditione ut quater centena Millia florenorum exercitui, pœnæ nomine solveret, salvique essent cives, eorumque bona: milites autem ad suos cum omnibus suis impedimentis secure ducerentur, quod fideliter servatum. Cœterum cura civitatis *Mondragonio* data, qui ut civitatem afflictam magis sublevaret, cum suis domesticis eam ingressus est, collocatis quatuor cohortibus suæ legionis in loco, ubi sal confici consuetum, qui cum tam propinquus civitati esset, ibine an in civitate cohortes essent parum *Mondragonio* intererat, quotidie etiam partem aliquam eorum militum ad sui custodiam civitatem intrare jubebat.

VII. Accidit postea Hispanos tumultuantes in Duvelandia existentes, Walonis duarum cohortium, quæ in Castello Drycken excubabant, sub Præfectis *Claudio Bernard*, & *Henrico de Limborgh* persuadere, ut ejectis, pulsisque Præfectis, in tumultuationem etiam erumperent: quod & postea * fuere quatuor illæ cohortes, quas in loco illo salis confectioni dedito positas diximus, totaque etiam legio, qui omnes tandem Ziriczeam occuparunt, ac *Mondragonium* captivum tenuere, donec summum Tribunal pecunia, qua Ziriczeenses sese redemerant, debita sibi stipendia exsolveret. *Santius* autem Antverpiæ agens, de imminente Walonorum illa seditione certior factus, Ziriczeam celeriter profectus erat, quo melius nascentem componeret, sed frustra: utque classis, qua majori ex parte Ziriczea ad deditionem adacta fuerat, alios non imitaretur, illam per *Jacobum Masium*, qui *Sancii* nomine, toto obsidionis tempore præfectum dictæ classis egerat, primum Berghas, ubi multæ sarcinæ impositæ, ut secure asservarentur: postea Antverpiam, deduci curavit.

VIII. Alostium à tumultuantibus Hispanis occupatum fuit 25. Julii ejusdem anni, tentata primum irruptione ad portam Bruxellensem, sed cum ibi nil proficerent, ob strenuam civium defensionem, dissimulanter quidam ab illis transtulere sese portam Terremontanam versus, unde postea fluvium

Dender

* *Lege*: fecere.

Dender vulgo dictum tacite trajicientes, tandem prope pontem, qui ibi est, introitum incustoditum invenere, per quem absque aliqua cæde, civitate potiti sunt. Cujus rei nuntius simul atque ex Liekerca Bruxellam est perlatus, perque Dominum illius loci rebus novis non parum addictum, acerbius ac res ipsa erat sparsus, ita omnium animos commovit, ut vix à tumultu abstinuerint cives. Per plateas incedens unus ex *Rhodæ* famulis occiditur. Exteri omnes latitare coacti, donec diebus subsequentibus, ut occultius liceret, civitatem relinquerent. Cupiebant etiam discedere *Rhoda*, *Vargas*, ac *Romerus*, sed cum essent Regi a Consiliis, Tribunal supremum non consensit, persuasitque facile spe remedii, ut sese interea in Aula continerent, ne eorum præsentia (uti dicebant) populum ulterius ad furorem excitaret, suæque ipsimet saluti eo modo securius consulerent. Populus etiam quamvis non omnino adhuc tumultuans, liberius garrire cœpit, plusque solito undiquaque excubiis incumbere, ad portas firmas exactasque excubias agitare. Difficilis valde per eas exitus illorum, qui hoc tentabant. Brevi, quidquid speciе securitatis armis agere videretur opportunum, in eo, quâ solent vehementia libere incubuére: ita ut ex eo tempore tamquam in speculo jam impendentem Rebellionem intueri licuerit. 1576.

IX. *Sancius* in arce sua Antverpiensi existens, cum ex tali statu Bruxellensi satis colligeret, jam de Reipublicæ subversione non esse dubitandum: statim tamquam unus ex primis in re bellica de remedio cogitare cœpit: spemque solam in armis ponens *Hiergium* fertur sollicitasse, ut rebus Regiis tam aperte periclitantibus præsto esse vellet. Habebat *Hiergius* paratas duas legiones, unam Germanorum, alteram Walonorum, tertiam insuper legionem Belgarum, cui præerat *Comes de Bossu* etiamsi captivus. Aderat illi præterea frater ab uxore *Comes de Meghen* cum alia Walonorum legione. Si cum hisce copiis *Hiergius* adventasset, *Sancius* ipse, ac Hispani, cœteræque omnes nationes, libentissime *Hiergio* tamquam Imperatori obtemperassent. Erant Bredæ, Silvæducis, Berghis op Zoom (de qua sæpius ante) Trajecti superioris, & Liræ præsidia Regia. Erat ad Trajectum inferius Arx Hispano milite munita Duce *Christophoro Hernandez* viro strenuo.

Diligentia ac prudens consilium Sancii Davila ab Hiergio neglectum.

Cc 3 Erat

1576. Erat Frisiæ Gubernator *Barò de Billy*, Lusitanus, vir fortis, cujus præsentia illa Provincia in officio manebat. Eratque certum eodem etiam modo *Hiergium* Provincias sibi creditas potuisse conservare, si nascenti malo Bruxellæ celeriter occurisset, Tribunalque supremum ibi tacitè oppressum in debitam libertatem vindicasset. Quod procul dubio haud erat difficile factu, malevolorumque cepta omnia, ac consilia facile subvertisset. Videbatur in eo solo consistere salus Patriæ, nil Regi gratius, nil utilius, nil *Hiergio* dignius, nil denique animi ejus magnitudini, ac famæ immortalitati consultius umquam accidere potuisset, tam insignem occasionem non negligere. Sed ille præ oculis habens jure se teneri, non *Sancio*, qui haud secus atque ipse privatus erat, sed soli Tribunali supremo, tamquam Imperatori suo obtemperare, nec non aliunde forsitan persuasus non in tanto, nec tam certo periculo versari Rempublicam ut exclamabat *Sancius*, ejus admonitionibus neglectis, imprudenter lapsus est.

X. Non item sanè Rebellionis artifices: illi enim cum intellexissent, quid *Sancius* moliretur, quodque in conscribendo milite multo adhuc tempore egere videretur (quia in dilatione, ac mora bene gerendæ rei spem positam habebant) artificiose admodum incœpto *Sancii* occurrere decreverunt; proposita quædam, quæ ad quietem spectare videbantur: mitteretur scilicet *Rassengenius* cum *Vasseuro* Tribunalis Status Secretario, ad Regem rogatum, ut rebus labentibus celeriter succureret, manerent in Provinciis quieta omnia, donec redirent: irent Willebroucum *Rhoda*, *Vargas*, & *Romerus*, unaque cum illis *Rassengenius*, & *Vasseurus* ante eorum discessum: Veniret etiam *Sancius*, cum quo de iis, quæ ad eum pertinebant, convenirent, ut sic jam nihil esset reliqui, quo Respublica turbari posset, quod & ita effectum. Cumque *Rhoda*, *Vargas*, & *Romerus* inde cum *Sancio*, quamvis contra spem supremi Tribunalis Antverpiam se contulissent, eò etiam profecti sunt *Comes Mansfeltius*, ac *Gaspar Scetus* * Financiarum Regius Quæstor, vir prudens, negotiisque agendis aptus, qui communicatis denuo Consiliis, cum præcipuis illis Hispanis, bimetipsis, omnibusque vulgo †, summa confiden-

* Schetsius. † *Forte legendum*: omnique vulgo.

fidentia persuasére, periculo Patriam saltem tunc liberatam. 1576.

XI. Sed etiamsi hæc omnia ita se haberent, tamen nihilominus Ordines Brabantiæ conscriptionem equitum, ac peditum sibi permissam, quantum fieri potuit accelerarunt: utque suo tempore melius ad effectum præmeditatum facinus duci posset, effecere, ut in ipsa civitate Bruxellensi peditum pars collocaretur, ibique subsisteret: donec & alibi non longe tamen ab urbe variis in locis collectis reliquis eo excresceret numerus, ut jam componi, redigique sub signa posset integra legio. Elegerat sibi *Hæsius* in locum tenentem *Dominum de Glimes* magnum Bayllyum Brabantiæ, hominem imprudentem, ac temerarium. Hic prædicans, ac fingens magni interesse, militem novum usui sclopetario assuefieri, indies numerum aliquem extra portam, vulgo Cauberghe dictam, per plateam, quæ Aulam attingit, quæ erat portam versus via recta, euntibus, ducebat, ibique scopum statuebat, ad quem milites propositis aliquot præmiis collimarent, sclopetorumque ictus dirigerent, sui exercitandi causa. Quod cum usu continuo eo pervenisset, ut suspicione publicâ careret, tandem quarta Septembris anno millesimo, quingentisimo, septuagesimo sexto, assumptis ante meridiem quadringentis militibus, ad pugnam bene paratis, cum Aulæ appropinquarent, furiose eam invasit, rectaque ad cubiculum, ubi supremus Senatus convenerat, progressus, cum id clausum invenisset, vectibus ferreis, quos secum consulto afferri curaverat, ostium rupit, intransque, tribunal, aut potius Regem ipsum, cujus vicem gerebat, comprehendi jussit: facinus procul dubio longe perfidissimum, etiam tam magnæ tamque insignis audaciæ, & temeritatis, ut vix credi posse videatur, virum vasallum, nobilem, ac singulari juramento, ob munus, quo fungebatur, Regi obstrictum, naturalem, nec non accidentalem illam obligationem, tam fœdè negligere potuisse: magisque mirandum, non defuisse inter alios, viros Ecclesiasticos, qui illum ad tam infamè facinus perpetrandum incitarent. Denique si hoc facinus per se exactè ponderetur, nihil est in toto terrarum orbe, quod immoderatis animorum passionibus non superetur, nihil, quod mortales non audeant, cùm neglecta ratione, ruptoque Religionis ac honesti freno, soli appetitui satisfacere statuerunt.

XII. Non

1576. XII. Non erat illo mane in Consilio *Dux Arschotanus*, sed lecto se continebat, valetudinem causatus, cum tamen credatur ante facinus præscisse, dataque opera abfuisse. Nec aderat *Viglius Zuichenius* Præses *, & ipse ob invaletudinem, quæ erat ei continua. Cœterum inter illos, quos *Bayllius* ‡ invenit, *Mansfeltium*, ac *Barlamontanum* apprehendit, eosque pedites ire jussos, comitatus suis satellitibus tamquam re bene gesta, potius, quam militibus in forum usque deduxit, atque ibi in Domum Panis †, ut vulgo dicitur: ex qua, tempore *Albani*, Comites *Egmontanus*, & *Hornensis* ad supplicium educti, arctè ad custodiam tradidit. *Assomuilius* constitutus captivus in foro in diversorio, quod parvulam molam vulgo vocant: unde quarto postea die domum se transferre ei permissum est. *Saboutio* intacto recta domum ire, ibique libere esse licuit. *Rassingenius* cum *Vasseuro*, biduo ante Hispaniam versus profecti erant. Interfuit Consilio *Carolus Philippus Marchio de Hauvré*, Ducis *Arschotani* ex patre frater, ad privatum aliquod negotium vocatus. Sed hic cum non esset in eo Tribunali Consiliarius Regius, libere dimissus est. Non deerant tamen, qui assererent, & ipsum futuri sceleris non fuisse nescium. Advenerat paulo ante ex Hispania, ubi egerat aliquamdiu apud Regem, qui tanta eum gratia prosecutus erat, ut Cubicularium suum (quod est ibi summi favoris, authoritatis, ac fiduciæ munus) crearet, quod ut fideliter exerceret, Marchio singulari juramento (ut moris) sese adstrinxerat. Cœterum num ita hujus beneficii, præstitique juramenti memor fuerit, uti virum fortem, ac præcipuum decebat, ipse viderit: simul atque enim Belgium attigit ad res novas inclinare cœpit, tantumque tandem in eo profecit, ut postea exprimis in ea professione extiterit.

‡ *Id est*: Ballivus. Idem qui supra D. de Glymes.

XIII. Eo-

* Vide quæ dixi ad calcem notarum mearum ad Vitam *Viglii*, ubi hoc *Tassii* testimonium citatum oportuit. Adverte, nihil hic dici de custodia *Viglii*, Unde in hanc ferè inducor opinionem, ut credam *Thuanum*, qui *Viglium* a se in captivitate visitatum scribit, eum non in quadam custodia, sed domi visitasse, in qua putaverit eum custoditum. Et certè cum dimissi sunt captivi post pacificationem Gandavensem, nihil rursus de *Viglio*. *V. inf. n. CIV. in fin.*

† *Het Brootbuys.*

1576.

XIII. Eodem tempore, quo Baillyus Tribunal status invasit, Senatoribus Consilii Privati per alium sui similem, idem etiam accidit, extracto inter Consiliarios solo *Ludovico del Rio* Hispano, vel saltem Hispani filio, quem captivum constituere in eodem ille diversorio, ubi asservatum *Assoumilium* supra diximus, sed infœlicius, cùm enim paucis post diebus eum inde educerent, non domum suam, uti *Assomuilius*, ire permissus, sed in turri ad fanum Divæ Gudulæ *Treurenbergh* vulgo nominata, captivitati publicæ, a multis jam annis destinata, indignè admodum strictæ custodiæ traditus est. Cœteris Consiliariis ex loco Consilii domos suas reverti licitum.

XIV. Apprehensi præterea, ac in carcerem conjecti diebus continenter subsequentibus, alii aliquot viri Consilii privati, inter quos erat *Joannes Baptista Tassius* *, paucos ante dies cum uxore Antverpia reversus, ad nuptias cujusdam sui nepotis, quem in illo etiam hospitio parvulæ molæ, dies undecim captivum, custodiis adhibitis tenuére, donec tandem post multifarias sollicitationes ipsius nepotis, cujus causa in laqueum inciderat, domum suam relegaretur, ea illi data perque eum accepta conditione, ut captivus ibi maneret, donec *Hesio* aliter visum esset. Fama est, fuisse hujus operis cum *Auraico* constructores, *Joannem de Linden* † Abbatem Divæ Gertrudæ Lovanii: Abbatem de Villers quemdam vocatum ‡ *van den* . . . . Pensionarium Lovaniensem, & binos alios viros seculares, quorum nomina authori incognita.

† *Van der Linden*.

‡ Opinor hic indicari *Franciscum de Vleyschouwere*, qui Monasterio Villariensi præfuit ab an. 1569. usque ad 1583. aut serius. *V. Gall. Christ.* tom. 3. col. 591.

XV. Cœterum *Hæsius* statim Bruxellæ Gubernator constituitur. Denique vix ea quæ acta fuére passim divulgata sunt, cum subito ex aliis Provinciis, nempe Flandriâ, Arthesiâ, Insulis, Tornaco, Hannoniâ, ac Namuro (excepto Luxemburgo, quæ egregiè in fide data permansit, neque sese hisce motibus immiscuit) externis classibus (quas Status vocant) Ecclesiasticorum, Nobilium, ac populi plurimi advolarunt, eo

* In Catalogo senatorum Consilii privati apud *Butkens* nullus occurrit *Tassius* senator, neque in libello *Tomb. des hom. illustr.* Ceterùm pater auctoris horum Commentariorum & ipse *Joannes Baptista* vocabatur.

1576. eo missi, ut nomine publico rebus interessent: unde privata Ordinum Brabantiæ congregatio, ad generalem redacta, quidquid exinde publici esset negotii, usurpata suprema gubernandi potestate ab eis administrari cœptum: relinquere interim Tribunal Consilii Status in sua (ut dicitur, formâ ea mente, ut aliquatenus audaciam, qua apud multos, præcipuè exteros, malè audire possent, mitigarent, haberentque, unde fundarent, non contra Regem, sed auxilii causa præstandi Imperatorio illi Tribunali sese movisse, ut conjunctim exactius, undiquaque Reipublicæ consuleretur, aut (quod magis credibile) ut Tribunalis authoritate, quod jam ad libitum flectere semper posse non dubitabant, facilius, quidquid vellent, ad effectum, ac fœlicem exitum ducere possent. Fuére, qui huic Tribunali generalium Statuum publico omnium nomine tunc astitére, multi ex unaquâque Provincia Prælati, Nobiles, ac civitatum deputati.

Adunatio Statuum generalium ex omnibus Belgicis Provinciis excepta Luxemburgensi.

XVI. Præcipua vero eorum cura erat, rem inceptam armis ad perfectionem perducere. *Hæsius* suam legionem plenè construxit. *Brievurius* suum equitatum, dataque cura *Philippo Comiti Egmontano*, aliam Walonorum legionem conscribendi: unam Germanorum *Domino de Beersele*; Confecére Walonorum legiones *Dominus de Ruysbroeck* ex *Melunia* familia, *Comes Rereburgensis* ex *Lalenia*, Dominus *de Floyon*, *Hiergii* frater, & *Dominus de Capres*. Namurcum ternas cohortes peditum sumptu proprio fecit, turmæ equitum gravis armaturæ, undequaque, ut præsto essent in ordinem redactæ: Bruxellæ omnibusque aliis in locis, quæ factioni adhærebant, delectus civium habiti, brevi nihil omissum, quod arma saperet, tantoque furore omnes huic muneri incubuére, ut omnem fidem superet. Seniores cum juvenibus idem fecère, ad togatos, & ante imbelles usque; visusque *Joannes Scheyf* vir senex, & Cancellarius Brabantiæ, quæ est ibi suprema, magnæque authoritatis justitiæ dignitas, gladio cinctus, vestituque juvenili ornatus, & pileo albis plumis conspicuo currere, atque officium militis viriliter agere. Constituti Bruxellæ, aliisque aliquot in civitatibus Magistratus quidam novi, conflati ex quibusdam hominibus, qui admodum furiose novitatem amplectebantur, ut sic rigore, ac violentiâ exactius seditioni incumberetur. Confectum etiam ærarium publicum

cum ex collectatione plurimorum vectigalium recentér inventorum. Scripsére præterea undiquaque intra extraque Belgium ad multos Principes, ad Imperatorem, & alios, atque ad ipsum etiam Pontificem maximum, narrantes hujus motus causas, quam potuére speciosissime, quo se purgare, atque unumquemque ad sui commiserationem trahere posse sperabant. Belgium diu privilegiis suis spoliatum, innumerabilibusque miseriis, ac calamitatibus fatigatum, ingenti Hispannorum tyrannide, eo pervenisse, ut jam desperatâ salute, certissimum Patriæ immineret exitium. Regem sæpenumero enixe rogatum, ut tanto malo benigne, uti equum erat, occurreret, nihil horum profecisse unquam, indiesque in pejus itum: unde tandem necessitate coactos, Patriæ jure naturali, non potuisse deesse: protestari interim nihil sibi antiquius, nihilque magis cordi esse, quam avitam Apostolicam, & Romanam Ecclesiam, & Religionem omnino intactam, integramque conservare, ac debitam Regi observantiam, ac obedientiam præstare. Hisce, atque hujusmodi coloribus novum opus, ubique gentium pulchre depictum, & quod pejus, eo deductum est, ut quamvis injustissimum, pro valde tamen justo à quam plurimis haberetur Usi præterea, præsertim, ubi videretur necesse, persuasionibus, promissis honorum, ac bonorum, aliisque ejusmodi machinationibus: nihil intentatum relinquentes, quod in rem suam facere ullo modo videretur. 1576. *Scribunt Status ad varios Principes in suam defensionem.*

XVII. Crearunt in supremum militiæ Præfectum *Arschotanum*, & *Comitem de la Laing* ejus locum tenentem, data Flandriæ Præfectura *Comiti Reux* cum legione propria Walonorum; *Byllium* per litteras sollicitarunt, ut ad extirpandam Hispannorum Tyrannidem, Ordinibus non deesset. Cumque ille nihil responderet misere eò *Ludovicum de Bresille*, nobilem Bruxellensem, vexilliferum cohortis *Ferdinandi Lopez*, *Billciæ* legionis, quæ Groeningiæ præter alias tres in præsidio erat, ut ibi, alibique passim, per Phrisiam milites pro debita stipendiorum solutione, aliisque, quibus posset, persuasionibus, ad partes Ordinum traheret, ac *Byllium* cum Præfectis cohortium, qui ipsis conjungi nollent, comprehendi, aut saltem Provinciâ expelli curaret. Misére & postea eundem in finem *Franciscum Martini Stellæ*, Bruxellensem

 civem,

1576. civem, hominem seditiosissimum cum mandatis, ut cum omnibus civitatibus ageret, quo se cum Ordinibus conjungerent. Quibus machinationibus tandem omnia ipsis ad nutum successére.

Captivitas Billii, & rebellio Frisiæ.

XVIII. Milites Regem, ac Imperatorem suum turpiter deserentes, stipendia sibi solvi ab Ordinibus passi sunt: *Byllius* cum uxore, & liberis, aliquotque Præfectis capitur, Provinciæque, desiderio ac voluntati Ordinum sine ullâ contradictione acquievére: Groeningensis arx ab incolis eversa, fuitque loco *Billii* designatus Phrisiæ Gubernator *Comes Remerburgensis*, legio verò *Champaignee* tradita, qui eam Brabantiam versus per locum tenentem suum, *Dominum de Vers*, Burgundionem duci curavit. *Hiergius* præterea cum omnibus, quæ sibi commissa erant, tandem illis etiam adhæsit. Dominus *Dimby* ex *Havria* familia, nuper cum *Havreo* ex Hispania reversus, ubi illum Rex, in ordinem illorum, qui Mensæ suæ inserviunt: quod est illustrium juvenum honorificentissimum munus) assumpserat, & cujus causa singulari fidelitatis juramento (uti moris) sese adstrinxerat specie amicitiæ, in castro Cameracensi a *Domino de Liques* Præfecto, familiariter admissus, paulatim militum benevolentiam, amoremque dissimulanter, ac artificiose captans, tandem eo rem duxit, ut *Liquium* expellerent, seque Statuum nomine in Præfectum assumerent. *Dominus de Capres* sic in Artesia, presertim Attrebati sese gessit, ut tandem *Comes de la Roche*, Burgundio, à Rege Arthesiæ constitutus Gubernator domum versus se transtulerit, Dominusque *de Vaulx* ex *Longuevallia* familiâ, qui Regis nomine Attrebatensium erat Præfectus, coactus fuit munus suum deserere. Ambas itaque Præfecturas nomine Ordinum sibi vendicavit, quamvis postea ab Ordinibus tamtummodo Attrebatensium Præfectura illi relicta, data generali totius Provinciæ *Domino de Ruysbroeck*, qui tunc etiam Hedini milites præsidiarios pollicitationibus suis ad partes suas trahens, *Dominum de Helfault*, qui ibi nomine Regis præerat, expelli curavit, seque metipsum in ejus locum surrogavit. *Hiergius* Montem Caroli *, quem vocant, præcipuam apud Mosam contra Gallos arcem, à *Carolo quinto* Cæ-

* Charlemont.

Cæsare, sui nominis titulo extructam, quamvis frater *Comes Meghensis* ei loco Præfectus Regis nomine esset, illo excluso, favore militum, suarum partium fecit. Idem ab *Hiergio* factum Marieburgi, quod est aliud in illo Provinciæ tractu, per Reginam Hungariæ, *Mariam Belgii* Gubernatricem contra Gallos extructum propugnaculum, cui præerat *Dominus de Bria*: *Dominus de Noyelle* Bapamam favore etiam regiorum militum, qui ibi in præsidiis agebant, pro se occupavit. Accesserat in multis ad perfidiam ambitio, nulla tunc temporis inter illos amicitiæ, aut consanguinitatis ratione habitâ, sola utilitas expensa, & quidquid ejus generis agebatur, pro honesto habitum, dommodo contra eos esset, quibus curæ erat Regem non deserere. Cœteræ civitates præsidiariæ in finibus Galliæ per Hannoniam, Arthesiam, & Flandriam, sponte, ac voluntarie Statibus sese submisére, castellaque Insularum, & Valencianæ per incolas eversa. 1576.

XIX. Nec defuére Monachi, qui ad majora consequenda commoda, occasionem non neglexére. Vacabat Abbatia Divi *Vasty* * Attrebati, magnæ utilitatis, ac authoritatis Prælatura, quam donarunt Status Abbati *de Zarrazius* **; divique *Bertini* Abbatiam Audomari, non multo altera & dignitate & opulentia inferiorem *de Yves* †, qui erat in Hannonia Abbas Maroli ‡: sed hic novâ interveniente occasione, possessionem non est adeptus. Consilia etiam provincialia, nec non supremum Consilium Mechliniense partes Ordinum secuta sunt: utque uno verbo absolvam omnes earum Provinciarum, quæ pro Statibus generalibus Bruxellæ stabant, Incolas cujuscumque gradus & ordinis, idem furor invasit, exceptis iis, quos supra diximus, paucisque aliis, quorum alibi justum erit non oblivisci: nihil enim immortalitate dignius, quàm inter tantos, tamque varios fluctus, tamquam maris scopulum, constanter remotis privatis affectibus inviolatam Regi suo fidem servasse.

XX. Co-

* S. Vedasti. S. Waast.

** *Joannes Sarrazin*, Atrebas, postea Archiepiscopus Cameracensis.

† *Fredericus d'Yve*, qui primus usum mitræ obtinuit.

‡ Est Maricolensis Abbatia ord. S. Benedicti, vulgò *Maroilles*.

1576. XX. Cæterum, quantum ad hanc tam generalem Rebellionem attinet, procul dubio habebit posteritas, unde admiratione obstupescat: quamvis enim constet, innumeras in orbe terrarum esse Regiones, quas non aliquando nimia incolarum ambitio, prodigalitas, aliaque vitiorum contagio, tumultibus, bellisque intestinis involverit: hisce tamen seditionibus, motibusque Belgicis, similes, ubi omnia effreni animorum contentione, affectibusque privatis agitata, neglecto ubique honesto, nullaque periculorum, quibus Religio objiciebatur habita ratione, præsertim ab ipsis Ecclesiasticis: forsitan nec vidit ætas præterita, nec credet futura. Taceant verò, qui iis, quibus aræ, focique sub Rege legitimo sunt, justè permissum volunt, ob neglectiorem, quamdam observationem, seu magis infractionem privilegiorum per Principes antecessores, quibus illa aliquando forsitan extorta fuere, quorumque usum sæpius parum æquum, ipsique Reipublicæ damnosum extitisse, ipsa Experientia rerum Magistra docuit, aut ob severiorem gubernandi formam, quâ *Albanus*, & *Requesennius* videntur aliquoties usi fuisse, Rempublicam sursum deorsum vertére. Repugnat enim hoc ex diametro divinæ legi, estque vasallis, quibus nihil summi juris est, non solum illicitum, verum etiam vituperiosissimum, non consentiente, imo contradicente Rege, armis agere, eoque invito, ejus potestatem atque imperium sibi usurpare, ita ut in parvis illis causis, nil omnino habeant, quo se à Rebellionis infamia purgent. Sciebant Provinciarum, civitatumque Præfectos, legitimâ authoritate niti, quos comprehendere, aut in vincula conjicere, haud minus erat, ac idem facinus in ipsum Regem intentare, quo crimine nullum in rebus humanis majus inveniri posse videtur. Sciebant Hispanos, aliosque milites Regis, tantum legibus stare, quos propriâ aucthoritate expellere, capitale esse, quis dubitet. Sciebant Regi Catholico nil tam curæ esse, quàm hæreticos ad Ecclesiæ gremium reducere, idque sine externis armis fieri non posse, quod impedivisse, maximæ frigiditatis in Religionem indicium. Nullus tam exigui, tamque agrestis ingenii, quin facilè prævidere posset, tam magnis motibus, quidquid calamitatis, ac miseriarum excogitare queat, Patriæ non defuturum, quod ab omni proximorum charitate alienum esse, quis non judicet? nul-

Detestatio rebellionis. Responsio ad prætextus.

nullusque tam frigidè Catholicus, qui non animadverteret, certissimum Religioni exitium ex conjunctione Hæreticorum imminere, quod nescio an fuerit aliud, quam hosti suo capitali religionem prodere, quæ omnia neglexisse, nihilque fecisse, ut tantum in Hispanos, qui non minus vasalli Regis erant, quam Belgæ (licet ex favorabili aliqua causa conceptum) odium evomerent, revera immensæ malitiæ, temeritatis, nec non ignorantiæ signum extitit. Habebant Regem Catholicum summè pium, optimèque de Belgio meritum, submissis erga eum precibus, ac patientia, non prævaricatione, uti oportuit, ut facilius ab optimo Principe, quod justé peterent, impetrarent. Si autem aliquid sibi justitiæ acquisitum, putant, eâ protestatione, quâ post commissum crimen in malo instituto perseverantes, Regi obedientiam offerunt; longè errant. Quem diliquisse pœnitet, si veniam consequi vult, à peccato abstinet, qui secus facit, quidquid è contra ore profitetur, ridiculum est, & nil nisi malitiosum, fictum, ac artificiosum sapit. Nemo enim est tam perfrictæ frontis, quin quod perperam agit, aliquo prætextu honesto tegere, atque obumbrare studeat. Denique ad rem etiam faciebat, ignaros in quem finem hæc fierent, in incœpto furore confirmare. 1579.

XXI. Quantum autem ad fatum attinet, cui aliqui has turbas attribui volunt, etiamsi certum sit, nihil esse in rerum natura, quod corruptioni non sit obnoxium, ac tandem adveniente termino, quem Creator rebus constituit, non corrumpatur, ac intereat: cum tamen sciri nequeat, quando terminus ille adsit, verumque & hoc sit; excessus, qui Respublicas evertere solent, voluntarias esse actiones, à quibus sibi cavere nullus est, qui non possit, si velit: certius judicabitur, hanc, de qua agitur eversionem, potius ab electione, ac voluntate malevolorum, quam ex necessitate manasse. *Auraicus*, cùm nullus esset sub Imperio Regis Vasallus major, nec qui apud illum in Belgio majore auctoritate, ac gratia valeret, tantæ fœlicitatis immemor, tandem velle aliquid summi Imperii secum, & cum paucis suis, quibus confidebat, valde secretè omnino statuit. Belgæ quam plurimi ob frequentem, continuamque conversationem Germanorum, Gallorum, & Anglorum, quæ per totum Belgium jure mutui com-

Causæ rebellionis.

1576. commercii libera erat, paulatim hæretica pravitate ſe imbuerant, quorum mens, ac voluntas ad *Auriaci* intentionem omnino neceſſaria, & accommodata erat. Acceſſére ad hæc, *Auriaci* admodum artificioſa agendi ratio, Hiſpannorum in gubernando imprudentia, extremum contra illos conceptum paulatim odium, nec non craſſa nimium plurimorum Belgarum ignorantia, nullaque æſtimatio ſcopi, quo animum intendebat *Auraicus*: hinc illæ lachrymæ. Hæc ſunt, que Belgium ex fæliciſſimo ſtatu in immenſum miſeriarum barathrum præcipitarunt.

XXII. Hiſpani viſis his, quæ Bruxellæ agitabantur, ſibi non defuère, ut auctoritas regia, ac propria ſalus conſervaretur. Scripſit *Roda* Tribunali Conſilii Status aliiſque, ne Regi ullo modo deeſſent, hoc nil niſi riſum peperit. Gubernabat Maſtrichtum *Franciſcus Monteſdoca* Hiſpanus vir fortis ac ſtrenuus, nec non ſcientia rei militaris clarus, is habebat in Burgho, quod ibi vocant, qui à civitate flumine Moſa dividitur, *Martinum Ayalam* unius turmæ equitum ſclopetariorum Præfectum, duaſque turres in altera civitatis parte ad portam Bruxellenſem exiſtentes, Hiſpano etiam milite firmavit, ut ſic cum eſſent in civitate præſidiarii quatuor cohortes Germanorum *Eberſteynii* legionis (quorum fides exemplo ſupremi illorum Præfecti merito ſuſpecta erat) ſecuritati civitatis, exactius provideretur. *Romerus* curam communiendi, conſervandique Liram in ſe ſuſcepit: *Sancius* pagum illum, qui eſt oppoſitus Antverpiæ in altera Schaldis ripa Flandriam verſus vallò cinxit, præſidioque, Hiſpanico munivit. Manſére præterea conſtantes cum Hiſpanis *Nicolaus Polneyer*, *Georgius Froensberch*, & *Carolus Focar*, quiſque eorum legionis Germanicæ Præfectus, quorum præſidiis Breda, Bergha, Silvaducis, Grava, & Remunda in fide retentæ. His conſtitutis rebus, parati omnes expectare, quid ab Ordinibus tentaretur. Hi verò continuò armis agere cœpere, dato mandato *Comiti de Reulx*, ut arcem Gandavenſem ad obedientiam Ordinum vi adigeret. Juſſerat illam extrui *Carolus V.* Cæſar cum ad puniendam Gandavenſium rebellionem, ex Hiſpania per Galliam, paucis comitatus domeſticis, & *Franſciſci I.* Regis Galliæ fide fretus, in Belgium per celeres equos (vulgo Poſtam) venerat Anno milleſimo

lesimo quingentesimo, quadragesimo, extructaque fuit ad portam, quâ Antverpiam versus itur, in loco ipsius Cœnobii *Divi Bavonis*, quod ea de causâ ad fanum *Divi Joannis* translatum est, forma quadrangulari, in unoquoque angulo constructo propugnaculo, aqua fossisque undique cincta, ac satis (pro more ejus ætatis) industriè concepta, sed nondum ad perfectionem reducta, ideoque haud difficilis expugnationis. Præfecti Comitatus Flandriæ arcem hanc quondam sub imperio habebant, perque substitutum gubernari, ac custodiri curabant. Sed postea *Albanus*, mortuo *Lamoralio Comite Egmontano*, qui Flandriæ præsidebat, eamque ob caussam hujus arcis præcipuus erat custos, ejus custodiam *N. Salinas* Hispano commendavit, eoque aliquot post annos mortuo, tandem in *Mondragonium* cura ejus translata erat. Denique ut in perfectione constructionis multa arci deerant, sic etiam intus parcè admodum munita inventa est; pauci valde milites, annonæ, pulveris sclopetarii aliarumque ejusmodi rerum, quæ obsidionis tempore, solent esse necessariæ, exigua provisio. Ita pax diuturna, nullaque ibi armorum suspicio, earum rerum, quibus studiosé, tamquam propriæ saluti, invigilare assiduè oportuerat, oblivisci, aut saltem frigidè meminisse, efferat *: male procul dubio, tamquam periculoso exemplo, quo arx ista brevi dictorum defectuum causâ capta est, ut illos, quorum humeris similia onera incumbunt, merito admoneat, nullibi ulterius hujusmodi negligentiam permittendam esse. 1576.

Ex exemplo discitur arces esse muniendas tempore pacis.

XXIII. In obsidione primis diebus satis lentè progressum est, postea tamen majori calore ad secundam murorum quassationem ventum. Erat Mondragonius Zirichzéæ, cum hæc obsidio fieret, habebat tamen in arce substitutum *Antonium Davalos Maldonatum*, qui per binos menses fortiter hosti restitit, omniaque, quæ virum fortem decebant, ac aliquo modo ad loci tuitionem fieri poterant, egregiè præstitit, sed tandem deficiente ipsi auxilio undecima mensis Novembris ejusdem anni *La Lainio*, qui tamquam generalis substitutus *Ducis Arschotani*, ibi tunc aderat, arcem dedere coactus est eâ conditione, ut omnes cum impedimentis libere abire possent, quod ita effectum.

Amissio arcis Gandavensis.

* Lege: effecerat.

XXIV. Hi-

1576. XXIV. Hispani simulatque de obsidione arcis Gandensis certiores facti sunt, ad ejus liberationem animum vertere; exiitque *Vargas*, ut numerum aliquem equitum in unum contraheret, quo secure Alostium pergere liceret, sperans facilè; se ibi tumultuantibus persuasurum, ut sociis obsessis, subventum irent, quorum opera, aliorumque, quos etiam alibi colligere non dubitabat, satis virium sibi esse putabat ad quidlibet contra obsidentes audendum, fecitque hanc militum collectionem in pagis aliquot prope Lecuam, ac Tilmontium, collectæque in iis locis equitum septendecim turmæ levis armaturæ, interque illos mille ducenti veterani milites. Ceterum vix hoc ab Ordinibus intellectum, cum celeriter eodem, quo rebellionem incœperant ardore, omnia se posse jam imprudenter sibi persuadentes, eò mittunt *Beaurium* cum circiter mille equitibus, ex recenti suo equitatu, aliquotque equitum cataphractorum turmis, nec non binis peditum millibus Duce *Glimio*, qui (majori ex parte tyrones, atque inexperti) eò profecti, proposuerant Hispanos passim in pagis dispersos noctu invadere, sed illi cognito hostium adventu, tam exactas excubias per totam noctem observarunt, ut alii nihil damni illis inferre potuerint. Postero die, qui fuit decima quarta Septembris primâ luce, utrimque ad prælium sese pararunt. Hispani nullum habebant peditem, cumque omnino nollent Ordinibus justam dare occasionem, qua se meritò hostes, & abs se infractam pacem publicam prædicare possent, ter misit *Vargas* tibicinem exploratum, quid sibi vellent, seque suosque regios esse milites, solùm Regis jussu in Belgio agitantes, ut contra rebelles, pro bonis pugnarent, ad hoc sese paratos, nihilque penitus in animo habere, quod aliquo modo detrimento Ordinibus esse posset: consisterent ergo, nihilque contra amicos tentarent: sin minus, scirent jure se naturæ ad sui defensionem teneri. Sed hæc omnia frustra proposita: immoderata enim passio armorum (inexpertis dulce desiderium) sanum consilium respuit: itaque ad conflictum ventum est, in quo tam strenuè ab Hispanis pugnatum, ut omnis Ordinum exercitus cæsus, & in fugam versus fuerit; periere multi, uno tantum ex Hispanis desiderato: cæcidère & complures litterarum studiosi, qui cum Ordinum exercitus per Lovanium iter faceret, tamquam ad

ludum.

ludum imprudenter sunt insecuti, studio videndi, quidnam ibi ageretur. *Vargas* post adeptam victoriam eo ipso in loco consedit: subsequente vero die Alostium versus movit, quo etiam venit Antverpiâ eandem ob causam, quâ ipse, *Ferdinandus à Toledo*, sed nihil profecère, fuitque tanta tumultuantium obstinatio, ac pervicacia, ut inde discedere, quamvis ad sociorum salutem, fœdè recusaverint. 1576.

XXV. *Mondragonius* cum sua legione Ziriczeam reliquerat, & in partem illam Flandriæ quæ vulgo *Waes* dicitur, venerat: cum enim discessisset, de summa rei agi *, utilius existimavit, præcipuum Belgii corpus conservare, quàm unam insulam Ziriczeensem, incredibili licet labore sumptuque acquisitam. Conservato enim præcipuo corpore, Ziriczeam aliquando recuperari posse, non erat desperandum. Nihil tamen *Auraico* gratius accidere potuit, nullo enim labore recepit id, quod cum esset in ipsis maritimarum Insularum (ut ita dicam) visceribus, si in potestate *Mondragonii* mansisset, magnum procul dubio suis rebus allaturum fuerat incommodum, ac periculum. Legio hæc *Mondragonii* tandem etiam ad partes Ordinum sollicitationibus attracta, Imperatorem suum deseruit: uti etiam fecère aliæ duæ, quæ *Verdugo* & *Gallio* parebant: ita ut jam nullus Belga miles Hispanis adhæreret.

Mondragonius Ziriczeam derelinquit, quam capit Auriacus.

XXVI. *Vargas* post militum Alostensium repulsam, in Brabantiam cum *Ferdinando Toledano* rediit. Idque valde opportunè: quatuor enim illæ cohortes, *Eberstenicæ* legionis, quas Mastrichti in præsidio fuisse supra memoravimus, de fide Regi rumpendâ agere cœpére, cumque civibus conjuncti, *Montesdocam* ad Burgum se conferre coegerant, ac postea petentes, ut sub fide publicâ Magistratum accederet, ad aliquam inter eos conciliandam concordiam; cum venisset, contra fidem datam captivum detinuére, atque etiamsi postea *Ayala*, quinquaginta munitus sclopetariis Magistratum adiisset, peteretque *Montesdocam* liberari, noluére tamen armisque *Ayalam* ad Burgum reverti coegère. Is verò *Vargam* jam reversum, statim de statu civitatis admonuit. Qui cum *Toledano* ita festinavit, strenuumque sese præbuit, ut quamvis resistentibus

* *Supple:* conspiciens, animadvertens.

1576. stentibus Germanis, civibusque, civitate tandem potitus sit, cæsis quam plurimis civibus, domibus aliquot crematis, & Germanis in unum contractis ad deditionem solo misericordiæ titulo admissis; ex Regiis paucis amissis. Germanos postea ex civitate discedere jussit, aliquotque ei castella illius territorii, ubi præsidia habebant tradidére, quorum unum, dum *Antonius de Toledo*, turmæ unius equitum Præfectus vir illustris inspectat, sclopeto ictus periit. Fuit in hac expeditione singularis admodum opera *Petri Tassii*, qui, quamvis etiam Præfectus equitum, pedes tamen per illas turres, quæ ad portam Bruxellensem à *Montesdoca* præsidiis tenebantur, tam viriliter sese gessit, ut præcipuus inter introeuntes extiterit. *Ferdinandus Toledanus* in civitate cum aliquot suæ legionis cohortibus tunc temporis mansit. *Vargas* collocato equitatu in vicinis pagis, & ipse eo in territorio in præsenti consedit, fuitque procul dubio maximi res momenti Mastrichtum conservasse: erat enim Hispanis tunc tamquam porta, per quam ad eos penitus Brabantia inclusos liber patebat aditus, quem nulla alia via commodè habere poterant.

XXVII. Ordines præterea in eo persistentes, ut omnia loca, quæ ipsis deerant, acquirerent, uti diu antea non nulli animo conceperant, Antverpiam ab arce separare, eoque modo, & arcem quoque in potestatem suam redigere omnino decrevére, idque cum tentare statuissent, quam maximas potuére copias eo paulatim sese conferre curarunt. Misére præterea quatuor cohortes legionis quondam *Mondragonii*, Duce Domino *de Ferey*, quæ pontem supra flumen Adæ * constructum in Wallem (qui est pagus uno milliari in via Antverpiensi Mechliniâ distans) conservarent, securumque redderent. Quod simul ac Liræ, à *Romero* intellectum, statim eo cum aliquot copiis profectus est, fortiterque *Ferreyum*, qui in turrim ecclesiæ tandem se receperat, ad deditionem fumo coegit. Accidit & postea *Floyonium*, *Hiergy* fratrem, Mechliniam ex Campania venire cum quinque cohortibus suæ legionis, de cujus itinere *Romerus* etiam certior factus, tanto impetu in *Floyonium* opportuno in loco irrupit, ut eum cæperit, ejusque copias ceciderit, ac profligarit.

XXVIII. Tan-

* Est fluvius Neta. *De Nete*.

XXVIII. Tandem Ordines tertia Octobris Antverpiæ (quæ illis secretò, opera *Champagnei*, ac *Eberſteynii* aperta erat) intromisére prima nocte *Philippum Comitem Egmontanum* cum sua legione, Dominum *de Berſele* cum suâ *Caprium*, aliosque pedites multos: *Beavorium* cum suis equitibus: multas cataphractorum equitum turmas cum *Marchione de Havré*, ac *Goignio*; fuère præterea Ordinibus presto quatuordecim millia civium armatorum, ita ut justum exercitum intra civitatis moenia fuisse certo dici posset: qui introierant pedites in plateis, quæ arcem versus vergunt, partim in statione, reliqui aliis opportunis in locis dispositi sunt: ac continuo in constructione valli contra planitiem, quæ ante arcem jacet, pergitarque à Divi *Georgii* portâ ad illam usque, qua Schaldiam versus exitur (*Croonenborch* vulgo dictam) qua fieri potuit diligentia, per totam noctem laboratum fuit. Hispani vero eâ ipsâ nocte eo misere *Gaſparum Ortiz* Præfectum cum aliquot militibus exploratum, quid ab Antverpiensibus, aliisque, qui cum illis conjuncti erant ageretur. Hic aliquot in opere inventos occidit, aliquotque domibus ignem injecit. Verum cives *Ortizio* in arcem reverso, ignem extinxere. Fama earum rerum, quæ Antverpiæ agebantur, celeriter Alostium perlata, adeo tumultuantium animos commovit, ut quod antea nec periculi Gandavensis causâ, nec præcipuorum illorum virorum, quos eo profectos supra diximus, hortatu facere in animum induxerant, tunc pro salute *Sancii*, ac spe prædæ tantæ civitatis, sponte decreverint. Itaque è vestigio alacres Alostium reliquère, ad ripam Schaldis prope cœnobium Divi *Bernardi* summo manè se contulère: tandemque inventis schaphis in alteram fluminis partem trajecère. *Vargas* etiam jam tunc ex ditione Mastrichtensi vicinior Antverpiæ factus, nec non *Romerus*, *Sancio* futuri auxilio, copias aliquot pedestres, & equestres collegerant, cum quibus dum Antverpiam tendunt, incidunt summâ cum lætitia in illos, qui ex Alostio aderant: conjunctis itaque copiis, omnes in arcem Antverpiensem sese recepère, die quarto ejusdem mensis ante meridiem, ubi statim decreta civitatis invasione, quid cuique agendum esset designatum est. 1576.

XXIX. Alostenses invasionem per plateam Divi *Michaelis*, quam vocant, in se suscepère, electo sibi in Ducem *Navaretto*,

1576. *recto*, uno ex suis, qui gestabat vexillum, in quo depicta erat figura CHRISTI crucifixi in una parte, & Beatæ *Mariæ* Virginis in alterâ. Volebat *Sancius* militem ante irruptionem cibo, potuque aliquantulum se reficere, quod impetrare non potuit: omnes enim firmiter sibi proponebant Antverpiam ipsis, aut mortem, aut optima cibaria daturam. *Romero* cum suis invadendi civitatem per plateam divi *Georgii* cura datur, & *Vargas* relicto in altera parte nonnullo equitatu, qui pedites subsequeretur ad hanc divi *Georgii* plateam, per quam commodior equitatui patebat aditus, cum reliquis viriliter adfuit, invenitque quatuor cohortes peditum Germanorum, *Alta Empsii* quondam legionis, duce *Cornelio Dens*, *Alta Empsii*, dum in Belgio agebat, locum tenente, qui haud immemores fidei, quam Regi debebant, contra Hispanos pugnare noluére, *Vargoque* se dedidére. Cauté præterea ab Hispanis fuerat decretum, ut lixæ, famulique omnes militum fasciculos straminis secum ferentes, copias insequerentur, quorum opera statim si esset necesse incensis ædificiis, hostem facilius superare possent. Altera ex parte Antverpienses omnino ad defensionem parati, in primo ordine, omnes milites, & post eos cives opportunis in locis collocaverant: tantaque fuit eorum copia, ut ex solis armatis militibus, plateæ confectæ, stratæque esse viderentur. *Sancius* toto illo die multis tormentis bellicis vallum, quod cives construxerant, usquequaque vexavit, donec ad manus ventum: pugnatum est acriter, diuque apud cœnobium Divi *Michaelis*, tandem Antverpienses inde cedere coacti, in foro quod monetarum vulgo appellatur, iterum fortiter resistére: ultimo ad forum præcipuum ventum, ubi erat domus publica civitatis magnifica valdè, multoque extructa sumptu: ubi cum fortius, quam umquam alibi resisterent (erat enim domus illa forumque munitum Guldis, quas vocant: quæ sunt sex ordinariæ cohortes civium, olim ad defensionem civitatis expressé institutæ, ac ob continuum armorum usum plus aliis exercitatæ) Hispanique plurimi sauciarentur, caderentque, fasciculis illis stramineis, quos allatos per famulos supra diximus igni accensis, pulvereque bombardico adjutis, domum illam publicam, ita incendio fumoque complevere, ut coacti fuerint defensores omnino cedere, ac tandem de salute

Direptio urbis Antverpiensis.

[ta]nte cogitare, Hispanumque militem eâ in parte victorem relinquere. Cumque haud infelicius *Romerus* in loco sibi destinato pugnasset, hostemque ad extremam usque civitatem, portamque, qua Ostervelium versus itur, fugere, ac quibuscumque posset viis, modisque salutem quærere, coegisset, tanta omnium trepidatione, ut inter alios multos fuerit miles equestris, qui ex civitatis muro, in fossam mœnium aquis repletam, satis amplam, quæ ibi est, cum equo, fælici tamen successu, sese præcipitaverit. Tandem tota civitas in Hispanorum potestatem redacta est. Periére ex Antverpiensibus innumeri, multi ferro, multi flammis, quæ è domo publicâ vento volutæ complures alias propinquas, incredibili mercium jacturâ corripuère, absumpti: multi denique ad flüvium navigiaque confugiunt, quibus se condant, mortemque effugiant, submersi: interque eos erat *Eberstenius*, *Bouvrius* autem comprehensus in canali novæ civitatis, quo se receperat, unâ cum *Glabbequio* equitum Præfecto, fide data à *Romero* & *Petro Tassio*, qui usque *Romero* toto die strenuè adfuerat, cum ad terram per asserem quem ei porrexerant venire conatur, in mediâ viâ lapsus ibi periit, *Glabbequiumque* suo exemplo admonens, ut cautus tabulæ se confideret; quod ille fecit, salvusque terram attigit. Evasére hanc cladem *Haurœus*, & Dominus *de Berfele*: *Champaignius* navigium opportune nactus, Vlissingam ad *Auraicum* confugit. In hostium manus venère *Egmontanus*, *Caprius*, & *Goignius*. Ex Hispanis non ultra centum & quadraginta desideratis, inter quos *Damianus Moralus* Præfectus unius cohortis, & *Navarettus*; ille ab Alostensibus in Ducem electus, *Nicolas Polveyer* in hac expeditione cum Hispanis admodum animosè sese gessit. Copiosissima vero ex civitatis direptione præda tumultuantes Alostenses, cæterosque, si non satiavit (ut raro ejusmodi rerum satietas in quemque cadit) at abunde tunc locupletavit. 1576.

XXX. Ordines tunc temporis, cum decrevissent, ut Belgium a bello prorsus liberaretur, armis exterum militem saltem ad discessum cogere, reconciliare sibi *Auraicum*, illasque Provincias quæ partes ejus sequebantur, constituère. Hoc enim ad perfectam solidamque quietem, ac tranquillitatem, & sibi totique Belgio, videbatur esse necessarium. Commu-

nicato

1576. nicato itaque consilio cum *Auraico*, ejusque fautoribus, è vestigio Gandavi per aliquot utrimque missos conventus habitus, deque perpetuâ ambarum partium reconciliatione tractatum, ac tandem scripto conclusum est; conditionibus sequentibus, quas redigi curarunt per tribunal Consilii Status in formam Edicti Regii; ac Regio nomine promulgari, tamquam cum Rege ipso transegissent, cum tamen harum rerum ignarus esset, fuitque divulgata hæc pacificatio octavâ Novembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi sexti.

„ XXXI. PHILIPPUS Dei gratia Rex Castellæ, Leo-
„ nis, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Majoricæ,
„ Sardiniæ, Insularum Indiæ, & continentis maris Oceani,
„ Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Bra-
„ bantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, ac Mediolani,
„ Comes Habsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Pa-
„ latinus, & Hanoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, Namur-
„ ci, & Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sancti
„ Imperii, Dominus Salinarum, Mechliniæ, Civitatum,
„ Urbium, ac Regionis Ultrajectensis, Transisulanæ, &
„ Groeningæ, Dominator in Asiâ, & Africâ.

„ Omnibus præsentes litteras visuris salutem. Cùm genera-
„ lis Ordinum Conventus in hâc nostra urbe Bruxellæ habi-
„ tus, dilectis nostris, ac fidis nostri Consilii Status Consi-
„ liariis, inferiorum Regionum administrationi a nobis com-
„ missis significaverit inter Commissarios Prælatorum, Nobi-
„ lium, Urbium, ac membrorum Brabantiæ, Flandriæ,
„ Arthesiæ, Hannoniæ, Valencenarum, Insulæ, Duaci, &
„ Orchiæ, Namurci, Tornaci, & Tornesiæ, Ultrajecti,
„ & Mechliniæ, prædictarum Regionum Ordines repræsen-
„ tantes, & Principem *Auraicum*, Ordines, & Urbium,
„ Hollandiæ, Zelandiæ, & confœderatos hinc inde respecti-
„ ve deputatos, quemdam pacificationis tractatum initum
„ fuisse, postulando ab iis litteras, & Diploma, sub nostra
„ aucthoritate, ac sigillo super eâ re expediri, cum inser-
„ tione facultatum dictorum Commissariorum, & cum clau-
„ sulâ, quod universi Provinciarum in dictâ pacificatione
„ comprehensarum subditi ad illum strictè, inviolatèque
„ implendum, ac servandum: atque insuper Gubernatori-
„ bus, Præsidibus, Consiliariis, ac Magistratibus dictarum

nostrarum

„ nostrarum Provinciarum injungi, ut dictam pacificatio- 1576.
„ nem ubique promulgari curent. Cujus quidem tracta-
„ tus dictarumque facultatum translatio, seu interpretatio
„ hic subjicitur.

„ XXXII. Universis præsentes litteras inspecturis salutem.
„ Cum postremis his novem, aut decem annis, Regiones
„ hæ per bella intestina, superbumque, ac durum Domina-
„ tum, injurias, furta, depredationes, atque alia insolen-
„ tiæ genera Hispanorum, iisque adhærentium in ingentes
„ miserias, ac calamitates inciderint, atque ut iis provide-
„ retur, finisque omnibus in posterum dictarum Provincia-
„ rum tumultibus, oppressionibus, ac miseriis, firmo alio,
„ ac valido pacis vinculo imponeretur, mense Februario An-
„ ni millesimi, quingentesimi, septuagesimi quarti, deputati
„ à sua Majestate, & Principe *Auraico*, Ordinibusque Hol-
„ landiæ, ac Zelandiæ Commissarii in urbe Breda convene-
„ rint, à quibus multa paci utilia in medium adducta, qui
„ tamen inde sperabatur fructus minime secutus fuerit, quin
„ potius interim, dum spes solatii ex clementia & benigni-
„ tate suæ Majestatis speratur, Hispani miseros subditos in-
„ dies opprimere, depredari, perdere, atque in perpetuam
„ servitutem redigere, non destiterint, varias insuper sedi-
„ tiones excitando, urbibus, ac magnatibus comminando,
„ multis hostiliter occupatis locis, depopulatisque, ac in-
„ censis. Unde factum, ut cum à Præfectis Provinciarum,
„ hostes suæ Majestatis, ac publicæ quietis judicati essent,
„ dictarum Provinciarum Ordines armis contra eos decertare
„ necesse habuerint, partim majoris desolationis vitandæ causa,
„ partim, ut coalescentibus in unum per mutuum fœdus Re-
„ gionum incolis, Hispanos, eorumque fautores, Patriæ
„ destructores, communibus votis ejicerent, ac cives anti-
„ quis suis juribus, privilegiis, consuetudinibus, immuni-
„ tatibus, ac libertatibus fruerentur, quo libera deinceps
„ negotiatio, & mercatura esse posset. Inde est, quod ha-
„ bito primo eorumdem Præfectorum Provinciarum consen-
„ su, & juxta conventionem illam, ac pacificationem in Ur-
„ be Breda incœptam, præsens hic tractatus ad gloriam Dei,
„ & pro suæ Majestatis servitio, directus, & factus est in-
„ ter Prælatos, Nobiles, Urbes, & membra Brabantiæ,

1576. „ Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Valencenarum, Insulæ,
„ Duaci, Orchiæ, Namurci, Tornaci, Tornesiæ, Ultra-
„ jecti, Mechliniæ, duarum Provinciarum Ordines, ac
„ Status repræsentantes, & Dominum Principem *Auraicum*,
„ Ordines, & Urbes Hollandiæ, Zelandiæ, & eorum con-
„ fœderatos, post Commissarios hinc inde respective depu-
„ tatos: nimirum Reverendos Dominos, Dominum *Joannem*
„ *vander Linden*, Abbatem Sanctæ Gertrudæ Lovanii: Do-
„ minum *Gislenium* Abbatem Sancti Petri Gandavi: Domi-
„ num Mattheum Abbatem Sancti Gisleni, Episcopum At-
„ trebatensem designatum, *Joannem de Mol*, Dominum de
„ Oetinghen, *Franciscum de Harlevin*, Gubernatorum ac Ca-
„ pitaneum, nec non legum Flandriæ reformationis Commis-
„ sariorum: Dominum *Carolum de Gavre*, Dominum de Fre-
„ sin equites, Dominum *Elbertum Leonium* in utroque Jure
„ Doctorem, & in Lovaniensi Universitate Professorem,
„ Magistrum *Petrum de Beure* Domini nostri Regis in Consilio
„ Flandriæ Consiliarium, & Dominum *Quintinum de Prat*,
„ primum Urbis Montensis in Hannonia scabinum, cum
„ *Joanne de Penant* itidem Consiliario, & Computorum suæ
„ Majestatis in Brabantia Magistro eorum secretario, ex
„ dictorum Ordinum Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Han-
„ noniæ, & cœterarum. Et *Philippum de Marnix* Dominum
„ à Sanctæ Aldegundæ, *Arnoldum van Dorpe* Dominum de
„ Tanisia, *Guillelmum van Zuysen van Nievelt*, Dominum de
„ Heeraertsberghe, nobiles Dominum *Adrianum van de My-*
„ *len*, in utroque Jure Doctorem juxta Excellentiam suam,
„ & in Consilio provinciali Hollandiæ, Consiliarium, Ma-
„ gistrum *Cornelium de Coninck* utriusque Juris Licentiatum, &
„ juxta eandem Excellentiam Consiliarium, Magistrum *Pau-*
„ *lum Buys*, Provinciæ Hollandiæ Advocatum, Magistrum
„ *Petrum de Rycke* Vlissinghe Baillyum *Antonium van Den-*
„ *zickele* Zelandiæ Consiliarium, & *Andream de Jonghe* Mid-
„ delburgi Burgi Magistrum, ex parte dicti Domini Prin-
„ cipis, Ordinum Hollandiæ, Zelandiæ, & Confœderato-
„ rum, juxta illorum facultates, & commissiones in fine
„ præsertim insertas, inter prædictos utriusque partis Do-
„ minos, & Provincias firmum, ac perpetuum pacis, con-
„ fœderationis, & unionis vinculum, paciscentes, & tractan-
„ tes,

„ tes, sub conditionibus, & conventionibus sequentibus. 1576.
„ XXXIII. Primum, quod omnes offensæ, injuriæ, nocumenta, & damna bellorum occasione inter harum Provinciarum præsenti tractatu comprehensarum incolas, quovis loco, vel modo illata, remittentur, oblivioni tradentur, & tamquam non facta habebuntur, ita ut eorum causa nulla umquam mentio, nulla molestia, vel inquisitio posthac fieri debeat.

„ XXXIV. Juxta quæ pollicentur prædicti Brabantiæ, Flandriæ, Hannoniæ, & cœterarum Ordines, sicut & prænominati Princeps, & Hollandiæ, Zelandiæ, eorumque confœderatorum Ordines in posterum bonâ fide, omnique simulatione semotâ firmam, inviolabilem pacem, fœdera, & amicitiam observaturos, & ut ab omnibus Provinciarum habitatoribus observentur, effecturos, atque ita omni tempore, quavis occasione, mutuis se auxiliis, tum consilio, tum facto juvaturos: ejusque rei gratia vitam, fortunasque omnes impensuros, maximè, quo ab his Provinciis Hispani milites, atque alii Extranei, qui omni jure violato, Dominis, & Nobilibus dictarum Provinciarum vitam eripere, omniaque bona sua sibi vendicare, totumque populum in perpetuâ servitute detinere conati sunt, abigantur, cui rei, sicut & cœteris omnibus ad inimicorum impetum propulsandum necessariis, prædicti confœderati, ac socii se ad omnes contributiones, & impositiones justas, & necessarias promptos, & paratos promittunt, & pollicentur.

„ XXXV. Conventum præterea est, quod statim, post discessum Hispannorum eisque adhærentium, omnibus quietis, & pacatis, utraque pars generalem Statuum, seu Ordinum convocationem, eadem forma, & modo, quo id contigit eo tempore, quo defunctus gloriosissimæ memoriæ *Carolus* Imperator, has Provincias *Philippo* Regi nostro cessit, & transtulit, procurare tenebitur, ut sic in universo, & peculiari, omnibus, quæ ad Provincias pertinent, provideatur, tam in his quæ usum, & exercitum Religionis, & Provinciæ, Zelandiæ, Bommeliæ, aliorumque locorum confœderatorum, quam quæ castellorum, seu locorum munitorum, instrumentorum bellicorum, navigiorum, cœterorumque ad suam pertinentium restitutionem spectant quæ

 „ in

1576. „ in prædictis bellis ab incolis Hollandiæ, Zelandiæ, aliisve „ intercæpta sunt, prout Regis, dictarumque Provinciarum „ utilitas, & unio postulare videbitur: quâ in re neutra ex „ parte contradici, aut impedimentum, vel mora afferri „ poterit, seu legibus, ordinationibus, declarationibus, re- „ solutionibus, quæ illic fient, seu executioni earumdem, „ ad quorum omnium observationes, ambæ illæ partes, in- „ tegra, & bonâ fide se submittunt.

„ XXXVI. Quod in posterum utriusque partis incolæ, „ cujuscumque nationis, status, qualitatis, aut conditionis „ fuerint, liberè, & securè ubique habitare, frequentare, „ ire, redire, manère, negotiari poterunt: eâ tamen lege, „ ut civibus Hollandiæ, Zelandiæ, aut aliis cujuscumque „ nationis, qualitatis, seu conditionis sint, non liceat in his „ partibus, extra dictas Provincias Hollandiæ, Zelandiæ, & „ aliorum locorum associatorum, in perniciem quietis, & „ Pacis publicæ, & maximè Religionis Catholicæ Romanæ, „ ejusve exercitii quidcumque tentare, vel moliri, aut quem- „ quam hac de causa injuriis, facto, vel verbo lacessere, aut „ etiam scandalisare, ne tamquam publicæ quietis perturba- „ tores, & ut aliis sint exemplo, puniantur.

„ XXXVII. Atque ne quis interim criminationis, prehen- „ sionis, aut damni periculo, leviter exponatur, cuncta, quæ „ hactenus super hæresi lata sunt edicta, capitalesque à Duce „ *Albæ* factæ ordinationes, earumve consequentiæ, & execu- „ tiones suspendentur, donec ab universis Ordinibus, aliter „ decretum sit, modò nullum, eo, quo dictum est modo, „ scandalum inde oriatur.

„ XXXVIII. Quod dictus Princeps, Generalis maris, „ Regiusque Provinciarum Hollandiæ, Zelandiæ, Bomme- „ liæ, aliorumque locorum confœderatorum Præfectus per- „ manebit, ut ubique, uti nunc facit, imperet cum iisdem „ officiariis, & Magistratibus absque ulla mutatione, vel „ innovatione nisi ex ipsius consensu, & voluntate, idque „ pro ratione urbium & locorum, quæ à suâ Ex^a. in præ- „ sens occupantur, quousque aliter ab universis Ordinibus „ post Hispannorum discessum sancitum fuit,

„ XXXIX Quoad urbes autem & loca sub commissione, „ quam à Rege habet, contenta, quæ in præsentiarum sub

„ obe-

„ obedientia, & imperio suæ Excellentiæ non sunt, suspen- 1576.
„ sum id tantisper erit, donec ejusmodi urbibus, & locis,
„ huic unioni, & Paci cum aliis Ordinibus junctis, sua Ex-
„ cellentia in his, in quibus offendi se sub ejus gubernatione
„ causari possent, fecerit satis, seu de Religione, seu de
„ alia quâcumque re agatur, ne scindantur Provinciæ, atque,
„ ut omnis simultas, & dissensio evitetur.

„ XL. Nulla interim edicta, mandata, nec justitiæ execu-
„ tiones in prædictis locis sub ditione suæ Excellentiæ vale-
„ bunt, nisi ea, quæ à sua Excellentiâ, seu Consilio, Magi-
„ stratibus aut officiariis ibi approbata, aut decreta fuerint,
„ sine tamen prejudicio in futurum magni Consilii suæ Ma-
„ jestatis.

„ XLI. Statutum est etiam, ut omnes captivi ob tumultus
„ præteritos, ac nominatim *Comes de Bossu*, liberè, & absque
„ ullo prætio, exceptis tantum carceris impensis, relaxen-
„ tur, nisi forte ante diem datam præsentium, prætium redem-
„ ptionis jam exsolverint, vel de eo convenerint, vel pacti sunt.

„ XLII. Conventum præterea est, ut prædictus Dominus
„ Princeps aliive Domini, Equites, Nobiles, personæ sin-
„ gulares, ac subditi cujuscumque status, qualitatis, aut
„ conditionis fuerint, simul eorum viduæ, dotariæ, liberi,
„ hæredes, utriusque partis, suo nomini, famæ, & existi-
„ mationi in integrum restituantur. Utque suorum omnium
„ dominiorum, prærogativarum, actionum, debitorum, quæ
„ quidem minimè vendita, & alienata fuerint, & quidem in
„ eo statu, in quo nunc ejusmodi bona sunt, possessionem
„ apprehendere, atque adire possint, ac præterea omnes va-
„ dimoniorum desertores, contumaciæ, arresta, sententiæ,
„ præhensiones, & executiones lata, & facta ab initio belli
„ Anni millesimi, quingentesimi sexagesimi sexti, sive Reli-
„ gionis, sive armorum causâ, & quæ inde secuta sunt, re-
„ vocentur, extinguantur, irritaque, ac plane nulla judicen-
„ tur, atque in hunc finem omnes, qui inde nati sunt pro-
„ cessus, actaque, sic scripta è Registris deleantur, expun-
„ gantur, & obliterentur: atque ita ut nullo alio, ad id
„ documento, seu provisione, quam præsenti tractatu opus
„ sit, non obstantibus quibusdam incorporationibus, juribus,
„ consuetudinibus, privilegiis, præscriptionibus tam legali-

1576. „ bus, conventionalibus, & consuetudinariis, quam locali-
„ bus, & aliis quibuscumque exceptionibus, quae in hoc
„ casu, & in omnibus aliis hujusmodi bella concernentibus,
„ cessabunt, nulliusque valoris erunt, & quibus, quantum
„ necesse fuerit, per praesentes specialiter sit derogatum,
„ quemadmodum etiam, & juri disponenti, quod derogatio
„ generalis non valeat absque specificatione praecedente.

„ XLIII. Sed & hoc cautum, ut hoc tractatu compre-
„ hendatur, illiusque beneficio gaudeat, Domina *Comitissa*
„ *Palatina* nuper defuncti Domini *de Brederode* vidua, quan-
„ tum ad Vianam, & alia bona pertinet, ad quae ipsa vel alii
„ ipsius causâ jus habent.

„ XLIV. Et similiter comprehenditur hic *Comes de Buren*,
„ quantum ad urbem, castellum, & Provinciam de Buren
„ attinet, ut iis fruatur dictus Dominus Comes, ablato inde
„ praesidiario milite, tanquam re sibi propriâ.

„ XLV. Columnae quoque, Trophea, Inscriptiones, alia-
„ ve signacula à Duce *Albae* in dedecus, & infamiam tam di-
„ ctorum, quam aliorum erecta, diruentur, evertentur, ac
„ solo aequabuntur.

„ XLVI. Quantum ad fructus dictorum dominiorum, &
„ bonorum reditus, etiam elapsos, seu arreraria (ut vocant)
„ dotium, usufructuum, locationum, censuum, & annuorum
„ proventuum sive supra Majestate sua, sive Provinciis, &
„ urbibus, & omnibus aliis assignatorum ante datam prae-
„ sentium, debitorum, non tamen solutorum, nec recepto-
„ rum à suâ Majestate, aliisve ab eâ jus habentibus, poterit
„ quilibet respective iis uti, ac frui.

„ XLVII. Quamquam tamen, quidquid ratione earumdem
„ haereditatum, & proventuum à die nativitatis Divi *Joannis*
„ *Baptistae* ultimae, anni millesimi quingentesimi septuagesi-
„ mi sexti debitum erit, ad proprietarios pertinebit, licet re-
„ ceptor Confiscationum, vel quilibet alius, aliquid ex his
„ receperit, quo casu quidquid receptum fuerit, restituetur.

„ XLVIII. Verum si actorum annuorum censuum, alio-
„ rumve proventuum, titulo confiscationis aliquot anni à sua
„ Majestate caepti & recepti sunt, totidem annis, quilibet
„ ab omnibus oneribus, & hypotecis liber, & immunis fit,
„ sicut liberabitur quilibet ab utraque parte ab omnibus an-
„ nuis

„ nuis proventibus super terris, & bonis assignatis, quibus 1576.
„ ratione bellorum præteritorum frui non potuit: idque pro
„ rata temporis, quo tale impedimentum extitit causâ dicti
„ belli. Quantum ad supellectilem, & mobilia domestica,
„ quæ ab utraque parte consumpta, vendita, vel alienata
„ sunt, eorum restitutio fiet nemini.

„ XLIX. Quantum ad bona immobilia, hæreditates, do-
„ mos & annuos proventus, qui titulo confiscationis venditi,
„ vel alienati erunt, dicti Status, in unaquaque Provincia,
„ commissarios deputabunt de difficultatibus, si quæ incide-
„ rint, cognituros, quo tam antiquis proprietariis, quam
„ emptoribus, & Leonorum * dictorum venditoribus, ob
„ regressus, & mutuas evictiones, juste satisfieri queat.

„ L. Pro censu, & arreragiis: (ut vocant) annuorum
„ proventuum, & obligationum, & omnium aliarum præ-
„ tensionum, seu querimoniarum, quas ex utraque parte læsi
„ intentare, & in medium proponere quoquomodo decre-
„ verunt, idem fiet.

„ LI. Quod omnes Prælati, & alii Ecclesiastici, quorum
„ Abbatiæ, Diœceses, fundationes, & Residentiæ, extra
„ Hollandiam, & Zelandiam sitæ sunt; & tamen in iis
„ Provinciis bona possident, ad proprietatem, & usum
„ dictorum bonorum suorum redibunt, sicut supra de laicis
„ statutum.

„ LII. Religiosis vero, aliisve Ecclesiasticis, qui in præ-
„ dictis duabus Provinciis, locisve associatis Religionem
„ sunt professi, vel ibidem præbendas obtinent, qui tamen
„ hinc discesserunt, & extra earum fines habitaverunt, cum
„ major pars bonorum ad ipsos pertinentium sit alienata,
„ rationabilis alimentorum provisio, cum aliis, qui ibi re-
„ manserunt, attribuetur, vel alias dictorum bonorum suo-
„ rum fruitio concedetur, donec super ulterioribus suis
„ prætensionibus in generali Ordinum conventu caveatur.

„ LIII. Statutum præterea est, quod omnes donationes,
„ exhæredationes, aliæve dispositiones inter vivos, vel
„ causa mortis, à personis privatis factæ, quibus ratione
„ belli, vel Religionis à suis successionibus legitimis, veri
„ hære-

* *Lego*: Bonorum.

1576. „ hæredes removentur, exhæredantur, vel ex parte eis pri-
„ vantur, harum præsentium virtute irritæ, ac nullæ sunt.
„ LIV. Cum vero Hollandiæ, & Zelandiæ insulæ, quo
„ facilius belli impensis satisfacerent monetas omnis gene-
„ ris, tum ex auro, tum ex argento, prætio magno existi-
„ maverint, quas sine maximo destrimento, aliis in locis
„ distrahere, & expendere non possunt, conventum est,
„ quod deputati ab universis Ordinibus, huic rei quam ci-
„ tissimè fieri poterit providebunt, quoad conservationem
„ hujus unionis, & communis ex utraque parte mercaturæ,
„ earum monetarum cursus, & valor, quam proximé, &
„ justissimé fieri poterit æquari queat.
„ LV. Cœterum super prædictorum Hollandiæ, & Ze-
„ landiæ Ordinum petitionibus, postulantium, ut harum Pro-
„ vinciarum inferiorum generalitas, universis debitis, quæ
„ a dicto Domino Principe ad confectionem duarum suarum
„ expeditionum, & maximarum copiarum, se oneret, ad
„ quod tam Hollandiæ, quam Zelandiæ incolæ, quam aliæ
„ Provinciæ, & urbes, quæ se suæ Excellentiæ in extremâ
„ illius expeditione dediderunt, se, ut ipsi quidem asserunt,
„ astrinxerunt, & obligarunt, hoc judicio, & determina-
„ tioni dicti generalis conventus, Ordinum relictum est, qui-
„ bus cum pacata omnia fuerint, id negotii proponetur,
„ quo, ut decére videbitur, caveri queat.
„ LVI. Hoc communi tractatu, & Pacis fœdere, domi-
„ nia, & urbes, quæ à parte contrariâ stant, ut ipsius bene-
„ ficio gaudeant, minimé comprehendentur, donec huicce
„ confœderationi re ipsâ se adjunxerint, quod ipsis cum vi-
„ debitur præstare licebit.
„ LVII. Quem quidem Pacis contractum post relationem
„ factam, habitamque super his approbationem, & assensum,
„ tam per Dominos Provinciarum gubernationi commissos,
„ quam per earumdem Ordines, simul etiam per Dominum
„ Principem, Ordines Hollandiæ, Zelandiæ, & confœde-
„ ratos in omnibus, ac singulis prædictis articulis, & pun-
„ ctis, & quidquid in dicto generali conventu super hâc re
„ statuetur, dicti Commissarii virtute facultatum & commis-
„ sionum suarum promiserunt, & juraverunt, promittunt, &
„ jurant se inviolabiliter observaturos, custodituros, factu-
„ rosque,

„ rosque, ut singula illa ex utrâque parte infra mensem a 1576.
„ Prælatis, Nobilibus, Urbibus, & aliis dictarum Provin-
„ ciarum corporibus, etiam à Domino Principe, tam in uni-
„ verso, quam particulari rata habeantur, jurentur, sub-
„ scribantur, & signentur. In cujus rei fidem dicti depu-
„ tati in Domo publicâ Gandavensi has subscripserunt octa-
„ vâ Novembris anno millesimo quingentesimo septuagesimo
„ sexto. Signatum * *Joannes vander Linden* Divæ Gertrudæ
„ Abbas, *Gislenius* sancti Petri Abbas, *Mattheus* sancti Gis-
„ leni Abbas, *Joannes de Mol*, *Franciscus de Harlevin*, *Carolus*
„ *de Gavre*, *Elbertus Leonius*, *Petrus du Pret*, *R. Bevre*, *PS.*
„ *de Marnix*, *Arent van Dorpe*, *W. van Zuylen van Nieuvelt*,
„ *A.V. Myle*, *Petrus de Rycke*, *Joannes Coninck*, *Petrus Buys*,
„ *Andreas de Jonge*, *Vander Zickelen*, me præsente signatum:
„ *Joannes Pennants.*

* Hæc nomina deputatorum ad pacificationem Gandavensem haud rectè enuntiata sunt omnia, nec homines ipsos satis indicant. *Joannes Van der Linden* rectè quidem. *Gislenus Temmerman*, Abbas S. Petri in monte Blandinio juxta Gandavum. *Matthæus Moulart*, Abbas S. Gisleni in Hannonia, dein episcopus Atrebatensis. *Joannes de Mol*, toparcha de Oetingen. *Franciscus van Halewyn*, toparcha de Zweveghem, gubernator Aldenardensis. *Carolus de Gavre*, toparcha de Fresin. *Elbertus Leoninus* J. U. D. & professor Lovaniensis. *Quintinus* (malè hic appellatur *Petrus*) *du Pretz*, primus scabinus urbis Montensis in Hannonia. *Betrus de Bevere*, Consiliarius in senatu Flandriæ. *Philippus de Marnicx*, toparcha S. Aldegondis. *Arnoldus van Dorp*, toparcha de Teemsche. *Guilielmus van Zuylen van Nievelt*, toparcha de Heraetsberghe. *Adrianus van der Myle*, J. U. D. Consiliarius in senatu Hollandiæ, & principis Auriaci. *Petrus de Rycke*, prætor Vlissingensis. *Cornelius* (malè hic *Joannes*) *de Coninck* J. U. L. consiliarius principis. *Petrus Buys*, Advocatus provinciæ Hollandiæ. *Andreas de Jonghe*, Consul Middelburgensis. *Antonius van den Zickele*, Consiliarius Zelandiæ. *Et Joannes de Pennants*, Consiliarius, ac magister Rationum Regis in Brabantiâ.

1576. *Commissio Publicorum Comitiorum.*

„ LVIII. PRælati, Nobiles, Urbes, Ordines Provinciarum „ inferiorum repræsentantes, Bruxellæ congre- „ gati, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem. Cum a „ multis diebus Dominus Princeps *Auraicus*, Hollandiæ, ac „ Zelandiæ incolæ, cum Commissariis Regis Domini nostri „ communicare decreverint, juxta quod mense Februario „ anni millesimi quingentesimi septuagesimi quarti suæ Majesta- „ tis dicti Commissarii secundum antiquum Brabantiæ sty- „ lum in urbe Breda cum deputatis a D°. Domino Principe, „ Hollandiæ, Zelandiæ Ordinibus, eorumque adhærentibus, „ ac confœderatis convenerint, ubique crebris, ac diversis „ colloquiis de infælicium armorum, civiliumque bellorum „ pacificatione, tractaverint, multis hinc, & illinc in hunc „ finem productis, quæ tamen pacificatio nullum sortia est „ effectum, magno dictorum Ordinum dolore, habitâ ratione „ ingentium miseriarum, calamitatum, & afflictionum dicta- „ rum Provinciarum, sitque ad totam earum præveniendam „ desolationem necesse brevi provideri; Notum facimus quod „ cernentes dictarum Provinciarum calamitates, maximè ea- „ rumdem subditorum reductionem, tranquillitatem, quietem, „ & pristinam prosperitatem, optantes, melioribus, & ma- „ gis congruis viis, quàm fieri potest, negotia tractantes, „ ad sedandas omnes seditiones, divisiones, & bella civilia „ in Dei, suæque Majestatis honorem, & dictarum Provin- „ ciarum, & Regionum bonum publicum, commisimus, & „ deputavimus, committimus, & deputamus tamquam Com- „ missarios ad prædictæ pacificationis continuationem, & „ effectum Reverendos in Deo Patres Dominum *Joannem* „ *van der Linden* sanctæ Gertrudæ apud Lovanium Abbatem, „ Dominum *Gislenium Gimmerinam* * sancti Petri Gandavensis „ Abbatem, vel ejus loco, *D. Bucho Ayta*, Archidiaconum „ Ypræ, Dominum *Mattheum* † sancti Gislenii Abbatem, „ Atrebatensium Præsulem designatum, *Joannem de Mol*, Do- „ minum de Oettinghen, *Franciscum de Harlevin*, Dominum

„ de

* *Lege*: Temmerman. † Moulart, postea Episcopum Atrebatensem.

„ de Scheveninghen, *Carolum de Gavre*, D. de Frezin equites 1576.
„ *D Elbertum Leonium* Juris utriusque in Academia Lovaniensi
„ Doctorem, & Professorem, *M. Petrum de Beuvre*, vel *M. Judo-*
„ *cum Huysman* in Flandria Consiliarios, & Dominum *Quintinum*
„ *du Pret*, Primum scabinorum civitatis Montensis in Han-
„ nonia, cum tali Secretario, qualem ipsi elegerint, quibus
„ simul omnibus, aut saltem sex ex illis, dedimus, ac da-
„ mus virtute præsentium plenam potestatem, aucthoritatem
„ & mandatum speciale, & generale comparendi Gandavi,
„ duodecimâ hujus mensis Octobris, ibique prosequendi cum
„ deputatis Domini Principis *Auraici*, Provinciarum Hollan-
„ diæ, Zelandiæ, eorumque colligatorum, communicatio-
„ nem, & pacificationem, juxta puncta, & media jam pro-
„ posita, aut alia convenientia, suisque dependentiis, atque in
„ eo generaliter, & specialiter dicendi, & faciendi, quicquid
„ expedire invenient, concludendo, ac concordando super
„ differentiis sibi propositis, ut perveniri queat ad concor-
„ diam, pacificationem, ac quietem publicam, promittendo dare
„ dictis Commissariis plenius adhuc ac magis speciale manda-
„ tum, si necesse fuerit. Prout etiam promittimus bonâ fide cum
„ obligatione omnium nostrorum, nostrorumque successo-
„ rum generaliter, ac specialiter, bonorumque (qualiacum-
„ que sint) præsentium, ac futurorum, quod admittemus,
„ ac pro firmo, ac rato habebimus omnia puncta, articulos-
„ que, quos Domini Commissarii, aut sex illorum admise-
„ rint, atque concluserint; idque idem observare, ac satis-
„ facere faciemus, nec unquam contra id directe vel indi-
„ recte ire patiemur. In quorum fidem, requisitione om-
„ nium has muniri fecimus sigillo Ordinum Brabantiæ,
„ Bruxellæ decimâ Octobris anno millesimo, quingentesimo,
„ septuagesimo sexto. Infra scriptum erat: ex expresso man-
„ dato Ordinum Bruxellæ congregatorum, *Cornelius Velle-*
„ *mans*, sigillumque erat ex cera rubra cum duplici caudâ
„ dependente."

1576. *Commissio Deputatorum Principis Auraici, Ordinumque Hollandiæ, ac Zelandiæ.*

„ LIX. NOs *Guillelmus* Dei gratia Princeps Auraicus Co-
„ mes de Nassaw, Catzenelleboge, Vianden,
„ Dieſt, Buren, Leerdam, &c. Dominus & Baro de Breda,
„ Dieſt, Grimberghe, Arlay, Noſeroy &c. Vicecomes
„ Antverpienſis, ac Veſontii, Locum tenens, ac Capitaneus
„ Generalis Hollandiæ, Phriſiæ Occidentalis, ac Trajecti,
„ Equites, Nobiles, & Urbes Hollandiæ, ac Zelandiæ. No-
„ tum facimus omnibus. Cum Deo Optimo Maximo ex ſin-
„ gulari ſuâ gratia placuerit naſci occaſiones, & media, qui-
„ bus inferiores iſtæ Regiones, & urbes, earumque incolæ
„ qui aliquot abhinc annis in hæc uſque tempora agitati fuére
„ miſerabilibus Tumultibus, diſcordiis, diſſenſionibus, ac
„ bello civili per exteros Hiſpanos, eorumque Regimen,
„ poſſent reconciliari, & inter incolas dictarum Regionum,
„ priſtina amicitia, commercium, fœlicitaſque reſtitui, nec
„ non inſtaurari jura, Libertateſque ad honorem Dei, Re-
„ giæ Majeſtatis obſequium, quietemque dictarum Regio-
„ num, ad quod omnes boni, Zeloteſque Patriæ, meritò,
„ tantoque magis paratos ſe exhibent, quod plene omnibus
„ nota, ac manifeſta ſunt impia conſilia, fineſque Hiſpano-
„ rum, eorumque, qui illis adhærent, eo tendentes, ut
„ poſt longam patientiam inſultuum per illos illatorum, tan-
„ dem dictæ provinciæ pereant, recidantque in perpetuam
„ ſervitutem, apparente omnino ſucceſſu, inſuper illorum
„ diſceſſu coactioneque diſcedendi, quo fieri potuit compen-
„ dio, & præcipue communibus armis, unanimiter per
„ dictas Provincias tempeſtive decretum fuiſſet. Quâ de re
„ cum ſua Excellentia, Ordineſque Hollandiæ, & Zelandiæ,
„ Prælatos, Nobiles, ac Urbes, Ordinum Brabantiæ, Flan-
„ driæ, aliarumque Provinciarum vicem gerentes, plus ſe-
„ mel amice admonuiſſent, hi dicti Ordines omnino eodem
„ inclinantes, ac amore ductos ſe oſtendiſſent, atque hic
„ evenerit, quod ambæ partes, ſua Excellentia, ac præ-
„ dicti Ordines inter ſe convenerint congregare ſe, ut una
„ coram agere, ſuaque Excellentia, & dicti Ordines Hollan-

„ diæ,

„ diæ, & Zelandiæ pro se, & nomine urbis Bommeliæ, & 1576.
„ aliorum suorum confœderatorum proque illorum volunta-
„ te, fidejussionem ineuntes mittere Gandavum die præfixo
„ suos deputatos. His de causis in dictâ qualitate commisé-
„ re, committuntque his præsentibus, nobilem, honoran-
„ dum, ac bonum Dominum *Philippum de Marnix* Dominum
„ de Sta Aldegunda, *Arnoldum de Dorpe*, *Guillelmum de Zuy-
„ len de Nieuvelt*, *Adrianum de Myten*, *Cornelium Coninx*, *An-
„ dream de Jonghe*, ut nomine suæ Excellentiæ, dictorumque
„ Ordinum simul omnes, aut saltem major pars illorum Gan-
„ davum se transferant, ibique in dicto conventu cum Ordi-
„ nibus, aliarum Belgii Provinciarum, aut suis legitimis
„ deputatis ibi præsentibus agant, tractent, & concludant,
„ quicquid ad pacem amicitiam, & unionem Inferiorum ista-
„ rum Regionum, earumque incolarum magis convenire in-
„ tellexerint: habitâ declarationis supradictæ ratione, earum-
„ que egregiarum pollicitationum, quas sæpius obtulére, sua
„ Excellentia, prædictique Hollandiæ, Zelandiæ Ordines,
„ eorumque Confœderati, præcipue in ultimâ pacis tracta-
„ tione, habitâ Bredæ cum Regiis commissariis super hoc
„ eodem pacificationis negotio, cujus exemplar prosequen-
„ tur, si necesse fuerit, dando dictis deputatis, aut majori
„ illorum numero absolutam potestatem, mandatumque ge-
„ nerale, ac speciale, agendi, ac concludendi cum cœtera-
„ rum Provinciarum Ordinibus, omne id, quod aliquo modo
„ utile, conveniens securumque pro bono publico esse intel-
„ ligent. In primis in iis, quæ tangunt oppositionem, op-
„ pugnationem, expulsionem, Hispanorum hostium pu-
„ blicorum Patriæ, & tranquillitatis publicæ. Denique in
„ hunc finem obligandi se cum cœteris, conditionibus, ac
„ articulis æquis, quantum ullo modo, secundum Deum,
„ ac honorem, quietem ac tranquillitatem Regionum fieri
„ queat. Promittentes sua Excellentia, dicti Hollandiæ,
„ ac Zelandiæ Ordines sub vinculo fidei, & honoris,
„ ratum firmumque habituros, quicquid per dictos de-
„ putatos, in his quæ dicta sunt, fuerit actum, & con-
„ clusum, idque ipsum inviolaté conservaturos, nihilque
„ contra ea, directé, vel indirecté facturos, nec fieri pas-
„ suros, obligantes super eo omnes personnas, facultates

 „ tam

1576. „ tam ſuas, quam omnium incolarum Hollandiæ, Zelandiæ, „ ac confœderatorum, præſentium, & futurorum, nemine „ excepto. In cujus rei teſtimonium ſua Excellentia, dictique Ordines Hollandiæ ac Zelandiæ has litteras ſubſcripſére ſigilliſque ſuis confirmavère. Actum Middelburgi duodecima Octobris anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. *Guillelmus de Naſſaw*. Ex mandato ſpeciali Ordinum Hollandiæ. *P. Buys*, ex mandato expreſſo Ordinum Zelandiæ, *Taymon*, munitæ hæ litteræ tribus ſigillis ceræ rubræ dependentibus ex illis binis caudis."

Commiſſio Secretarii.

„ LX. CUm in Miniſterio Dominorum Commiſſariorum „ delegatorum ab Ordinibus Regionum inferiorum Bruxellæ congregatis ad denuo tractandum cum deputatis Domini Principis *Auraici*, Ordinumque Hollandiæ, Zelandiæ, eorumque confœderatorum, neceſſe ſit adjungere illis Secretarium, qui expediat, ſubſcribat, & authentiſet litteras, acta, copias, cæteraſque ſcripturas illius negotiationis, dictique Secretarii electio à dictis Ordinibus ad arbitrium dictorum Commiſſariorum ſit relicta, hique elegerint *Joannem Pennants*, Conſiliarium Regium, ac Magiſtrum Computorum Brabantiæ, dicti Ordines, approbantes dictam electionem, his præſentibus, dictum *Pennants*, plenè authoriſant, ut poſſit præcedente conſenſu dictorum Commiſſariorum formare, expedire, ſignare, & authentiſare acta, litteras, exemplaria, aliaque omnia ibi tractata, & concluſa, ut fidem, & veritatem faciant, & habeant in omnibus ſuis punctis, eâ tamen conditione, ut dictus *Pennants* præſtet ante omnia ſuper eo juramentum conſuetum coram dictis Commiſſariis. Actum Bruxellæ per Ordines Brabantiæ, nomine cœterorum, & ſignaturâ Graphiarii appoſitâ decima tertia Octobris anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi ſexti. Infra erat ſcriptum: Ex mandato dictorum Ordinum: *Cornelius Vellemans*, applicato ſigillo conſueto, in formam placarti. —— "

„ LXI. Notum facimus, quod rogatu, ac petitione dictorum

1576.

„ rum Ordinum, superque eo habito consensu nostri Consilii
„ Status, quintâ hujus mensis, mandamus, ac ordinamus
„ dilectis, ac fidelibus Præsidibus, ac cœteris nostris Consi-
„ lii secreti, & magni, Cancellario, cœterisque nostri Con-
„ silii Brabantiæ, Præsidibus, cœterisque nostris Consilii
„ Flandriæ, ac Arthesiæ, Magno Baillyo Hannoniæ, aliis-
„ que nostri Consilii Montium, Prævosto Valentinianensi,
„ Gubernatori Insulensi, Duacensi ac Orchiæ, Præsidi cœte-
„ risque nostri Consilii Namurci, Gubernatori Baillyo,
„ Consilioque Tornacensi, Locum tenenti, Præsidi, cœte-
„ risque Consilii Trajectensis, Escauteto Mechliniensi, ut
„ publicari faciant, unusquisque in suo districtu, locisque
„ ad id consuetis dictam pacificationem ita confectam, eam-
„ que observari omnino faciant. In cujus fidem his appendi
„ nostrum sigillum jussimus. Datum in civitate nostra Brux-
„ ellensi decimâ tertia Novembris, anno millesimo quingen-
„ tesimo septuagesimo sexto, nostrorum Regnorum Hispaniæ,
„ Siciliæ &c. vigesimo primo, & Neapolis, vigesimo quar-
„ to anno. Ex mandato Regio in suo Consilio: *D'overloope.* —"

LXII. *Joannes Austriacus*, quem per *Philippum* Gubernatorum Belgii secreto electum supra diximus, simul atque id rescivit, paucis Domesticis suis comitatus, ex Genuensi portu una triremi, quâ potuit celeritate, Hispaniam petiit. Dubitandum non est quin urgente ex causâ: consultius tamen rebus Belgicis fuisset, si Rex cum illum elegerat, simul etiam jussisset rectâ via Belgium festinanter petere. Credibile enim erat, si celeritate usus fuisset, præcavisse eum potuisse, quæ in Consilio Status perpetrata erant, quibus impeditis sua præsentia forsitan, & ulterioribus malis, quæ deinceps secuta sunt, occursum fuisset. Cœterum simulatque ad fratrem venit, omnibus post positis rebus quam commodissimâ, ac proximâ viâ, eum Rex in Belgium proficisci voluit: cumque nulla expeditior esset, quam Galliæ, per celeres equos (vulgo Postam) tamquam famulus *Octavii Gonzagæ* † familiaris sui, colore capillorum artificiosè immutato, cum solis quatuor equis, tantâ celeritate, ac dissimulatione, Galliam transvolavit, ut fama sui adventus perverterit, Luxemburgumque fœliciter attigerit tertia Novembris dicti anni. Subsecuti eum sunt per eandem viam, eodemque modo complures ex suis, inter quo[illegible]

[illegible]

† *Octavius Gonzaga* Principis Molphetani frater.

Adventus Joan. Austriaci [illegible]

1576. *Escovedius*, Regi, ipsique à secretis, qui etiam incolumes iter confecère. Exceptus fuit per totam Galliam Provinciam * summo omnium applausu, ac reverentiâ: egregiè enim Luxemburgum (uti suprad^m^) Regi suo fidem servaverat: eramtque ibi complures nobiles, optime de eo meriti, interque alios *Johannes de Naves*, vir prudens, ac longa rerum experientiâ clarus.

LXIII. Ordines vero Bruxellæ congregati, famâ tantum de adventu *Austriaci* ad eos perlata, misére eo Dominum *de Marbaix*, ut quid ea de re esset, certò cognosceret: atque haud diu post certiores facti, eum revera adventasse, misére Domimum *de Isque*, qui eum nomine publico salutaret, adventumque gratularetur. Ivit eò & *Joannes Fonckius* Privati Consilii Consiliarius, missus à Tribunali supremo, ut eum, quo in statu res esset doceret. Scripsit & ipsis *Austriacus* Ordinibus, præcipuisque omnibus de adventu suo, & quanto cum desiderio omnia componendi, quæ eò usque Rempublicam vexassent, profectionem hanc suscepisset, ènixe sese illos rogare, ut & ipsi ad hoc operas suas accurratè præstarent. Et ut omnia melius, citiusque ad quietem redigi possent, imperavit omnibus Regiis militibus, uti arma ponerent, nullaque amplius hostilitate uterentur, quod si etiam Ordines fecissent, eaque promptitudine, ac reverentia, quâ olim soliti, Præfectum novum exemplo Luxemburgensium admisissent, atque amplexi fuissent, facile tamen erat brevi compositum iri omnia. Sed aliter illis visum, recenti etiam audacia efferati, tamquam cum pari agere cœpère, utque admitterentur ad imperium variæ conditiones petitæ: Iit, rediitque *Fonckius*, venére etiam Luxemburgum tractandi cum *Austriaco* causâ, *Marchio de Havre*, & *Gaspar Scetus*, atque in longum tracta admissio: quamvis enim inter Ordines essent quidam, qui rebus publicis consultum desiderarent, plures tamen fuère, qui cum nihil minus vellent, multas difficultates proponendo, rem in longum trahere conati sunt, fore sperantes, tempus forsitan aliquid novi: (uti solet) allaturum, quo *Austriacus* tandem

* Nihil est perspicuitatis in hoc sermone. Quomodo totam Galliam incognitus pertransiit, & per totam Galliam exceptus fuit? Sed ita vitiose scriptum reperi.

tandem imperio excluderetur, eoque modo rebellione confirmata, *Auraico* via aperiretur ad summam rei in se paulatim transferendam. 1576.

LXIV. Erant jam omnium animi tam alienati, aversique à Rege, eoque audaciæ provecti, ut feratur præcipuum quendam eo ab Ordinibus missum in colloquio familiari non erubuisse *Austriaco*, specie amicitiæ persuadére, ut eas Provincias sibi vendicaret, tantâ Principis offensione, ut punire audaciam propriis manibus vix abstinuerit. Denique cum eâ Ordines dilatione utuntur, non sicut Regius miles, quietè quod ad arma se gerebant, quanquam & hoc illis esset injunctum ab *Austriaco*, sed quasi non adventasset, vi omnia, atque armis, ubique continuarunt. Arcem Gandavensem, eo ipso tempore, quo Commissarios ad eum mittunt, ad deditionem coegère. *Bossuyus* libertati restitutus, arcem Trajectensem vi aggressus est: & haud longè Antverpiâ munitionem occuparunt, extructam ad cœnobium Divi *Bernardi*, quæ tamen ab Hispanis recuperata est, ut & arx Trajectensis, tam viriliter conservata à *Ferdinando Davila*, ut etiamsi *Bossuyus*, quantis posset viribus eam oppugnaret, nihil tamen profecerit, nec prius ea potiri potuit, quam jussu *Austriaci* in eum finem misso peculiari nuntio, post Marchiensem pacem: (de qua infra) & illa, & Viana (quæ erat Trajecto vicinum oppidulum illustris *Brederorum* familiæ, ubi erat Præfectus *Torsedillas* Hispanus) Culenburgum, & Comitum ejus ex *Palantea* familiâ, sedes, ubi residebat *Gallius*, *Bossuyo* traditæ sunt.

LXV. Dumque hæc inter *Austriacum*, & Ordines lentè tractantur, Tribunal Consilii Status, imperii habenas a morte *Requesennii* sibi à Rege traditas, retinère voluit: quasi vero ipsis jam quicquam esset summi imperii, atque ignorarent se tantum esse nudos Regis ministros, omnemque sibi imperii aucthoritatem adventu Proregis esse ademptam, cui omnes jam obedire, seseque submittere debeant. Eo etiam impudentiæ provectus est *Arschotanus*, ut non erubuerit etiam post confectam pacem Marchiensem, eo prætextu, quod non esset adhuc admissus ad imperium *Austriacus*, cum eo de primâ sede in templo contendere, locumque ibi suum, tanquam locum tenens Ordinum in re bellicâ velle retinere. Ita apud

1576. omnes jam refrixerat reverentia, atque obedientia Regi debita, creveratque audacia atque impudentia.

LXVI. *Tassius* quem relegatum in domum suam supra demonstravimus, astrictus eâ non exire, nisi permissu *Hesii*, tandem liberalitate fratris *Leonardi*, qui *Hesio* insignem equum dono dederat, quem summopère expetebat, integram libertatem ab *Hesio* scripto consecutus est, cujus istud erat exemplar, ex Gallico idiomate in Latinum fideliter versum, ac proprio suo nomine subscriptum, primâ Novembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi sexti: „ *Joannes Baptista de* „ *Tassis*, qui hactenus detentus fuisti captivus in domo tuâ „ jussu nostro, restituimus te pristinæ tuæ libertati." Res non immerito posteritati declaranda, quia non defuère, qui cum statim post adeptam libertatem audivissent eum Luxemburgum ad *Austriacum* tendere, hoc certo contra veritatem affirmare ausi sunt fide fractâ Bruxellam reliquisse, modus vero profectionis hic fuit: de mœnibus, qui prope divæ *Claræ* cœnobium portæ *Obbrussel* vicina sunt, sub occasum solis jam dubiâ luce deficiente omni aliâ exeundi viâ, maximo cum periculo dejecére sese, ipse, & *Philippus Millinox* famulus, suæque fortunæ fidus comes, inventisque duobus equis in pago *Elzen*, quos ante meridiem eo miserat, tantâ per totam noctem usi sunt celeritate, ut summo mane Leodiense territorium attigerint, unde per *Huyum* ante subsequentem noctem Luxembergensis Provinciæ etiam fines, ubi omnino securi essent, intrare fœliciter contigit. *Tassius* interea tantâ ægritudine affectus est ob digitum, cum sese ex mœnibus dimitteret læsum, ut ingenti febri fatigatus, vix tandem parvis itineribus Luxemburgum pervenerit, ubi etiam per multos postea dies admodum ægrotus decubuit. Sed nec hoc satis. Altera vero post profectionem die *Hesius*, ubi de discessu ejus cognovit, bis denos misit satellites, qui uxorem *Tassii* è domo in qua agebat, in publicos latronum carceres captivam ducerent, ibique in obscuro satis loco conclusa, nec prius ei permissum est domum reverti, quam biduo post, quod omne fere tempus insumptum a quibusdam publico nomine eo missis, tamquam ad maleficam, & facinorosam, variis frivolisque interrogationibus, multisque comminationibus, quibus mulierem tanto pavore, ac mœrore, affecére,

ut,

ut mirum fuerit, vivam eorum manus evasisse, eaque omnia 1576.
tam furiose, ac inhumaniter, nullâque habitâ vel sexus, vel status ratione, ut jam non homines, sed bruta animalia, ex recenti rebellione effectos omnes crederes.

LXVII. *Austriacus*, ut erat perspicacis admodum ingenii, cum Ordinibus per internuntios agens, statim animadvertit, nihil ita ex animo, eaquê sinceritate, ac constantia ab eis geri, ut sperare posset fore solidum, ac firmum Regique conveniens, quod tandem * discerneretur. Nunc quædam proponebant, nunc illis mutatis alia, tantummodo in eo obfirmati, ut sua ipsis authoritas, Regia authoritate pessundatâ, integra maneret: *Aurasicoque* a suis nihil de confectâ Gandavensi pace detraheretur.

LXVIII. Accidítque, cùm hisce rebus immorantur, externus quidam casus, non tam in *Austriaci*, quam in illorum emolumentum, qui ejus authores extitére, memorandus. Militaverant in Gallia *Carolo* nono, bis mille, & amplius equites Germani sub diversis Præfectis, inter quos erat *Bassemperius*, hi dimissi ob confectam à *Carolo* cum Hugonottis pacem, domumque revertentes, artificiosé constituére, cum jam intra fines Luxemburgensium consisterent, aut Ordines allicere, ut sese ad sua stipendia admitterent, aut *Austriacum* metu eò adducere. Ut id ipsum illi faciendum esset, recta via eò profecti sunt: quorum alterum adepti: cum enim animadverteret *Austriacus*, tandem Ordinum moras, ac tergiversationes, pro consulto habuit, illo sese equitatu munire, eo consilio, ut aut hoc subsidio Ordines facilius ad aliquam moderationem traheret, aut si tandem nihil inter eos, ipsumque concludi accideret, jam tunc armatus, rebus Regiis commodius adesse posset: absorptis interim a Germanis illo suo stratagemate plus centum millibus aureorum antequam dimitterentur.

LXIX. Egit *Austriacus* in tanta Ordinum insolentia patienter admodum, omnique, quâ potuit humanitate: Cumque inter Bruxellam, & Luxemburgum satis longum esset intervallum, Marchiam, quæ est agri Luxemburgensis, Namurco non amplius octo milliaribus distans oppidulum, sese contulit,

* *Lego*: discerneretur, *pro* deciderentur.

1576. tulit, ut ita brevius, ac commodius hisce negotiis vacari posset. Imperator *Rodolphus* secundus rebus etiam Regis auxiliari volens, eam curam commisit *Cardinali Groesbequio* * Leodiensi Episcopo, misitque suos peculiares Commissarios *Baronem de Vinenbergh*, & Doctorem *Joannem Gayle*, effecitque uti & suos mitteret, *Guillelmus Dux Juliacensis*, *Vernerium*, Dominum de Gemmericq, & *Joannem Lauwerman* Juris Licentiatum, ut quibuscumque possent modis rem inter Regem, & Ordines, ad quietem ducerent. Quâ in re omnem procul dubio, quam potuére operam præstitére: ac tandem conventum, ut Huy, quod est Leodiensium ad Mosam civitas, agerentur conventus, præsentibus dictis legatis, quo venirent tam ipse *Austriacus*, quam legati Ordinum, totumque Tribunal Consilii Status, quod Bruxellæ residebat, ut sic communicatis coram negotiis, omnia ad optatum finem facilius ducerentur: ad quod *Austriacus* etiam promptissimum se exhibuit, eòque statuto die se contulit, uti etiam adfuére ex parte Ordinum *Mattheus Mulart* Abbas divi Gislenii electus in Episcopum Atrebatensium, *Bucho Ayta*, Archidiaconus Iprensis, *Fredericus Perenottus*, Baro Renaci, Gubernator Civitatis Arcisque Aixensis, *Franciscus de Harlevyn*, Dominus de Sweveghem, Equites plerique eorum supranominati, & *Adolphus de Meetkercke*. Venit præterea Consilium Status, unaque *Nicolaus de Jndevelde* Consilii Privati Consiliarius, & *Scetus* financiarum (uti vocant) supremus Quæstor, quin etiam *Fonckius*, qui tunc temporis Huy erat, huic conventui interfuit. Petiére Ordinum Legati obstinatè, quod semper, uti confirmaretur Pax Gandavensis omnibus suis punctis, atque articulis. Exteri milites omnes dimitterentur, & quam primum Hispani; Præsidia arcium Belgis committerentur: hoc si fiat, jam tunc *Au-stria-*

* Hæc rursus nomina haud recte efferuntur. *Gerardus Groesbeck* Cardinalis & Episcopus Leodiensis. *Philippus de Alde*, Baro de Wynenburch præses Consilii aulici Cæsaris Rodolphi II. *Andreas Gail*, Consiliarius Cæsaris, Doctor U. J. *Wernerus* toparcha de Gimmich, Drossardus Juliacensis Ducatus, & *Joannes Lauwerman* Consiliarius Ducis Clivensis, erant totidem Cæsaris legati.

ſtriacum ad gubernationem admiſſuros: ſin minus, certo ſciret, ſe tanti itineris laborem fruſtra ſuſcepiſſe. Ille contra etiam, atque etiam Ordines commonere, ne Regi ſuo legitimo quicquam debiti juris detrahant. Hæc præterea proponit, ut omnia, quæ in illum uſque diem contingerant, qualiacumque ea fuerint, perpetuæ oblivioni tradentur, reſtituantur ſui cuique honores, officia, & bona ſine ulla exceptione; nulli bello extincto retineantur milites, niſi, qui ad defenſionem Patriæ ſint neceſſarii, ſeſe denique poſt aſſumptum imperium, ſolito antiquitus more, in omnium Privilegiorum conſervatione exactè uſurum, tantâque vigilantia, ac ſtudio omnia adminiſtaturum, ut certo ſperet, nunquam Belgas pœnitentia ſui ductum iri: Hiſce etiam comprehendi omnia, quæ vaſallis fidelibus à Rege ſuo aliquo modo juſtè petere liceat, quicquid ulterius proponebatur, nil aliud eſſe, quam *Auraici*, aliorumque hæreticorum partes agere, & partiam jam ſummo in periculo fluctuantem paulatim certo exitio objicere. 1576. *Tractatus Ordinum cum Joanne Auſtriaco.*

LXX. Abhorrebat *Auſtriacus* à confirmatione Pacis Gandavenſis, quod per eam tacite introducebatur libertas Religionis. Cumque jam ex iis, quæ de *Auraici*, cœterorumque Hæreticorùm ingenio audierat, ſatis compertum haberet, quod dimittere omnes exteros milites, alià non tenderet, quam ut *Auraico* pons conſtrueretur, per quem commodè ex ſuis latibulis aquaticis, ad terreſtria tranſmearet, ibique etiam pedetentim omnia ad nutum ſuum diſponeret: quod præterea, quamvis ille multa de pace prædicaret, deſiderioque quietis flagrare ſeſe oſtentaret, aliud tamen in pectore non haberet, quam eâ viâ, ſummopere multis grata, omnium captare gratiam, ac benevolentiam, cum tamen revera, nihil minus, quam pacem optaret, quâ cogebatur iterum agnoſcere Regem, quem ubique abnegatum, atque exoſum volebat, ut ſibi arte, atque induſtria imperium compararet. Cupiebat *Auſtriacus* manère in Belgio exteros milites, quorum operâ omnibus controverſiis, diſſidiiſque cum Ordinibus compoſitis, *Auraicum* cum ſuis: (dum nulla alia pateret via) ad obedientiam Eccleſiæ, ac Regi præſtandam compellere poſſet, uti haud difficile factum fuiſſet, ſi Ordines ſibi moderari ſciviſſent, omneſque alias conditiones, rationi conſentaneas admittere voluiſſent. Sed obſtitit animorum pervica-

1576.] cia, cui voluntas pro ratione erat. Mirum sanè est, quantum vitiosa mutationis effrenata animorum libido in hominibus sæpe pariat.

LXXI. In Huyensi colloquio legati illi Ordinum, præcipue *Swevegenius*, & *Champagneus* tam superba, atque arroganti agendi forma, tamque petulanti, atque immodestâ sermonis elocutione usi sunt, ut illi, qui paulo ante consueverant sub præcedentium Proregum imperio, erga nos in omnibus sese submisse gerere, quorumque dignitas nihil extraordinarii juris, quod ipsorum officium excederet, ipsis permittebat, docebatque satis prudentia, quantum in negotiis publicæ utilitatis semper modestia adferat, renati tunc viderentur, tanquam si vasalli nec essent, nec unquam fuissent, ipsisque à natura esset innatum *Austriacum*, non lenibus, nec modestis modis, sed loris, ac fustibus, sicut servum, ad suam voluntatem adigere, tanta Principis indignatione, ut post multam patientiam, campanulæ argenteæ manum admoverit (quam in mensâ cubiculi sui habere consueverat, ne clamandum sibi esset, si quando quenquam eorum, qui extra cubiculum erant ad se venire vellet) uti unum eorum feriret, sed ratione retentus furorem repressit.

LXXII. Reversus est post infectam pacis tractationem unusquisque eò unde venerat, desperata plane apud bonos omni spe remedii: videbatur enim nullam jam superesse viam, quâ quieti consuli posset, cum post multarum hebdomadarum negotiationes, nec Huy quicquam actum esset, quod Reipublicæ saluti esset. Sed tandem venit ex insperato ab Hispano (cum Hispanos, quam maximo possent odio prosequerentur) Ordinibus, quod voto optabant. *Escovedus* (de quo supra) post discessum *Austriaci* ex aula Regiâ, aliquot dies ibi manserat, antequam, & ipse itineri se committeret. Mandavit ei Rex, ut fratri suo nomine expresse nuntiaret, velle se, ut necessitate postulante quoquo modo, ac quibusque posset conditionibus, pacem cum Belgis conficeret. Quod opportunè accidit, *Austriacoque* ab *Escovedo* serio significatum est. Accessit ad hoc, quod cum jam animadvertisset Ordinum pertinaciam consistere in Pacis Gandavensis confirmatione, quæsivit à quibusdam Episcopis doctrinâ præditis, ab ipsisque magistris nostris (quos vocant) aut ut clarius loquar, Docto-

ribus

ribus Sacræ Theologiæ Lovaniensibus, an tuta Conscientia confirmatio illa fieri posset? Quod cum hi scripto, subscriptione, sigilloque uniuscujusque apposito affirmassent fieri posse, præsentemque Reipublicæ statum hoc postulare, tandem ob unam, & alteram causam, etiamsi tunc magis, quam antea occasionem dubitandi de fide, & constantia Ordinum haberet, voluntati eorum cedendum statuit. Scriptis itaque ad Ordines valde lenibus litteris, tractatio pacis redintegrata est, vehitque Marchiam ab Ordinibus missus Dominus *de Villerval* ex *Oignia* familia semel atque iterum, missusque ab *Austriaco* ad Ordines *Octavius Gonzaga*, donec tandem omnia conclusa Edictoque pax promulgata est. Cujus sequitur exemplar. 1576.

LXXIII. Edictum perpetuum super Pacificatione inter Dominum *Joannem ab Austria*, velleris aurei Equitem, nomine *Philippi* secundi Hispaniarum Regis ex unâ parte, & generales Ordines harum Provinciarum ex altera ad sedanda bella in iisdem provinciis ab extraneis militibus commota, publicatum Bruxellæ decimâ septima Februarii anni millesimi, quingentesimi septuagesimi septimi.

„ LXXIV. Philippus Dei gratia Rex Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Majoricæ, Sardiniæ, insularum Indiarum, & continentis maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, & Mediolani, Comes Habsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Palatinus Hollandiæ, & Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ: Princeps Suaviæ, Marchio Sancti Imperii, Dominus Frisiæ, Salinarum, Mechliniæ, Civitatum, Urbium, & Regionis Ultrajecti, Transinsulanæ, & Groeningæ, Dominator in Asia, & Africa. Omnibus præsentes litteras visuris, vel audituris salutem. Cùm ob eos, qui à mense Julio novissime elapso, magno nostro dolore, per militum nostrorum Hispanorum, aliarumque nationum motus in nostris Belgii Provinciis accidit, mutatam rerum, ac negotiorum publicorum faciem, atque ea, quæ inde nata sunt, tumultus, confusiones, detrimenta, & calamitates, quæ hucusque insecuta, pari nostro dolore omnibus cognita sunt, & ad generalem dictarum Provinciarum gubernationem Clarissimum, ac dilectissimum

„ bonum

1576. „ bonum fratrem nostrum Dominum *Joannem ab Austria*, Or-
„ dinis nostri Aurei velleris Equitem, in dictas Provincias
„ miserimus, atque idem bonus frater noster, post suum in
„ dictas Provincias adventum tractaverit, convenerit, & con-
„ cluserit, primum in urbe nostra Luxemburgensi cum cha-
„ rissimis, fidis ac dilectis in Deo Patre Domino *Matthæo*
„ Abbate divi Gislenii, Atrebatensium Episcopo designato,
„ *Carolo Philippo de Croy* Marchione de Havre cognato nostro
„ & cubiculi nostri Camerario, *Carolo de Hanuart* * Barone
„ de Liedekercque urbis nostræ Bruxellæ Vicecomite, &
„ *Adolpho de Meetkercque*, Provinciæ, ac territorii du Franc †
„ in Comitatu nostro Flandriæ Consiliario, & Receptore,
„ à generali Ordinum dictæ nostræ Ditionis Belgicæ conventu
„ deputatis, & Commissis, deinde in urbe nostra Marchiæ,
„ & consequenter in urbe Huy infra nominatis Dominis,
„ honoratissimi, ac charissimi fratris nostri *Rodolphi* secundi
„ Romanorum Imperatoris electi semper Augusti, legatis,
„ ad dictæ reconciliationis, & concordiæ confectionem, &
„ promotionem specialiter deputatis, ac missis, Reverendis-
„ simo in Deo Patre, dilecto, & bono Amico nostro, Do-
„ mino *Gerardo de Groesbeke* Episcopo Leodii, Duce Bullionii,
„ Marchione Francimontis, Comite Lotzii, & Sacri Imperii
„ Principe, Domino *Philippo Veteri* ‡ Baroni de Vinenbergh,
„ Præside, & *Andreâ Gail* V, J. Doctore, Curiæ dicti Do-
„ mini Imperatoris Consiliario, *Vernero Domino de Jemme-*
„ *nicq* Previnciæ Juliacensis Lants Drossarto, & *Joanne Lau-*
„ *vermanno* in Juribus Licentiato, Consiliariis ambobus Excelsi,
„ ac potentis Principis charissimi, ad dilectissimi Avunculi
„ nostri *Guillelmi* Ducis Juliacensis, Clevarum &c. pariter
„ dicti Imperii Principis tanquam à Domino Duce etiam
„ Legato, & à dicto Domino Imperatore ad id, quod supra
„ commisso, proprer ejus absentiam subdelegatis, cum cha-
„ rissimis, ac fidis nostris in nostro Status Consilio, ministris,
„ & dicto Domino *Matthæo* Abbate Sancti Gislenii Atreba-
„ tensium Episcopo designato, Domino *Buchone Ayta* Ar-
„ chidiacono Yperensi, Domino *Frederico Perrenot*, Barone
„ de

* *Lege*: Hannart. † Het Vrye van Brugge.
‡ Philippus de Alde, Baro de Wynenberch.

„ de Renets, * Domino de Champaignie, nostræ urbis Antverpiæ Gubernatore, *Joanne a Sancto Audemaro* ** Domino de Moerbeque, Gubernatore nostræ urbis, & Arcis Axii †, *Francisco de Harlevin* ‡, Domino de Sweveghem, magno Baillio, & Cap. nostræ urbis, & Arcis Aldenardæ, Equitibus, & dicto *Adolpho de Meetkercque*, à dictis Ordinibus deputatis, & commissis, ac novissimè in urbe nostra Bruxella ubi adicti § tractatus continuationem, ac confirmationem, cum dicti Consilii nostri Status Consiliariis, & dictis Ordinibus præsentes se exhibuerint dicti Legati Imperiales, nec non & dicti Domini Ducis Juliacensis subdelegati, cum dilecto, ac fido Domino *Octavo Gonzaga*, Equite, & Consiliario nostro à dicto nostro bono fratre ad id commisso, multaque ad dictæ conciliationis promotionem, fœlicemque ejusdem perfectionem, media, ac puncta, seu consilia miserant. Nos deliberatione, ac consilio dicti boni fratris nostri, Domini *Joannis ab Austriâ*, & dictorum nostrorum Consiliariorum Status, & privati, seu interioris Consilii, juxta illa ipsa puncta, ac media, inter nos ex unâ parte, & dictos Ordines ex altera, nostro, & successorum nostrorum nomine contracta, & conventa, Statuimus, & ordinamus loco, & modo Edicti perpetui, atque in perpetuum duraturi, & irrevocabilis, puncta, & articulos, qui sequuntur. 1577.

Conditiones pacis Marchenfis.

„ LXXV. Primum quod omnes offensæ, & injuriæ, malefacta, damna, & generaliter, quæcumque viâ, & opere facta, acta, & executioni mandata, ratione harum mutationum, & motuum ab omnibus & singulis dictarum Provinciarum incolis, quocumque modo, & loco, tam generaliter, quam specialiter sunt, & erant oblivioni data, & quasi non contigerint reputata, ita ut ipsorum intuitu, nulla mentio, molestia, vel perquisitio super ullo dictorum incolarum fiat.

„ LXXVI. Quia vero Episcopi, Abbates, & alii Prælati, ac personæ Ecclesiasticæ, dictarum nostrarum Provinciarum inferiorum atque etiam Doctores in Theologia, „ &

* De Reneix. ** Jean de S. Omer. † Aire.
‡ Van Halewyn. § *Lege:* ad dicti.

1577. „ & Jure Univerſitatis Lovanienſis multis ſuis litteris ſuper
„ hoc expeditis concluſerint, ac teſtati ſint, prout res dicti
„ noſtri Belgii tunc temporis erant, tractatum Pacis octavâ
„ Novembris noviſſimé elapſi, inter dictos Ordines ex una
„ parte, & Cognatum noſtrum *Guillielmum de Naſſau*, noſtri
„ Ordinis Equitem, Principem Auraicum, & Provinciarum
„ noſtrarum Hollandiæ, & Zelandiæ, eorumque Confœde-
„ ratorum ex alterâ, factum, & concluſum, nihil fidei noſtræ,
„ & Religioni Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ contra-
„ rium, vel diſſonum continere, ſed è contra omnia in fa-
„ vorem & utilitatem illius eſſe, ſed & ſupremi Conſilii
„ noſtri Conſiliarii affirmarunt, hujuſmodi Pacis Edictum
„ nihil in ſe habere, quod ſuperioritati, authoritati, ac obe-
„ dientiæ, nobis à dictis Provinciis inferioribus debitæ
„ eſſet contrarium, quin etiam, & dicti Domini Legati Impe-
„ riales, & à dicto Domino Duce Juliacenſi ſubdelegati,
„ ſimiliter cum dictis Epiſcopis, Abbatibus, aliis Prælatis,
„ & perſonis Eccleſiaſticis, ſupremique noſtri Conſilii Con-
„ ſiliariis cenſuerunt, & approbaverunt id ipſum, quod ſu-
„ pra. Nos dictum Pacis Edictum in omnibus ſuis punctis
„ approbavimus, gratum, & ratum habemus, hiſque præ-
„ ſentibus approbamus, gratum & ratum habemus, promit-
„ tentes fide regia, & Principis, dictum Tractatum, quan-
„ tum noſtra referre videtur, perpetuo inviolabiliter obſer-
„ vaturos, & ab omnibus, quorum intereſſe poterit, obſer-
„ vari curaturos: juxta quod generalium Ordinum dictarum
„ noſtrarum Provinciarum inferiorum convocationem, de
„ quâ tertio dicti tractatus Pacis articulo mentio fit, atque
„ eadem formâ, & modo, parique effectu, atque in dicto ar-
„ ticulo latius continebatur fieri concedimus, atque ſancimus.

„ LXXVII. Item concedimus, ſtatuimus, & ordinamus,
„ quod omnes, & ſinguli milites noſtri, Hiſpani, Germani,
„ Itali, Burgundiones, alii Extranei, tam equeſtris quam
„ pedeſtris ordinis, in dictis noſtris Provinciis in præſens
„ degentes, libere, & abſque ullo impedimento, è dictis
„ noſtris Provinciis excedant, atque ita, ut neque ipſi eodem
„ reverti, neque alii eorum loco mitti poſſint, quare nul-
„ lum nobis cum extraneo hoſte bellum erit, aut niſi
„ omnino ea neceſſitas fuerit, quæ generalibus dictarum

„ noſtra-

„ nostrarum Provinciarum Ordinibus nota sit, & ab aliis 1577.
„ approbetur.

„ LXXVIII. Quoad tempus vero discessionis dictorum „ nostrorum militum volumus, sancimus, & ordinamus, ut „ ex iis quidem Hispani, Itali, & Burgondiones, infra vi- „ ginti dies, post mandatum, quod illis ad hoc à dicto bono „ fratre nostro statim fiet, extra arcem, & urbem nostram „ Antverpiensem, & extra omnia alia castella, & urbes, quas „ in dictis Provinciis nostris nunc ditinent, aliave omnia lo- „ ca, in quibus in præsentia degunt, exeant, atque etiam „ extra Ducatum nostrum Luxemburgensem, si quidem fieri „ poterit, infra alios viginti dies, cui rei pro viribus, di- „ ctus bonus fratri noster invigilabit, quo quidem quadra- „ ginta dierum spatio, honestè, ac pacificè, absque ullâ præ- „ datione, exactione, furto, aliove incommodo, in dictis „ Provinciis nostris vivere, & degere tenebuntur.

„ LXXIX. De tempore vero, quo dicti milites nostri Ger- „ mani, dictis nostris Provinciis exire debebunt, statim, ut „ dicti Ordines cum ipsis (sicut latius harum præsentium „ decimo quinto habetur articulo) omnibus ritè computatis, „ & deductis, super reliquo ipsis debito convenerint, ipsi „ extra nostras Provincias discedent.

„ LXXX. Dicti nostri milites Hispani, Germani, Itali, „ Burgondiones, & quicumque alii è dictis nostris arcibus, „ & urbibus discedentes, omnia alimenta, instrumenta bel- „ lica, & munitiones, quæ tunc in illi erunt, relinquere „ tenentur, quæ nostræ arces, & urbes cum alimentis, „ instrumentis bellicis, & munitionibus supremi nostri Con- „ silii judicio, in manibus aliquorum ex dictis nostris Pro- „ vinciis oriundorum, & juxta earum Provinciarum Privile- „ gia, qualificatorum, reponentur & hâc vice ad nutum „ dictorum Ordinum.

„ LXXXI. Quantum vero ad prædationes, exactiones, „ & compositiones à quibuscumque militibus nostris factas, „ toto tempore, quo illic degerint, prout rationi, & justitiæ „ congruere, quantumve fieri posse videbitur, satisfieri cu- „ rabimus, & tam in militum Duces, quam in eos, qui in „ dictis Provinciis deliquisse, aut quid criminis perpetrasse „ videri possent, inquiri, & informari curabimus, quibus

1577. „ omnibus, seu in dictis Provinciis, seu in nostris Hispaniarum regnis, seu aliis in locis faciemus satis.

„ LXXXII. Concedimus etiam, volumus, ac statuimus, „ quod omnes, & singuli captivi ratione dictorum bellorum, „ & motuum ex utraque parte, libere, & absque ullâ re- „ demptione dimittantur.

„ LXXXIII. Quod vero cognati nostri *Philippi Comitis de* „ *Buren* liberationem, & in dictas Provincias restitutionem, „ curabimus, & efficiemus, dictum Comitem iisdem Provin- „ ciis restitui, ubi primum post completam dictorum Co- „ mitiorum convocationem dictus Princeps *Auraicus*, ex suâ „ quoque parte reipsâ his, quæ ab ipsis Ordinibus statuta, „ & decreta fuerint, satisfecerit.

„ LXXXIV. Item concedimus, statuimus, & ordinamus, „ quod causa & difficultas super nonnullorum Dominorum, „ ac ministrorum, seu officialium, in suas Provincias, quali- „ tates, & officia, restitutione, de quibus ipsi ratione mu- „ tationum, alterationum, & bellorum prædictorum, de- „ jecti sunt, ad finem dictorum Comitiorum suspendentur, „ quæ tunc quæstio, & difficultas Consiliariis, & ordina- „ riis Magistratibus dictarum Provinciarum in jure disce- „ ptanda committetur, quo ibi causa cognita finiatur, & ter- „ minetur.

„ LXXXV. Promittimus insuper fide, & verbo Regis, „ omnia, & singula Privilegia, Usus, & Consuetudines dic- „ tarum nostrarum Provinciarum conservaturos, & a Do- „ mino bono fratre nostro, omnibusque, & singulis Guber- „ natoribus, tam generalibus, quam particularibus, qui in „ posterum à nobis, vel successoribus nostris mittendi sunt, „ conserventur, curaturos, nec aliorum quàm indigenarum, „ seu neutralium * incolarum, & ex ipsis Provinciis oriun- „ dorum, sive in Consilis, sive in aliis, quæ ad rectam di- „ ctarum Provinciarum administrationem spectant, nec sub „ nobis ipsis, aut Domino bono fratre nostro, aut aliis harum „ Provinciarum Gubernatoribus, operâ usuros.

„ LXXXVI. Et vicissim dicti Ordines cum obligatione „ conscientiarum suarum, fideique & honoris coram Deo,

&

* *Lego*: naturalium.

„ & omnibus hominibus promiserunt, se ubique, & in omnibus, nostram sanctam fidem Catholicam, Apostolicam, Romanam, auctoritatem, & obedientiam nobis debitam conservaturos, nec unquam contradicturos. 1577.

„ LXXXVII. Pariter quoque, & eodem planè modo dicta Comitia promiserunt se omnibus confœderationibus, & amicitiis cum extraneis ad sui tuitionem, & securitatem, & à tempore harum novationum, mutationum, & dictorum bellorum initis, & contractis, renuntiaturos, & ab iis discessuros.

„ LXXXVIII. Sed eodem modo iidem Ordines polliciti sunt, se dimissuros, & ablegaturos, quotquot † dimittent, & ablegabunt extra dictas Provincias, omnes, & singulos milites extraneos ab ipsis vocatos, & ne in posterum in easdem Provincias ingrediantur, impedituros.

„ LXXXIX. Item iidem Ordines in signum, ac testimonium sinceræ, & naturalis suæ in obsequium nostrum voluntatis, liberaliter nobis obtulerunt sexcenta millia librarum, quadraginta grossorum monetæ Flandriæ pro unaquaque libra, cujus summæ dimidiam partem in promptu in manus dictorum legatorum Imperalium, & subdelegatorum dicti Domini Ducis Juliacensis consignabunt, quo ipsi à dictis Dominis Legatis, subdelegatis, pro ratâ portione in manus Domini fratris, vel alterius ab eo nominati, judicio dictorum Legatorum deponatur, ut dicti nostri milites Hispani, Itali, Burgundiones, & alii extranei, extra castellum, seu arcem, & urbem Antverpiensem, omniaque, & singula nostra castella, & urbes discedant, Germanis exceptis, donec cum ipsis habitæ rationes, & subductæ fuerint, ut infra dicendum est. Alteram vero partem, per litteras collibisticas, seu commutationis Genuam remittent, ut illic infra duos menses post discessum dictorum Hispanorum, Italorum, Burgundionum ex arce, & urbe Antverpiensi in manibus illius, qui ad id potestatem à dicto bono fratre nostro habebit, deponatur.

„ XC. Præter hæc dicti Ordines viâ, & modo, quo supra promiserunt, in se suscipere onus, sicut & re ipsâ „ susce-

† *Lege:* quodque.

1577. „ susceperunt, dictis nostris militibus Germanis pro stipendiis ipsis debitis satisfaciendi, prout post subductas cum ipsis rationes, deductis omnibus legitimis sumptibus, ipsis ex bono, & æquo deberi constabit, quâ in re nos, dictusque bonus frater noster omni potestate, nostrâ authoritate, & fide sibi creditâ, tam in eos, penes quos rationum codices, & registra manent, pro ipsorum exhibitione, quam in ipsos Germanos, ut eo, quod æquum erit contenti esse velint, dictis Ordinibus adesse, & assistere promisimus: sicut dicti Domini legati Imperiales, & subdelegati dicti Domini Ducis Juliacensis, sponte se obtulerunt, & polliciti sunt, idem officium ergâ ipsos Germanos se præstituros, ipsique Domino Imperatori supplicaturos, ut omni authoritate suâ, idem à Germanis impetret. Donec vero, eo, quo dictum est modo, satisfactum sit, pacifice illis licebit in dictis nostris Provinciis manere, iis videlicet locis, quæ nos illis ex nostri Status Consilii judicio designabimus, sub nostrâ, & dictorum Ordinum protectione, & securitate.

„ XCI. Item dicti Ordines, formâ, & modo supra dicto, promiserunt seque obligarunt, se post discessum dictorum Hispanorum, Italorum, Burgundionum ex dictis Provinciis nostris, recepturos nostro nomine dictum bonum fratrem nostrum, facta nostrarum litterarum super id expeditarum exhibitione, cum præstatione juramenti debiti, & soliti, aliarumque etiam solemnitatum, quæ in tali re debent, & solent exhiberi, adhibitione, & observatione, tanquam Gubernatorem, & Ducem generalem, in dictis Provinciis, eique tanquam tali deferre tenebuntur, deferentque omnem respectum, honorem, & obedientiam debitam, manente tamen in his omnibus eorumque dependentiis dicto Pacis tractatu Gandavi inito in suo robore, & vigore.

„ XCII. Item statuimus, & ordinamus, quod omnes successores nostri in *Læto* suo *Ingressu* *, dictusque bonus frater noster, omnesque Gubernatores à nobis, vel successoribus nostris, ad dictarum Provinciarum administrationem deputandi, tam generales, quam particulares, simul

„ om-

* *Blyde Inkomste.*

„ omnes Præsides, Consiliarii, Officiarii, & Magistratus, 1577.
„ priusquam gubernacula, officia, Magistratusque suos capessere possint, tenebuntur solemniter jurare, & jurabunt nostras præsentes litteras, & statuta se observaturos, quantumque in ipsis erit observari curaturos.

„ XCIII. Denique gratum habemus, & approbamus omnem censuum annuorum, & pensionum constitutionem, aliasve obligationes, & securitates ab ipsis Ordinibus factas, & transactas, quasque facient, & transigent erga omnes, & singulos, qui eos pecuniis sustentabunt, & juvabunt pro sumptibus occasione dictorum motuum factis, vel faciendis, maximè erga Celsissimam, & potentissimam Principem, charissimam Sororem nostram Reginam Angliæ.

„ XCIV. Et quo omnes, & singuli articuli supra scripti fideliter, & efficaciter, observentur, adimpleantur, & executioni mandentur, ac omne id, quod præsentibus his nostris litteris continetur, firmum, stabile, perpetuum, & inviolabile sit, præsentibus his sigillum nostrum appendi, & à dicto bono fratre nostro subscribi, & obsignari ex una parte fecimus, & dicti Status, seu Ordines ex alterâ sigillum Statuum nostri Ducatus ac Provinciæ Brabantiæ, loco, nomine, & ad petitionem reliquorum ipsorum Statuum, iisdem appendi, specialique, & expresso universorum dictorum Statuum mandato, & decreto, per dilectum nostrum *Cornelium Vellemans* dictorum Statuum Brabantiæ Auctuarium, seu Graphiarium subscribi, & subsignari curaverunt.

„ XCV. Insuper & ad postulationem, & petitionem tam nostram, & dicti boni fratres nostri, quam dictorum Statuum super hâc re factam, dicti Domini legati Imperialis, & subdelegati dicti Domini Juliacensis, ut tales, atque interventores & intercessores concilationis, & pacis his nostris præsentibus contentæ, promotione, & directione, propriis authographis, præsentibus iis subscripserunt: imo sua sponte, & ultro, ut à dicto Domino Imperatore, cum omnibus, quæ ab ipsis ad dictæ pacis perfectionem acta fuerint, laudentur, & confirmentur, approbentur, & rata habeantur, effecturos se promiserunt, quantum necesse erit. Datum in Urbe nostra Marchiâ in famina,

„ duo-

1577. „ duodecima Februarii millesimo, quingentesimo septuagesi-
„ mo septimo, Regnorum nostrorum, scilicet Hispaniarum,
„ Siciliæ vigesimo tertio, & Neapolis vigesimo quinto anno.
„ Signatum: JOANNES, & inferius scriptum erat: suæ Cel-
„ situdinis mandato, & Signatum *F. Le Vasseur*, & in pagi-
„ nâ alterâ scriptum etiam erat: Datum Bruxellis vigesima
„ septimâ Februarii, millesimo quingentesimo septuagesimo
„ septimo. Regnorum nostrorum scilicet Hispaniarum, Si-
„ ciliæ vigesimo tertio, & Neapolis vigesimo quinto. Am-
„ plius, supremi Consilii Regis Dominorum generali admi-
„ nistrationi harum Provinciarum commissorum mandato
„ Signatum: *Doverlope*. Et iterum: specialiter expresso man-
„ dato Dominorum generalium Statuum Provinciarum infe-
„ riorum, Signatum: *Cornelius Vellemans*. Præterea etiam Sub-
„ signatum, GERARDUS *Episcopus Leodii*, *Philippus*, Senior
„ Baro de Veynenberch, & *Andreas Gaill*, Dominus *War-*
„ *nerus* Her zu Lemmenich *, *Johannes Lauberman*.

„ XCVI. Præterea inferius scriptum erat: Bruxellis pu-
„ blicatum decima septima Februarii millesimo, quingente-
„ simo vigesimo septimo. In præsentia Dominorum Consilii
„ Status à Rege administrationi Provinciarum inferiorum
„ commissi, & privati Consilii, Reverendissimi Domini Epi-
„ scopi Leodiensis, & aliorum Legatorum Majestatis Imperia-
„ lis, nec non, & Dominorum Statuum generalium dicta-
„ rum Provinciarum: Per me Secretarium Urbis Bruxellen-
„ sis, *Aertsens*."

XCVII. *Leonardus Tassius* Postarum, seu Cursorum supremus Magister, *Joannis Baptistæ*, sæpe nominati frater major natu, qui ex illis etiam erat, qui Regem deserere nolebant, nacta occasione illorum Legatorum, & aliorum, qui Huyum ad pacis tractationem ibi futuram veniebant, relictis Bruxellæ uxore, & liberis, Namurcum venit, atque inde ad *Austriacum* se contulit.

XCVIII. Memoravimus supra, *Austriacum* statim ubi advenerat, ad complures scripsisse, se tunc cum *Hiergio* propius etiam actum †, misit enim ad illum *Joannem Drincquaert*, ut eum verbis etiam: (erat enim *Hiergio* admodum familia-
ris)

* *Lege:* Herr tzo Gimmich. † *Lege:* acturum.

ris) sui officii serio commoneret: *Hiergius* vero certior factus 1577.
Proregem novum adventasse, absque cunctatione ejus sequi partes non dubitavit, seque cum fratre *Comite de Meghem*, Hautepennam: (quæ est Leodiensis territorii non ita longe Namurco *Berlamontanæ* familiæ pagus) contulit, ibique Proregis jussu paratus ad ejus imperium in præsentia consedit.

XCIX. *Austriacus* vero post confectam pacem misit *Escovedum* Antverpiam, ut de Hispanorum discessu, qua posset diligentia, ac celeritate ageret: ipse paulo post Namurcum profectus est: venère illi obviam ad fines ditionis Namurcensis *Dux Arschotanus*, cum fratre Marchione, *Hiergius* cum fratre Comite, aliique plures nobiles, reversis Luxemburgum iis, qui eo usque Principem fuerant comitati, paucosque moratus dies, Lovanium petiit, ut ibi subsisteret, donec discessissent à Belgio Hispani, arx Antverpiensis Belgæ credita esset, captivi hinc inde solverentur, atque omnia ea, quæ ante admissionem imperii adimplere promiserat essent paracta. Cæterum incredibile est, quantâ humanitate, decorâ familiaritate, ac liberalitate, quæ animi dotes ei à naturâ insitæ erant, omnes prosecutus fuerit: hoc enixè studens, ut quamvis extraneus, ex moribus tamen belgicis Belga videretur.

C. Accidit præterea Lovanii tunc opportuna valde ad eam rem occasio; moris est ibi, ut & in omnibus Brabantiæ civitatibus, aut potius per totum Belgium, tempore veris recreandi populi causa, mutuisque conservandis amicitiis cohortes illas (*Guldas* vulgo dictas) quas in civitatibus ad sui defensionem olim institutas supra diximus, exercere, honoribusque affectas magis in officio confirmare, atque erigere ex altâ quadam turri, unamquamque harum Cohortium, diebus consuetis, ligneum psittacum longo hastili infixum, unde illum jaculo dejicere opportebat, cui vero ea sors obtigerat, Rex summo omnium plausu declarabatur, statimque publico aureo torque, psittaco aureo ex eo dependente, per collum, humerosque demisso, ornabatur, totaque Cohorte comitatus recta ad Ecclesiam gratiarum actionis causâ ducebatur, ac inde ad Cohortis publicam domum (vulgo *de Guldekamer*) ubi tunc, & deinceps per aliquod dies, & sæpe toto illo anno, commessationibus, aliisque lætitiæ, & exultationis incitamentis, inter pocula indulgebant, & cum dies nundinarum: (quæ est alia apud Belgas ad hilaritatem antiqua publica in-

 stitu-

1577. ſtitutio) adventaſſet, tunc uniuſcujuſque Cohortis Rex in publicâ ſupplicatione, ſuo ordine cum ſuâ Cohorte, ornatus incedens in premium artis à ſpectatoribus applauſu, & honore afficiebatur, qui vero ter pſittacum jaculis dejiciunt, Imperatores dicuntur, multorumque vectigalium immunitate læti gaudent. Sunt hæ Cohortes in præcipuis civitatibus quinque, una, quæ ex gladiatoribus, id eſt ex iis, qui artem gladiatoriam exercent, atque profitentur, conſtat, habetque ſibi Patronum . . . . Altera ex ſclopetariis habetque Patronum . . . . . Tertia ex arcu manuali Patrono . . . . . Reliquæ ex arcu baliſta, quarum una minor, altera major appellatur. Hæc habet Patronum D. . . . . . . Illa *Divum Georgium.* Solent hæ Cohortes, cum jam inſtant dies illi feſti, invitare ad id jaculorum certamen præcipuos quoſque ejus civitatis, ubi ludi celebrantur, daturque talibus ſuo ordine poteſtas ante alios ter ejaculandi, acciditque haud ſemel ipſosmet Principes, Imperatores, Reges, & Proreges, præcipuè Bruxellis, Cohortem majorem præſentia ſuâ cohoneſtare, maximoque populi applauſu, pſittacum jaculis petere, ac dejicere conari, & ſi à quoque eorum pſittacum dejici contigerit, tunc victor ipſe adeſt, paratus omnia exequi, quæ in hujuſmodi victoria requiruntur, aut ſaltem mittit, qui ſuo nomine in iis rebus, quæ agendæ ſunt, vices ſuas gerat, ſumptuſque pro ſtatu, graduque victoris faciat. Sodales dictæ cohortis baliſtæ majoris, cujus generis Lovanium quoque unam habet, cum ille dies adventaſſet, rogavère *Auſtriacum*, uti conſuetis eorum ludis, certaminibuſque intereſſe vellet: quorum petitioni cum humaniſſimè annuiſſet, tandem, cum ad rem ventum eſſet, ſecundo ictu pſittacum multâ dexteritate dejecit, ſtatimque accepto torque, acceſſit cum ſociis Eccleſiam, tantâque poſtea hilaritate, ac liberalitate erga Cohortem illam, cæteroſque quatuor, atque univerſum populum uſus eſt, ut nullus eſſet, qui indolem Principis non demiraretur, ejuſque amore ſummopere non afficeretur. Erantque procul dubio omni laude dignæ, cæteræ, quæ illi innatæ erant virtutes: dotarat præterea illum natura tanta oculorum gratia, ac venuſtate, ut ſolo aſpectu, omnium animos ad ſe videretur allicere.

CI. Itaque nihil utilius fæliciuſque Belgio accidere potuiſſet, quam hunc Principem in Proregem habere. Sed obſtiterunt

terunt inprimis *Auraici* malæ artes, tum etiam corrupti omnium mores, & immoderata audacia, & ambitio, quâ pulsi, & incitati multi Nobiles, statim, ut Namurcum venerat, murmurare, ægroque animo ferre cœperunt, quod familiæ Domusque suæ officia ipsis non crederet: hic ambiebat primam domus œconomiam, ille supremam stabuli præfecturam, alii secundæ œconomiæ dignitatem: alii cubicularii munus, omnia denique præcipua munera, atque officia, à Belgis volebant administrari, ut sic Principem in privatâ etiam vitâ ad nutum regere possent, accessitque ad odium, quo *Joannem Baptistam Tassium* ab initio Rebellionis prosequebantur, tantâ obtrectatione atque invidiâ, quod illum ante confectam pacem Princeps secundum Domus suæ œconomium constituerat, & creaverat, ut eâ de re quasi nauseantes, antequam *Austriacus* Bruxellam proficisceretur, abdicari eum publico Ordinum nomine, petitum sit: nec & hoc satis, quin, & postea in libello quodam, quem ad sui justificationem, nullo tamen peculiari authore edi jusserant, illum, ejusque statum, ac conditionem, conviciis, calumniisque ad perpetuam rei memoriam falsò contra veritatem proscindere ac lacerare non erubuère. Sed *Austriacus* etsi satis expeteret, habere intra domesticos parietes nobiles aliquot Belgas, certior tamen factus de tam immodesto, ac immoderato eorum fine, constanter noluit sibi in re domestica quicquam insoliti juris præscribi. 1577.

CII. Dum *Austriacus* Lovanii agebat, Bruxellis Ordines pecuniam * ad dimissionem Hispanorum promiserant, accelerarunt, ac sicut tempore tractationis, *Auraicum*, & suos certiores reddiderant de iis, quæ Marchiæ agebantur, ut si quid ipsis super eo occureret, significare vellent, sic, & post confectam pacem, ad ipsos misére *Villervallium* & *Paulum Buys* petitum, ut iis, quæ Ordines pro publico omnium bono, ac beneficio maturo consilio decrevissent, promptè, ac libenter acquiescerent, suaque præsentiâ, ac authoritate, tantæ rei optatum finem, quanto possent studio promoverent.

CIII. Ad hoc *Auriacus* persistens in ultimo suo fine, solito more tam cautè, scripto respondi curavit, ut nec admittere, nec negare omnino crederes, quo sic posteriore modo malevolentiam populi, qui quietem expetebat, evitaret, priore

* *Adde*: quam. vero

1577. *Responsio Auriaci ad pacem Marchiensem plena malitiæ & cavillorum.*

vero manerent, illi speciosa satis subterfugia, quibus suo tempore omnia irrita redderet. Laudabat Ordines, quod tam ad quietem, tranquillitatemque Patriæ, propensi essent, admonère tamen multa in tractatione illa esse oblita, aut omissa, quæ ad Patriæ splendorem fœlicitatemque omnino essent necessaria, privilegiis non satis cautum, libertatem Ordinibus ademptam, quâ semper quando Reipublicæ esset consultum, inter se convenire possent. Ordines ad nova atque insueta juramenta esse adstrictos, nullam libertati *Comitis Burani* captivi contra privilegia habitam rationem, nullum mentionem de demoliendis arcibus, de conservatione Pacis Gandavensis jam pridem decreta, ita obscure actum, ut non desint speciosi prætextus, quibus arte *Austriaci* in nihil tandem posse redigi esset perfacile; nullam sufficientem securitatem *Auraico* procuratam: denique plus æquo neglectam gratiarum actionem Reginæ Angliæ, Ducisque *Andegavensis*, pro consiliis, auxiliis, aliisque plurimis amicitiæ officiis, quibus liberaliter Belgium adjuverant: quæ omnia statuebant jam tunc, cum *Villervallius*, & *Buysius* eo venissent, Ordinibus amicè significare, ut super eo, opportuné provideri curarent: sed cum eos prævenisset præpropera Ordinum festinatio, nihil illis jam re infectâ reliqui esse, quam Deum præcari, ut acta ad bonorum Patriotarum optatum finem fœliciter perducat, se autem, suosque in eo firmiter persistere, uti pax Gandavensis ad amussim observetur, utque universis, & singulis claré pateret, sese nihil aliud expetere, quam discessum Hispanorum, aliorumque Exterorum, pacem, conservationemque integram privilegiorum, ac libertatem Patriæ, hoc Ordinibus nuntiatum volebant, sese paratos esse Capitulis Marchiæ conclusis subscribere, dummodo ante ejus rei effectum, Ordines jurejurando, publicoque instrumento sese irrevocabiliter astringant, atque obligent, & ad id idem obligari curent, Provinciarum omnium, totiusque militiæ Præfectos, si tempore ad discessum Hispanorum præfixo, (quod cupiebant sibi ab Ordinibus significari) Hispani revera Belgio non excessissent, tunc Ordines nihil amplius deinceps cum *Austriaco* acturos. Præterea petiére nullo modo publicari hanc obligationem, donec Exteri Belgium reliquissent, & quod nec tunc ipsi Provinciarum, ac militiæ Præfecti *Austriacum*, aut alium quemcumque

que in Proregem admitterent, nisi ante omnia restituantur in integrum, quæ contra privilegia, solitasque Patriæ libertates, ac Pacem Gandavensem, in hâc novissimâ tractatione pacis acta, transactaque forent, restituanturque sua omnibus bona, tam in Burgundiâ, quam per totum Belgium, privilegia item, consuetæque libertates de integro confirmentur, ut in tractatione Gandavensi, litterisque, quas Ordines ad eos scripserant vigesimâ octavâ Octobris anno septuagesimo sexto promiserant. 1577.

CIV. Responderunt ad hæc Ordines, sese semper voluisse, & adhuc velle stabilem, firmamque manere Pacem Gandavensem, restitui in integrum omnia, quæ viderentur aliquo modo contra privilegia, solitasque Patriæ libertates, facta esse, quod omnes exteri milites, Hispani, Itali, & Burgundi, præfixo die procul dubio è Belgio discederent, quod nunquam de differendo Hispanorum discessu cum *Austriaco* agerent, curarent præterea, Provinciarum Præfectos, milites ipsos, qui alibi tenebantur, obedire, hæc decreta scriptis mandata, etiam subscriptione propriâ, corroborare, quibus *Auraico*, suisque satisfactum, existimantes, ad absolutam Tractatus Marchensis executionem perrexére. Captivi hinc inde liberati, ex parte Ordinum *Comites Mansfeldius*, & *Barlamontanus*, *Billius*, Doctor *Del Rio*, atque aliquot alii. Ex parte regiâ *Egmontanus*, *Floyonus*, *Caprius*, *Goignius*, & *Glimius*. Eligitur ab *Austriaco* in Præfectum Arcis Antverpiensis *Dux Arschotanus*, eique substitutus *Dominus de Sexlon* *, interim Duci ipsi, fide Regi per juramentum datâ, arx illa tradita, quatuor præsidio impositis Walonorum Cohortibus, Hispani, Itali, & Burgundi è vestigio cum Mastrichti unà essent, Burgundiam, ac Italiam, versus profecti sunt, Duce *Comite Mansfeltio*, quem *Austriacus* exercitui præfecit, nullo inter Hispanos invento, qui socii imperium, ullo modo subire vellet, & tandem omnibus his rebus ita constitutis, atque effectis, ipse primâ Maji anno millesimo, quingentesimo, vigesimo septimo Bruxellam profectus, summo ibi cum honore, publico sumptu, erectis theatris, receptus, quarto postea die ad supremum Præfecti gradum admissus est.

Discessus Hispanorum & Joannis Austriaci adventus.

JOAN-

* *Lege:* Treslong.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS,

Commentariorum de Tumultibus Belgicis.

1577. LIBER QUARTUS.

I. AUstriacus post assumptum imperium, qua potuit curâ, & labore Reipublicæ administrationem amplexus est, usus continua Consiliariorum Status operâ, plurimorumque Procerum, Provinciarum Præfectorum, aliorumque, quorum consilio, ac auxilio rem ad absolutam, atque exactam compositionem duci posse sperabat. Primumque hoc illi curæ fuit, ut *Auraicus* initæ pacis conditionibus ex sua parte satisfaceret, Provinciasque eousque solo suo nutu, ac arbitrio administratas, ad consuetum Regii regiminis morem redigi pateretur, quod ni fieret, multi haud jam obscuré futurum prævidebant, tanta Regis benevolentiâ, atque insigni fiduciæ demonstratione, nihil aliud esse actum, quam Rempublicam, tanquam humanum corpus, radicali ejus humore extracto, quo aliquo modo adhuc stare potuisset, in exitium præcipitasse: refragante enim *Auraico* hujus executioni, jam tunc manifestum erat, eum libere remoto omnis timoris freno, atque ad libitum fini suo incumbere posse.

Legatio Jo. Austriaci ad Principem Auriacum, ejusque artificiosa responsio, unde cognica fit hujus malitia.

II. Scripsit ad *Auraicum Austriacus* quam humanissimè, omniaque illi bona promisit, præcatusque est, misitque ad eum Gertrudæ Bergam legationem solemnem, compositam ex *Duce Arschotano*, *Barone de Hierges*, Dominis *de Villerval*, & *Frezin*, Doctore *Alberto Leonino*, aliisque nonnullis ex Ordinibus, quibus etiam se conjunxit Doctor *Andreas Gaill*, ex Imperatoris Legatis, qui illum de suâ erga Regem ac Patriam obligatione, amicè, ac serio admonerent, peterentque enixè, ut suo exemplo cœteros, qui eousque suas partes essent secuti, ad debitam Regis obedientiam redire admitteretur*,

tur *, rebusque jam omnino compositis, discessuque Hispanorum concilitatis omnium animis, solus ipse nollet Patriam, tot tantisque calamitatibus, ac miseriis tandem liberatam, fœlici pacis tranquillitate, commodisque frui, ac potiri. Sed ille ad hæc immobilis, ac in primo proposito persistens, quo omnes suas actiones, tanquam ad scopum dirigebat, tergiversari artificiosè, nunc unum, nunc alterum respondere, allegare, & velle conciliabula *Austriaco* secreta, & occulta objicere, solum ad id tendere, quod sibi suisque rebus ex usu est, intelligeret, nihilque minus, quam de instauratione Regiæ obedientiæ cogitare; castella, urbiumque propugnacula Provinciarum ei adhærentium, interrupta, imperfecta, atque alioquin non bene composita, exactè absolvi, atque perfici, quamprimum curavit, novaque insuper aliis in locis opportunis extrui jussit, utque uno verbo absolvam, multa in illo erga Regem optimi subditi verbosa judicia, re vero id solum, quo Provincias, quibus tunc tamquam gubernator præerat, in sui benevolentiam ita confirmaret, ac constabiliret, ut rejecto tandem Regio nomine, aliquando eas in suam potestatem, dominatumque convertere posset. Unde lætitia confectæ pacis brevi liquefacta, novarum turbarum terrores, meritò annuntiare videbatur. 1577.

III. Præterea ne contentus infra suas se Provincias limitesque continere, atque omnia ibi ad libitum agere, cœteris vero Belgis suam quietem relinquere, quin imo properis successibus elatus, vafroque ingenio, quo paulatim universum Belgium, paucis exceptis ad rebellionem incitaverat discessumque Hispanorum procurarat, omnino fisus, relicta miseris, futurarum miseriarum curâ, non contentus parte ullâ, ad totius Imperii occupationem jam dudum erecta stare, ac manere constanter voluit. Habebat per omnes illas Provincias, quæ cum *Austriaco* transegerant, innumeros sibi faventes, scatebant illæ hæreticis, qui omnes ei adherebant, in Ordinum Collegio haud pauci erant, quibus omnia sua cœpta, grata, & accepta, quique ea tantum, quæ in rem *Auriaci* essent, pro honesto, ac utili habebant: erantque adhuc ex recentibus malis omnium animi ad res novas

Resolutio Auriaci ad faciendum se tyrannum Ordinum. Artificia quibus utitur, ut faventes sibi babeat Belgas, etiam Catholicos.

* *Lego*: anniteretur.

1577. novas amplectandas dispositi: his fretus secum constituit pergere, fortunamque quoad posset experiri. Confirmavit studiosè suæ farinæ omnes; audaciam solitam, ac temeritatem præcipue populi, quantum potuit, auxit; unumque necessarium hoc sibi proposuit, ut *Austriacus*, superiore exemplo audaciæ in tribunal Status commissæ, tumultuosè à populo comprehenderetur; aut saltem id ipsum tam certo sibi haberet, persuasum, ut eum vellet evitare casum. Quod verisimile erat eum procuraturum, aliquid novi, ad sui securitatem cogeretur moliri, quod denuo omnium animi ad novas furias excitari possent, atque Prorege derelicto, via ipsi ut antea, magisque etiam ad occupandum imperium plana, de integro construeretur; nihil enim minus, quam tale facinus res tanta poscebat, cum non dubitaret, quin manente in imperio *Austriaco*, quamvis non absoluté, omnia sibi duriora, ac lentiora redderentur.

Irreverentiæ commissæ in Joan. Austriacum ex studio & malitia sequacium Auriaci.

IV. Hinc orta Bruxellæ denegatio custodiæ corporis *Austriaci* per aliquot sclopetarios, hinc aliæ plures in eum perpetratæ indignitates, hinc etiam illud, quod cùm invitatus ad prandium, in publicâ civitatis domo, ibi commessatione, tripudiis, aliisque hilaritatis, ac lætitæ consuetis exercitiis, facilem accommodatumque Belgarum moribus sese palam ostenderet, populus in foro ob nullius momenti causam, tanto tumultu, ac furore arma corripuerit, ut apertam seditionem præ se ferre videretur; quod etiamsi statim per aliquot principes viros, ab *Austriaco* eo missos, fuerit sedatum, non ita tamen se res habuit, quin in reditu ad Aulam, pejora meritò non essent metuenda. Et quamvis hæc non manassent ab eâ occasione, quam malevoli *Auriacique* fautores captabant, credendum tamen est, ac pro certo tenendum, tumultum illum arte fuisse excitatum, ut populus ad seditiones rediret, iisque denuo assuesceret, donec esset tempus magis opportunum, quo, si necesse esset *Auraico*, fœliciter facinus perpetrari posset, ut perfacile fuisset brevi accidere, ni *Austriacus* plené de mente consiliisque *Auraici*, eorum, qui res denuo eversas cupiebant, certior factus, quibus potuit remediis, imminenti malo tandem providisset.

Dubitatio Jo. Austriaci, ejusque resolutio.

V. Angebatur super re tam arduâ mirum in modum. Si capi se sinerent, certum erat actum esse de Republicâ, si vero

vero id evitaret, remedium aliquod extremum tentandum, unde alios tumultus nasci posse metuendum erat, sin donec tentaretur facinus expectandum, cum successisset, jam tunc Respublica sine spe remedii, in præcipitium agebatur: si antequam tentaretur, sibi consulebat, expers culpæ novorum motuum, culpam omnem in se transferebat. Authoribus enim negando tantum, & contrarium affirmando, perfacile futurum erat, veritatem occultæ machinationis adhuc non rite * publicis vocibus evertere. Ipsi vero, cum quod certo sciebat, probare publicè non posset, perdifficile † miserias, calamitatesque, quæ postea subsecutæ sunt, plene excusare. Præmebant hæc *Austriacum* summopere, plurimumque eum affligebat, quietem, quam Belgis dimissione Hispanorum, aliisque ad eorum voluntatem indultis beneficiis, paulo ante, tam amicè compararat, paucorum malignitate, effrenataque libidine tam cito, tamque ingratæ Reipublicæ eripi. Erat ipsi præterea incerta Regis de istâ novitate voluntas; suspensa erat totius Reipublicæ Christianæ, super hâc rerum innovatione opinio, ac judicium; incertus & ipse, an sola ratione, ac veritate occulta, & non omnium oculis exposita, quamvis revera indubitata, ac certa, Regi, totique orbi posset satisfacere. Quamobrem in hujus rei deliberatione hæsit, sollicitus fierine posset, ut absque extremo discrimine, seque, ac Rempublicam in tam evidenti periculo versantem aliquo modo posset conservare. Tandem cum intelligeret *Auraicum* Mechliniæ, nec tantos, nec tam temerarios suæ fortunæ habere sectatores, quam Bruxellæ, unde videbatur saltem difficiliorem posse ibi reddi machinationis hostilis effectum, eò profectus est, ubi etiam videbatur commodius legatorum reditum, posse expectare, ibique etiam eorum aliquot, liberius, & apertius omnia, quæ intellexissent; ac perscrutati essent, expposituros, quam Bruxellæ, ubi Ordinibus præsentibus, quæ de *Auraici* mente cognoverant, efferre, multis forsan difficile fuisset, cum tamen nihil tunc temporis *Austriaco* tam conveniret, quam mentem *Auraici* plenè, ac nudè perspectam, cognitamque habere, ut sic securius, 1577.

* *Supple*: apparentis, *aut quid simile*. † *Adde*: erat.

1577. securius, certiusque omnium exacta, quoad fieri posset, habitâ, ac ponderata ratione, quid ulterius agendum esset, colligeret, statueretque.

VI. Habuit hæc profectio causam publicè datam, conveniendi ibi cum Germanis militibus, quibus antequam Belgio excederent, solvenda erant stipendia, eratque necesse uti specioso hoc prætextu, ne quid aliud suspicantes, ad ejus detentionem animum verterent. Plus semel de re etiam illa Germanicæ solutionis Mechliniæ tractatum, atque haud diu Mechliniæ consedit *Austriacus*, cum redirent Legati, qui, cum ea, quæ afferebant, communi voce exposuissent, mansere apud eum *Dux Arschotanus*, & *Hiergius*. Hic autem, ut erat solidæ prudentiæ vir, *Auraici* mentem penitus scrutari curarat. Itaque doctus inde venerat, ut indubitanter omnino assereret, nihil boni jam de *Auraico* expectandum esse, nihilque tam malum, quod ad sui amplificationem non perpetraret, suorumque sequacium ope posse, quidquid animo collibitum esset, ni tempestivè provideretur, proinde de re sorio tanta agendum, idque præcipue cavendum, ne persona Principis libertate privaretur, quo uno malo, ut procul dubio Reipublicæ nihil reliqui erat, quam soli *Auraici* voluntati obedire, ita Principi libertate retentâ non videbatur futurum impossibile, separatione semel factâ bonorum à malis, Rempublicam contra *Auraici* tyrannidem posse protegi, ac conservari. Erat *Hiergii* magna authoritas Namurci, Carolomonti, ac Marienburgi: his fundamentis proponebatur, posse *Auraicum* se eò conferre, atque arcem, quæ ibi est, in potestatem suam redigere, binasque alias illas arces omnino ad partes suas trahere, quibus rebus exequendis *Hiergius* promptum paratumque sese exhibuit, idque eo consilio, ut *Austriacus* jam totius Belgii Prorex legitimus, statim post occupatam illam arcem, publicatis ubique locorum causis, quæ eum necessario coegissent Namurci securè velle esse, ac convocatis ad se illis, qui singulari fidelitatis juramento astricti, Regi cæterisque omnibus, qui erga Regem bene affecti erant, res regias ad talium (si non ejectis omnino perfidis, at saltem illorum potentiâ jam imminuta, ut desinere possent, quod vellent) regimen, & rerum directionem conaretur reducere. Indubitatum enim erat, non tam quantitatem, (ut

Quas ob causas Jo. Austriacus Namurcum secessit.

(ut ita dicam) quam qualitatem malitiæ, Belgium in præcipitium egisse. 1577.

VII. Erant (accepto majori numero pro universali) omnes Belgæ tunc temporis catholici, Regique dediti, pauci tamen illi alii: (dico paucos respectu aliorum multorum, cum etiam multi essent) audacia, temeritate, industriâ, ac dissimulatione, tantam sibi authoritatem ac potentiam, non sine aliorum negligentiæ, ac pusillanimitatis culpâ acquisierant, ut quicquam animo esset collibitum, tandem futurum certò sibi persuaderent, quod ni reprimèretur, summaque rei quamprimum ad viros bonos reduceretur, actum esse de Republicâ, quis dubitabat? Quæ sententia, cum post varias consultationes *Austriaco* magis arrisisset, pluris faciens Reipublicæ non deesse, quam sibi, Namurcum se transferre statuit. Verum ante omnia necesse erat, Regem, quam celerrimé de omnibus, quæ acciderant, & quæ ipse facere decreverat, quæque præterea Consiliis, cœptisque suis promovendis opus essent, plenissime certiorem facere. Misit itaque antequam discessus Namurcum versus divulgaretur, in Hispaniam per equos celeres (vulgo postam) *Escovedum*, ut tanquam præsens in omnibus consiliis, & consultationibus, præcipuaque pars omnium, de omnibus optime instructus, a Rege super totâ negotiorum summâ abundé informato, ac satisfacto, necessarias provisiones ærarii, ac militum, quam celerrimé posset, impetraret. Profectus est postea Namurcum . . . . mensis Julii, habuitque ad id tam speciosum prætextum, ut caruerit omni suspicione profectio, ac Namurcenses multo cum honore, ac libenti animo eum receperint. Adventabat ex Galliâ per Hannoniam *Margareta*, *Henrici* tertii Galliæ Regis soror, Uxor *Henrici* Regis Navarræ, ut aquis Spadanis uteretur, eratque ei iter Namurco faciendum. Consuevére magni cum magnis in hujusmodi occasionibus, regiâ hospitalitate uti; justumque, ac debitum officium erat, Proregem in suo dominio, tantam Heroinam, affinem Regis Catholici, omni amicitiæ, ac benevolentiæ demonstratione, excipere. Præparavit itaque illi hospitium superbâ supellecticle longé ornatissimum, sumptibus Reginæ, totiusque ejus Comitatus toto mansionis tempore, largiter provisum est, interque alias epulas, tripudia, cœteraque lætitiæ atque hilaritatis

1577. laritatis exercitia, cœnam in insula quadam Mosæ civitati vicinâ regio prorsus apparatu, ac sumptu exhibuit, ac tandem cum discedere vellet, varia etiam munera liberaliter elargitus est: ita ut Galli de hospitalite accepta summoperè sibi gratularentur.

VIII. Venerant cum *Austriaco* Namurcum *Dux Arschotanus*, *Marchio Haureyns**, *Comes Barlamontanus* illius Provinciæ Præfectus, cum filiis *Hiergio*, *Comite Meghensi*, & Domino *de Floyon*, *Comes de Reux*; ex tribunali Consilii Status *Assomuilius*, & *Scetus* ex Financiis. Cumque discessu Reginæ, jam esset extincta causa ibidem commorandi, periculumque morâ indies augeretur, non amplius *Austriacus* differendum ratus vigesimâ quartâ Julii, finxit velle se venatum ire in eo tractu, versus quem euntibus necesse erat pro portam † arcis iter capere, quo cum venisset equo desiliit, dixitque cupere se arcem, quam nunquam viderat, perlustrare. *Hiergius*, & *Comes Meghensis* secreti illius conscii, adierant paulo ante *Dominum de Tves* Præfectum, cui, præterquam, quod patris esset legatus, seu locum tenens, intimi erant amici, cupere sese ajebant jentaculum sibi præberi: assensit ille; cumque jam tempus esset *Austriacum* adventare, *Hiergius* variis sermonibus occupatum detinuit, Comes vero in medio primæ arcis portæ apud paucos milites ibi excubias agentes, sclopetto in brachium imposito constitit, itaque sine ulla difficultate arce potitus est, non sine magnâ postea Præfecti quærimoniâ, quod id, quod solâ jussione adipisci certo poterat, extraordinaria viâ, suspicione infidelitatis non carente, *Austriacus* obtinére studuisset; de quo in præsentiarum abundé ei fuit satisfactum, confirmatâque ei arcis Præfecturâ, summoque honore affectus est.

IX. Civitas cum quæ acciderant cognovisset, tanquam de re tam novâ nunquam suspicatâ, nec cui, de causâ, ac fine harum rerum, quicquam innotuerat, contineri non potuit, quin statim commoveretur, plurimumque sibi timeret, sed cum postea per *Austriacum* plené de omnibus esset instructa, cives obedientiam, quam Proregi debebant, quiete professi

* Havreijius: *Havrè*. † *Lege*: per portam.

professi sunt. *Austriacus* etiam omnibus aulicis, qui apud ipsum erant, præcipuisque ante omnes, continuo causam eorum, quæ egisset, & finem, ad quem tendebat, nudé, & aperté exposuit: Rogare, & obsecrare omnes unà secum, in *Auraici*, aliorumque perfidorum, sui sequacium, impiæ mentis, ac marchinationis eversionem sedulò incumberent, nihilque se a quoquam petere, nec petiturum unquam, quam integram exactamque Catholicæ religionis conservationem, Regique debitam obedientiam; seque non minus ex illâ arce, quam si Bruxellæ mansisset, muneri suo, æque, ac recté ad promissi præscriptum satisfacturum. Si tamen inter eos quisquam esset, cui hoc non placeret, nolle se in illâ occasione neminem * invitum, ac contra genium ad se trahere; discederet quicumque vellet, idque remanentes certo sibi promitterent, de suo erga eos amore, ac benevolentiâ, nihil unquam defuturum. Mansére omnes, illi præcipui, quos tunc temporis Namurcum venisse supra diximus, *Duxque Arschotanus*, & Marchio frater, *Austriacum* nunquam deserturos jurejurando denuo affirmarunt. Itaque cum illis aliisque Status Consiliariis cœterisque viris, gravibus, & utilibus, præsentibus, assiduis consultationibus vacare perrexit. *Hiergius* nullâ interpositâ morâ Carolimontem, & Mariemburgum commodis militum conditionibus cauté, fœliciterque ad partes regias traxit. *Austriacus* vero è vestigio Ordinibus cœterisque omnibus per totum Belgium, quibus par erat significare, quæ fecisset, earumque rerum causas humané; ac amicé admodum scripsit, enixé petens, ut beneficiorum memores, quæ plurima in eos contulerat, gratos sese exhiberent, idque omnino sibi persuasum haberent, nolle sese Belgio præesse, nisi iis conditionibus, quæ Marchiæ essent transactæ, nec aliud expetisse, nec expetere, quam *Auraici* impios conatus, sui securitate, evitando, Rempublicam, auxilio bonorum, in pristinam libertatem, fœlicitatemque vindicare.

1577.

Jo. Austriacus declarat causam occupatæ a se arcis Namurcensis, & abeundi licentiam concedit iis, qui vellent.

Scribit ad Ordines mentem suam esse, servare pacem Marchensem. Illi ad rebellionem redeunt modis omnibus supra enarratis.

X. Cœterum vix Ordinibus nunciata, quæ Namurci gesta, cum subito rejecta omni consideratione, ad jam pridem vixdum refrigeratas furias reversi sunt, ac potestatem regiam in

* *Lege:* quemquam.

in se denuo transferentes, tanquam ipsi veri essent domini
1577. arcis Namurcensis, non Rex, ejusque loco Prorex, qui Regis in Belgio vicem gerebat, sed extraneus quispiam hostis, eam occupasset. Incredibile dictu quanta indignatione commoti fuerint, oblitique eorum, quæ pridie publico nomine de obedientia debita promiserant. Nihil jam sibi cum *Austriaco* commune esse statuére, propriæque soli authoritati, ac utilitati vacare cœpére, ante omnia sollicitantes animos militum Walonorum in arce Antverpiensi existentium, ut effecti domini tam præcipuæ civitatis, & arcis, quidlibet ultra facilius commodiusque tentare auderent.

XI. Erat ejusdem arcis tunc Præfectus titulo legati, seu locum tenentis *Ducis Arschotani* Dominus *de Terlon* *, vir illustris, & Regi fidelis: hunc *Austriacus* tempestive admonuerat, nihil unquam de solitâ vigilantiâ remitteret, sibique à machinationibus internis cauté, ac strenué caveret, sed quamvis ille huic rei, quâ posset diligentiâ invigilasset, plus tamen potuit Dominus *de Bours* §, ex *Noyella* illustri familia, qui adhuc imbutus fermento veteri, uni cohorti suæ, quam ibi habebat, atque alteri earum, quæ ibi tunc temporis in præsidio erant, tandem persuasit, uti pro Ordinibus starent, *Terloniumque* comprehenderent; quod cum jam aliis superiores evasissent, viriliter executi sunt. Cujus rei fama simul atque Namurcum est perlata, *Dux Arschotanus*, & *Haureyus*, postposita omni honesta consideratione, de discessu cogitare cœperunt. Quodam itaque die ante prandium ex arce egressi, ubi consilio interfuerant, acceptis equis, simularunt velle se extra portam civitatis solatii causâ exire, tanta celeritate *Perveijum**, ubi erant aliquot milites Ordinibus adhærentes confugére, ut quamvis *Austriacus* cognitâ eorum fugâ continuo mitteret, qui eos insequeretur, *Octavium Gonsagam*, isque, quam maximâ posset diligentiâ uteretur, salvi tamen evaserint.

§ *Pontus de Voyelles, toparcha de Bours.*

XII. Quamvis enim pace Marchiensi manifesta Rebellionis flamma esset extincta, remanebant tamen sub calidis cineribus (ut ante dictum est) sopiti ignes, qui novâ aliqua acce-

* *De Treslong, Ludovicus de Bloys.* † *Peruwéz. Perwys.*

accedente materiâ, in multorum animis res novas amplectentium, facile accendentur. * Verum cum Ordines hanc viam tam obstinate iniissent, arcemque Antverpiensem sibi vindicassent, nulla fuit Provincia, quæ antea Ordinibus adhæserat, nullus earum incola, præter Namurcum (quod jam non erat sui juris) & paucos illos, qui Namurci manebant; aliquot præterea ex superiore rebellione exules, qui nondum *Austriacum* viderant; quin spretis ejus admonitionibus, novam, quam unquam antea ardentiori rabie. ac furore, rebellionem sunt amplexi. Multum itaque spe suâ delusus *Austriacus*, qua sibi persuaserat, saltem multos viros bonos, præsertim nobiles (quorum est ante omnia sese ab honesto nullatenus separare) nunquam quid Gubernatori suo legitimo deberent, tam fœdè neglecturos; uti contra, spe sua potitus *Auraicus*, quâ certo crediderat posse, quamvis jam confectâ pace, suis iterum artibus Rempublicam novis turbis, ac incendiis ita implicare, ut tandem cogerentur summam rei in ipsum transferre. Estque procul dubio mirabile, quantus Artifex in hujusmodi extiterit, & quam cauté tunc materiam rebellionis, quam sopitam putabant multi, iterum suscitate, inque suam utilitatem convertere sciverit. 1577.

XIII. Ordines post occupatam Antverpiam, armis properandum rati, continuo ad comparandas copias, justumque exercitum conficiendum, animum intendere, copiisque, quas ad manus habebant, quatuor Germanorum cohortes, binas ex legione *Caroli Foucari* **, totidemque ex *Frunsbergii* † tam strenué invasére, ut coacti fuerint cedere, atque Antverpiam, ubi in præsidio erant, relinquere. Recepit sese *Foucarus* cum suis Bergham, *Frunsbergius* Bredam. Atque haud diu post eos, etiam milites, qui duo illa oppida tenebant, eo secretis conventionibus duxerunt, ut tandem, traditis Præfectis, oppida in Ordinum potestatem dederint. Erant præterea haud procul Antverpiâ aliæ aliquot Germanorum cohortes, quas etiam in fugam dedére: occuparunt etiam Castellum *Van Selam* ‡, ac *Steenbergham*, uti etiam erant milites

Malitia Germanorum militum stipendia Regis merentium, Ordinibus tradendo præfectos suos.

* *Lego*: accenderentur. ** *Imo*, Caroli Fuggeri.

† Georgii Baronis Fronsbergii. ‡ Juxta Borrium, fuerit Castellum *Van Wouw*, prope *Bergh-op-Zoom*.

1577. lites Germani, qui eam præsidio tenebant, Ordinibus relicta: ita ut sine ulla cæde, omni per Brabantiam molestiâ ac solutione illa stipendiorum, quam Marchiæ Germanis promiserant, cito commodéque liberati sint. Adeoque tunc militum Germanorum illorum animos consternarat, Namurcensis profectio *Austriaci*, nullaque spes auxilii ab eo submittendi, ut nihil sibi jam reliqui, quam de salute quoquomodo cogitare, esse intelligerent. *Austriacus* etiam haud ignarus, in eos, quam violenter inveherentur Ordines, sibique in præsentiarum esse impossibile, eâ brevitate, quâ erat necesse illis subvenire, famæ illorum consultum volens, jussit Præfectis supremis, uti, cum urgeret necessitas, pactionibus, quam honestissimé possent, periculo sese eximerent. Quod quidem fecére milites, sed indigno nimis modo, æquum enim fuerat, supremos suos Præfectos, sicut semetipsos servare, eoque pacto infamiæ labem â natione ab omni ævo, constantiæ, fidei, jurisque jurandi semel præstiti, addicta, divertere.

Difficultates in quas incidit Jo. Austriacus in arce Namurcensi, ejus valore ac constantia superatæ.

XIV. *Austriacus* cum arcem Namurcensem ingrederetur, solos aliquot corporis sui custodiæ, & ad pompam, prout inter magnates moris, electos milites, eosque paucos circum se habebat. Hisce tantum tunc arx munita erat, cumque numerus non sufficeret, complures ex domesticis Principis, in præsentiarum militis obire munus coacti sunt, uti sic debitæ securitati satis provideretur. Cumque intellexisset, quomodo accepissent Ordines ea, quæ Namurci per se gesta erant, omnesque Provincias jam ad vomitum rediisse, nihilque apud illos, quam arma sonare, & ipse rebus suis quoad potuit providere cœpit. Erant immensis difficultatibus procul dubio plena omnia, & quamvis haberet inter Exteros *Billium*, *Verdugum*, ac *Mondragonium*, scientiâ rei militaris claros, soli tamen erant, militibusque destituti, personale tantum (ut ita dicam) auxilium adferebant. Solæ in fide permanebant Provincia Luxemburgensis, ac Burgundia, ex viris principibus, *Comites de Mansfelt*, & *de Reux*, tota *Barlamontana* familia, paucique alii Belgæ, iique non adeo magni momenti; nulli ei ad manus milites; ærarii ad novos comparandos parca admodum provisio; erantque eorum defectuum remedia tam longé petenda, ut certum esset illum diu

diu in arcto illo statu necessario mansurum: fortitudini tamen assuetus nihil unquam de solitâ constantia remisit. Regem iteratis cursoribus de præsenti rerum statu plenissimè certiorem reddidit, sæpe quoque *Escovedum* de necessitate diligentiæ illi commissæ admonuit: cumque sciret ultimo Hispanorum ex Belgio discessu, quam plurimos eorum ad Galliæ intestina bella se transtulisse, Hispanico ibi legato scripsit, ut serio omnes commoneri curaret, & redire hortaretur: A *Marchione Daymontano* *, Mediolanensis Ducatus summo Præfecto enixé petiit, uti militem omnem Hispanum, aliosque, qui ex Belgio eò nuper se contulerant, quam celerrimé ad se remitteret. Particularibus præterea quibusdam inter illos scripsit, ut sic promptiorem unumquemque efficeret ad reditum: *Baroni de Chereau* viro illustri ex Viennensi familia, rei militaris peritissimo, qui celerrimé Namurcum advolarat, legionem unam Burgundionum, ex denis cohortibus, conscribendam committit. Inventusque est *Benedictus Charreton* supremus in Burgundiâ Regius Rationum, seu Computationum Magister, qui gratiam, & benevolentiam *Austriaci* captare volens, pecunias in eam rem necessarias mutuo numeravit, quemadmodum etiam Walonorum aliquem numerum, præcipue ex Luxembergensibus confici jussit. Brevi nil omisit, quod aliquo modo ad res conservandas esset necessarium. 1577.

XV. Denique, ut quibuscumque posset modis Belgii periculo occureret, ab Rege petiit, alium sibi Gubernatorem subrogaret, seque discedere pateretur, ut sic tam immane contra se conceptum odium, remoto objecto, majoris mali occasionem tolleret Sed quamvis hæc ita se haberent, haud idcirco de controversiis componendis tractari desitum. *Scetus* † ab *Austriaco* ad Ordines, ab Ordinibus ad *Austriacum* iit, rediitque multoties: venit Namurcum missus *Bossuius*, venére & Episcopi, aliique complures, multa hinc inde agitata, & proposita, sed cum ex diametro inter se pugnarent partium intentiones, nullum unquam inveniri potuit reme-

* *Is erat*: Antonius Guzmanus Marchio Ayamontius.

† Gaspar Schetz, Dominus de Grobbendonck, thesaurarius Regius.

1577. medium concordiæ: Volebat *Austriacus*, uti diebat, Regique omnino conveniebat, Regiâ potestate absoluté uti. Ordines è contra plus quam Proreges, ipsam tantummodo nudam personam *Austriaci* admittebant, cœtera vero omnia proprio nutu, ac voluntate regi debere obstinaté decreverant, quod nihil aliud futurum erat, quam captivitatem, quam effugere curaverat, sponté sibi comparare. Volebant ante omnia arcem Namurcensem statim sibi tradi, & dedi, binaque insuper illa ab *Hiergio* occupata propugnacula, *Marienburgum*, & *Carolomontem*: itaque tandem aperté ad arma ventum est. Declaravére Ordines *Austriacum*, atque omnes qui partes ejus sequebantur Edicto publico, nomine Regis promulgato, rebelles hostes. Cujus Exemplar, aliaque ejusdem farinæ, tunc in lucem per Ordines edita, hic proponentur, ut discat posteritas, quantum possit Rebellionis virus semel imbutum, mortalium animis, & quam sit Principibus consultum, tempestivé, & sedulo, tumultuum, bellorumque causas occidere, ne in immensum crescant. Quod cum fieri contigit, nihil tam absurdum est, atque iniquum, quod effrenata audacia non attentet, uti tunc accidit, cum illi, qui revera Regi rebelles, hostesque erant, ejusdem fratrem, ac legitimum ministrum, cui obedire jure debebant, proprio Regis ense jugulare tentarunt.

Monitio de comprimendis tumultibus ex Belgarum exemplo.

Per Regem.

Edictum Ordinum quo Jo. Austriacus ejusque sequaces declarantur rebelles cum confiscatione bonorum.

„ XVI. NOstro charo, ac fideli Equiti Domino *Georgio* „ *de Lalaing*, Comiti de Reynenborch *, Libero Baroni de Vile, Gubernatori, ac Capitaneo generali nostrarum Regionum, Friziæ, Transisulanæ, Groeningæ, & Linghæ salutem. Cum quædam harum Regionum Civitates, Castella, Oppida, Pagi, aliaque loca, præsertim quidam Optimates, Nobiles, Personæque privatæ, fecerint, atque etiamnum facere non cessent, contra debitam nobis, Patriæque communis fidelitatem, conculcando Pacificationem, Edictumque perpetuum supra ea publicatum,

* Rennenburch.

„ tum, ac à nobis approbatum, nec non violando unionem 1577.
„ per Status generales harum nostrarum Regionum composi-
„ tam, & ab aliquibus eorum subscriptam, adhæreant Hispa-
„ nis, quos non ita pridem, nos diximus, ac declaravimus
„ rebelles, secuti sint, & adhuc sequantur partes Domini
„ *Joannis Austriaci*, dictorumque Hispanorum, iisque adhæ-
„ rentium, eos advitantes*, consilio, militibus provisioni-
„ bus bellicis, re frumentariâ, aliisque commoditatibus ne-
„ cessariis; exhibentes se adversarios, ac hostes nostros, at-
„ que arma gerentes contra nos dictos Ordines generales,
„ propriamque Patriam, eo nomine crimen Rebellionis in-
„ currentes; quapropter merentur puniri in corpore, &
„ vita. Relatum præterea nobis fuerit, quod dictæ Civita-
„ tes, loca ac personæ, adjuvando nostros adversarios (ut
„ antea dictum est) quibuscumque modis possunt, student
„ transmutare, vendere, ac recipere bona sua, census, re-
„ ditus, actionesque, quas habebant, & adhuc habent in
„ hisce dictis nostris Regionibus, ut iis utantur contra nos,
„ dictamque eorum Patriam, ac ulterius usuros, ni quam-
„ primum super eo per nos esset provisum. Hasce ob cau-
„ sas dictis rebus bene perpensis, ac consideratis, volentes
„ hisce incommodis, atque malis provideri, consilio dilecto-
„ rum, ac charorum nostrorum Prælatorum, Nobilium,
„ Provinciarum, & Urbium deputatorum, Ordines genera-
„ les dictarum Regionum Bruxellæ congregatos repræsentan-
„ tium, jussimus, ac jubemus, hisce præsentibus, omnibus
„ locum tenentibus, Gubernatoribus, Officialibus, Amanti-
„ bus, Drossartis, Bailliuris, Escoutetis, Prevostis, & re-
„ ceptoribus nostrorum bonorum uniuscujusque districtus,
„ aliisque quibus hoc muneris incumbit, uti annotent, ac
„ in potestatem suam redigant omnia, & qualiacumque bo-
„ nà, mobilia, ac immobilia, actiones, creditaque dictorum
„ nostrorum adversariorum, illisque adhærentium, ac faven-
„ tium, tam ea, quæ sunt propria Civitatum, Pagorum, &
„ Municipiorum, seu Communitatum, quam, quæ pertinent
„ ad personas privatas, ut custodiantur, atque integra con-
„ serventur in usum, utilitatemque eorum, quorum inter-
„ erit,

* *Lege:* adjuvantes.

1577. „ erit, posteaque de iis fiat, ac statuatur, quod ex usu esse
„ videbitur. Mandamus, ac jubemus præterea omnibus il-
„ lis qui possident, tenent titulo depositi, aut sciunt aliquid
„ quod vel per actiones, vel alio quocumque modo debitum
„ sit iis, qui sequuntur partes dictorum nostrorum adversa-
„ riorum, ac Ordinum generalium, cujuscumque status
„ gradus, & conditionis sint, ut statim, vel saltem infra
„ dies octo, post harum publicationem denuncient, dicant,
„ & declarent, primo Officiali suæ commorationis, rece-
„ ptorique ibi nostrorum bonorum, quidquid habent nomine
„ depositi, suâque in potestate, quidquid etiam debent
„ dictis personis, quæ favent dictis nostris adversariis, &
„ quidquid sciunt ipsos debere aliis, aliique ab illis habent
„ deposita, possidentque, aut illis debent. Mandamus, ac
„ prohibemus præterea his præsentibus omnibus subditis
„ nostris, aliisque habitantibus in dictis nostris Regionibus
„ cujuscumque status, gradus, ac conditionis sint, ne quic-
„ quam dent, aut solvant dictis hostibus, & adversariis Pa-
„ triæ, aut illis adhærentibus, sive sint Civitates, Pagi, Bur-
„ gi, aut Communitates, sive aliæ Personæ privatæ, pœnâ
„ iteratæ solutionis ad id constitutâ, & illi, qui quod dictum
„ est celaverint, dictasque declarationes, ac denunciationes
„ non fecerint, pœnæ nomine solvant id ipsum, quod cela-
„ verint, deque talibus pœnis applicetur tertia pars nobis ad
„ defensionem dictarum nostrarum Provinciarum contra dictos
„ hostes, ac Rebelles, altera denunciatori, tertia Officiali
„ executori. In summa prohibemus omnibus dictis Civitati-
„ bus, Pagis, Burgis, Locis, Communitatibus, aliisque
„ Personis privatis, ne adjuvent dictum Dominum *Joannem*
„ *Austriacum*, aliosve adversarios nostros, dictorumque Or-
„ dinum generalium, consilio, milite, re frumentariâ, pro-
„ visionibus bellicis, armis, pecuniâ, communicationibus,
„ aliove quovis modo directé, vel indirecté, quomodocum-
„ que id fit, ad id statuta pœnâ puniendi illos in vitâ, &
„ bonis, tanquam fautores Rebellium, ac hostium Patriæ.
„ Præterea, cum multi habentes officia, ac munera publica in
„ dictis nostris Regionibus absint sine veniâ, & permissione
„ nostrâ, post occupatam à dicto Domino *Austriaco* arcem
„ Namurcensem, debitamque administrationem dictorum

„ mune-

„ munerum, vel officiorum non præstent, vel præstare diffe- 1577.
„ rant, habitantes extra dictas nostras Regiones. Jubemus,
„ ac Mandamus talibus, iisque etiam, qui apertè se decla-
„ ravére adversarios Patriæ, uti revertantur, personaliter
„ munera, atque officia sua ipsi administraturi, præcipue
„ infra dies quindecim post harum publicationem, sub pœnâ
„ privationis dictorum munerum, vel officiorum, insuper
„ habebuntur pro fautoribus, & auxiliatoribus hostium, ac
„ Rebellium dictarum Regionum, uti supra dictum. Et ne
„ quis habeat, unde alleget, hujus nostri Edicti ignorantiam,
„ jubemus, ac mandamus expressè, ut nullâ interpositâ
„ morâ publicari hæc cures omnibus Civitatibus, Locis,
„ & Pagis dictarum nostrarum Regionum Friziæ, Transisu-
„ lanæ, Groeningæ, ac Linghæ, idque in locis, ubi simi-
„ lia fieri consuevère, cures, curarique facias, ut observe-
„ tur, contraque transgressores, ac inobedientes procedas,
„ ac procedi facias executione dictarum pœnarum, postpo-
„ sitâ omni grati[illegible]favore, ac dissimulatione. Ad id vero
„ exequendum, & quicquid ex eo dependet, damus tibi,
„ omnibusque Officialibus, ad quos spectat, plenam potesta-
„ tem, authoritatem, mandatumque spiciale. Jubemus, ac
„ mandamus omnibus, ut in hisce exequendis vobis præsto
„ sint, ac obediant, quia sic nobis placet. Datum in nostra
„ Civitate Bruxellensi sub sigillo nostro hic apposito, in for-
„ mam Placarti septimâ Decembris, millesimo, quingente-
„ simo septuagesimo septimo. Infra erat scriptum: Per
„ Regem, subscriptum *Mesdach.* "

XVII. Declaratio facta ab Ordinibus generalibus harum Regionum contra Dominum *Joannem Austriacum*, ac earum incolas, qui ejus partes sequuntur, & adjuvant.

Declaratio Ordinum contra personam Jo. Austriaci.

„ Prælati, Nobiles, Deputatique Provinciarum, ac Civi-
„ tatum repræsentantes Ordines generales harum Regionum,
„ nunc temporis uniti, ac congregati Bruxellæ. Informati,
„ esse, qui dubitent, an Dominus *Joannes Austriacus* debeat,
„ nec ne tractari, ac haberi pro hoste Patriæ, quamvis actio-
„ nibus suis talem sese gesserit post occupatam arcem Na-
„ murcensem, dictique Ordines ad ipsum apertè declarave-
„ rint, atque hanc ob causam oriantur plura incommoda:
„ quibus provideri volentes, hisce præsentibus, palam om-

1577. „ nibus notum faciunt, ſeſe nec agnoviſſe, nec agnoſcere
„ Dominum *Joannem Auſtriacum*, pro locum tenente, Gu-
„ bernatore, ac Capitaneo generali Regis, ſed pro Infracto-
„ re Pacificationis ab ipſomet jurejurando confirmatæ, hoſte-
„ que noſtræ Patriæ, poſt receſſum ſuum Namurcenſem.
„ Omnes item Incolas dictarum Regionum, qui eum ſequun-
„ tur, & adjuvant, pro earundem rebellibus, eoſque debe-
„ re omnino reputari pro talibus, ac tractari in vita, & bo-
„ nis ſecundum edicta, ſuper eo à Rege decreta, ac publi-
„ cata. Actum Bruxellæ ſeptimâ Decembris milleſimo,
„ quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Infra erat ſcriptum
„ ex mandato Dominorum meorum Ordinum Generalium:
„ *Cornelius Vellemans.* "

XVIII. Decima Decembris dicti anni milleſimi, quingenteſimi, ſeptuageſimi ſeptimi, Præfati Ordines generales concipere cœpère quandam unionem, ac confœderationem, quæ poſtea omnino fuit concluſa, ac ſtabilita nonâ Januraii ſubſequentis, traditumque fuit ejuſdem Exemplar originale Tribunali Conſilii Brabantiæ, cujus ſubſequitur tenor:

Confœderatio ac unio Ordinum concluſa ſub initium anni 1578.

„ Nos ſubſcripti Prælati, ac Eccleſiaſtici Optimates, No-
„ biles, Magiſtratus, Urbes, Municipia, aliique repræſen-
„ tantes Status vel Ordines Inferiorum iſtarum Provincia-
„ rum in hâc civitate Bruxellenſi nunc congregati, ſub Do-
„ minio Maximi, Potentiſſimi, ac Illuſtriſſimi Principis Regis
„ PHILIPPI Domini, ac Principis noſtri naturalis, notum
„ facimus omnibus præſentibus, & futuris, quod cernentes
„ Patriam iſtam noſtram communem afflictam oppreſſione plus
„ quam barbarâ, ac tyrannicâ Hiſpanorum, fuimus coacti con-
„ jungere nos & unire, ac armis, conſilio, milite, ac pecuniâ,
„ mutuo nos adjuvare contra dictos Hiſpanos, illiſque ad-
„ hærentes Decreto dictos, & declaratos Rebelles ſuæ Ma-
„ jeſtatis, & hoſtes noſtros. Quæ dicta unio fuit poſtea con-
„ firmata per Pacificationem ultimo factam, aucthoritate, &
„ confirmatione Tribunalis Conſilii Status, cui ſuâ Majeſtas
„ commiſerat ſupremum Regimen, ac gubernaculum dicta-
„ rum Regionum. Et quoniam dicta unio neceſſariò indiget
„ integrâ fidelitate, conſtantiâ, mutuoque, ac reciproco
„ auxilio, nolentes aliquo modo inter nos ſiniſtram oriri ali-
„ quam ſuſpitionem, atque contrarietatem, ſed contra vo-

„ lentes

„ lentes negotia dictæ unionis procurare, promoveri, atque 1577.
„ executioni mandari, omni sinceritate, fidelitate, ac diligen-
„ tiâ, ita ut nemini subditorum dictarum Regionum detur
„ justa aliqua occasio conquerendi, ac dubitandi de nobis.
„ His de causis, utque nil sinistrè infideliterque fiat in præ-
„ judicium dictæ nostræ communis Patriæ nec non justæ
„ nostræ defensionis, vel omittatur negligentia, vel conni-
„ ventia aliquid, quod justæ nostræ defensioni convenire
„ potest, aut possit, virtute facultatum, ac commissionum,
„ quas habemus, alioque quovis modo, promisimus, ac pro-
„ mittimus, tanquam Christiani viri boni, verique compa-
„ triotæ nos in perpetuum conservaturos dictam unionem,
„ ac confœderationem, nostrumque neminem posse eam de-
„ relinquere, dissimulatione vel occultâ intelligentiâ, ulloque
„ alio modo, idque ad conservationem sanctæ fidei nostræ,
„ ac Religionis Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, observa-
„ tionem Pacificationis, expulsionem Hispanorum, iisque
„ adhærentium, Majestatis suæ debitam obedientiam, ac
„ quietem nostræ Patriæ, integramque observationem Privi-
„ legiorum, Jurium, Libertatum, Constitutionum ac Usuum
„ antiquorum. Nosque in hunc finem daturos, atque ad-
„ ministraturos * quæcumque in potestate nostrâ erunt, pe-
„ cunias, milites, bona, ipsamque vitam, si necesse fuerit.
„ Nulli præterea nostrum licebit privatim dare, aut seorsum
„ consilia inire, aut aliquid separatim consentire, nec habere
„ occultas ac privatas communicationes cum illis, qui non
„ sunt hujus nostræ confœderationis, nec illis revelare, quæ
„ in communi nostra congregatione fuêre, vel fuerint tra-
„ ctata, ac conclusa. Denique si contigerit aliquam Provin-
„ ciam, Regionem, Civitatem, Castellum, domumque in-
„ vadi, destrui, vel vi opprimi, atque aliquem nostrum,
„ aut quemvis alium, qui pro Patriæ defensione contra Hi-
„ spanos, illosque, qui inde dependent, egregiè, ac strenuè
„ sese gesserit, in hostium potestatem venire, ad redemptio-
„ nem sui adstrictum, vel aliquo modo damnum, atque mo-
„ lestia affectum, in honore, officio, vel bonis, aliove quo-
„ vis modo, promittimus subvenire, talibus, omnibus dictis
„ nostris

* *Lege*: Subministraturos.

1577. „ nostris facultatibus, atque ex captivitate in libertatem ar-
„ mis, aliove modo vindicare, nisi ita fecerint, sese pœnam
„ degradationis nobilitatis, ac honoris incursuros, debe-
„ reque existimari jurisjurandi infractores, infidi, hostesque
„ nostræ Patriæ, coram Deo, & hominibus, ac perpetuâ
„ notari infamiâ, in cujus confœderationis robur, ac con-
„ firmationem, subscripsimus has nostris nominibus nona Ja-
„ nuarii anno millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo".

XIX. Approbavit hanc confœderationem Tribunal Consilii Status, ut patet ex subsequentibus.

Approbatio præcedentis unionis concessa a Consilio Status.

„ Cum deputati generalium Ordinum supra nominati, rogaverint Consilii Status Consiliarios â Majestate sua supremæ Gubernationi harum Regionum Præfectos, uti velint approbare, ratumque habere instrumentum confœderationis suprascriptum, dicti Consiliarii habita ratione dictæ supplicationis, eorumque, quæ dicta confœderatio continet, approbarunt eam, quantum ad ipsos attinet, juxta ejus formam, ac tenorem. Actum Bruxellæ in domo publicâ Civitatis, & congregatione dictorum Ordinum nonâ Januarii anni millesimi quingentesimi septuagesimi septimi infra erat scriptum: Ex mandato dictorum Dominorum Consilii Status: *Berthy.*"

XX. Edidêre etiam postea Ordines sui justificandi causâ libellum variis pulchrisque coloribus depictum. Hæc omnia scriptis acta, re verò plura alia. Conscripsêre exercitum plus mille equitum, peditum octo millium cum bono tormentorum bellicorum numero, apparatuque ad eorum usum necessario, provisumque rei frumentariæ abunde satis. Crearunt in supremum ejusdem excercitus Præfectum *Comitem de Lalaing*, Dominum de Ruysbroeck supremum Magistrum Equitum. Dominum *de Montigny*, supremum Præfectum Peditum Walonorum. Dominum *de Gonignies*, supremum Magistrum, ut vocant, exercitus. Dominum *de la Motte*, supremum Præfectum tormentorum bellicorum. Curaque rei frumentariæ data *Carolo de Gropeli*. Absentis *Bossuii* in hoc exercitu quoque ratio habita, dataque ei una Germanorum legio. Major Equitum pars constabat ex Cataphractis Regiis. Aderant præterea Schotorum cohortes triginta sex. Collocarunt hunc exercitum in Gemblou, qui est uno miliari Namurco distans pagus:

Rebelles congregant exercitum, cujus præcipuas præfecturas conferunt quibusdam nobilibus, quos sibi volunt devincire.

gus: eo consilio, ut *Austriaco*, quibuscumque possent modis continuo incommodarent, bellumque inferrent, idque satis absurdè; quamvis enim verisimile est, voluisse eo exercitu, magnisque illis muneribus, nobilium animos ad sui favorem benevolentiamque omnino confirmare, ad ejiciendum tamen Namurco *Austriacum* longè majoribus viribus opus erat; uti & multo minores vires, ut sibi ab illo caverent, sufficiebant ob præsentem ejus impotentiam. 1577.

minorem quam par erat ad ejiciendum Austriacum, & majorem quam opus erat ad defendendos se.

XXI. Vocarunt præterea ad se *Auriacum*, qui Antverpiâ summo omnium applausu exceptus est splendidissimè. Misère quoque Ordines Abbates *de Vilers*, ac *Marroles*, Dominos de *Frezin* & *de Capres*, gratulatum ejus adventum. Deinde Bruxellam sese contulit, ubi majora adhuc cum eo acta sunt, ac tandem *Ravartum* *. (quod vocant) Brabantiæ scilicet supremum Gubernatorem crearunt. Præfectura olim temporibus Ducum ab Ordinibus instituta contra excessus, ac perversum eorundem imperium, nulla sanioris remedii consilia admittentium. Verum vix unquam ad usum ducta, quod aliud non fuit, quam *Auraicum* Dominum totius Reipublicæ constituere, tantaque fuit omnium cœcitas, præcipue Ecclesiasticorum, ut nihil minus considerarint, quam sese hæretico, ac extirpandæ Religionis Catholicæ professori, haud secus atque oves lupo, committi: uti etiam fuerat cujusdam Episcopi missi inter alios Namurcum ad *Austriacum*, cum adhuc de controversiis componendis utrimque ageretur, tam crassâ ignorantiâ, ut non erubuerit illi dicere, salutem Reipublicæ in *Auraici* protectione consistere.

Brabantini Auriacum eligunt Ruartum.

XXII. Dum hæc in Brabantiâ geruntur, alibi etiam omnia ad nutum Ordinum se componunt. Tandem & Amsterodamum, cœteraque omnia postea Ordinibus cessére: unde jam nihil *Austriaco* in Belgio erat reliqui, quam Provincia Luxembergensis, Namurcensis, cum Marienburgo, & Carolimontio, Verthia in Brabantiâ, & in Geldria sola Remunda, ubi erat *Polveiler* cum magnâ parte legionis suæ Germanicæ, qui quam-

* *Lege*: Ruartum, *vel*, Ruartem. Conservator, protector, dici potest. *Beschermer*, *Behoeder*, *Vooght* &c. cujus præfecturæ originem recte describit. Ceterùm hic Magistratus non est absimilis Dictatori Romanorum.

1577. quamvis à *Comite de Hollach*, vehementer, diuque oppugnatus, tam fortiter tamen restitit, ut licuerit tandem *Austriaco*, *Hiergium* cum copiis eò mittere, ac fugato *Hollachio*, illum ab imminenti periculo liberare.

XXIII. Cum Ordines *Auraicum* in Brabantia Rauartum, vel Gubernatorem elegissent, constituere etiam Flandriæ Gubernatorem *Ducem Arschotanum*, qui Gandavium veniens multo cum omnium applausu exceptus, inopinaté paucos post dies a populo captivus detentus est, uti etiam in vincula conjecti Episcopi Brugensis, ac Yprensis, Domini *de Rassingbien*, *Champaigne*, *de Mucron* cum filio, & Domino *de Lueneghem* * & *Erpe*, qui ibi aderant. Dux haud ita diu fuit detentus, quin libertati restitueretur, cœteri vero cum diu detinerentur, tandem fugâ libertatem adipisci pedites tentarunt, sed cum non ita cæleriter iter conficere possent, Gandavenses eos insecuti, denuo comprehenderunt; Gandavumque reduxerunt. Episcopum, ac *Champagneum* latitantes in triticeâ segete, quæ jam in justam altitudinem excreverat, quibus postea libere abire permissum, excepto *Champagneo*, qui non ante solutus est, quam Dux *Parmensis*, *Alexander* anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo quarto, Gandavum in suam potestatem transactione redegit. Publice hujus excessus culpa, audaciæ, & temeritati illius populi ascribitur, cui à multis jam annis tumultibus, ac rebellionibus sese miscére consuetudo fuit. Verisimile tamen est omnia hæc *Auraici* suorumque occultâ operâ subornata, suscitata esse, ut sic paulatim ad exitum Religionis Catholicæ via sterneretur.

XXIV. Milites, qui ab *Austriaco* sollicitati, primum ad eum venerunt, fuére bis centum Hispani in Galliâ collecti, quibus præfecit *Francosium*, virum strenuum, reique militaris peritum, iisque arcem communiit; venit postea *Cheurauxius* cum legione suâ Burgundionum, hos intra civitatem stationem habere voluit, ubi etiam dispositi ad tutiorem custodiam aliquot Waloni. Constitutus præterea ibi in Præfectum supremum *Comes de Reux*, non tam belli peritus, quam nobilitate clarus, ut sic Regimen publicum, tam nobilis

* *Lege*: Sweveghem.

bilis viri authoritate fulciretur. Reliquit & ibi *Verdugum* ut scientiâ militari, quâ pollebat, Comiti in omnibus occasionibus paratus adesset, inque ipsa arce firmioris ejusdem custodiæ causa habitaret. Cumque his copiis, aliisque rebus necessariis comparatis, ac provisis, civitatis, atque arcis securitati abunde esset cautum, tandem Luxemburgum profectus est, ut ibi ulterioribus expeditionibus, & præparationibus, quæ ad bellum necessariæ erant, commodius, faciliusque vacare posset. Ivère unà cum eo *Comes Barlamontanus* cum filiis, *Billyus* cum uxore, & liberis; *Assovilius*, *Mandragonius*, *Rogerus de Tassis*, Decanus Antverpiensis *, *Leonardus de Tassis* cum uxore, & liberis, *Joannes Baptista de Tassis* cum uxore, *Ludovicus del Rio* cum uxore, sorore, & liberis, *Dominus de Gonicourt*, *Lamoralius de Tassis*, & *Dominus de Leves*, quem dapiferum suum creavit. *Comes de Mansfeldt* Luxemburgi eum expectavit, eòque postea venère ex Comitatu Burgundiæ *Marchio de Warambon* cum fratre Domino *de Villafan*, Domini *de Gatté*, & *Meyse*, fratres, quorum primum creavit cubicularium. Venit etiam Dominus *de Vaulx* cum uxore, & liberis, qui diu ante Atrebato expulsus Lutetiam transfugerat, ibique per aliquod tempus Legatum Belgicum jussu *Austriaci*, Regisque consensu egerat. Venere etiam *Gerardus Sterck* Ampmannus Antverpiensis cum uxore, & liberis, Domini *de Rossignol*, & *Marlæ* fratres, quorum primum œconomum creavit, alterum dapiferum. 1577.

Qui Jo. Austriacum sunt secuti.

XXV. Cum † per aliquot dies Luxemburgum consedisset, misit ad summum Pontificem dictum Decanum Antverpiæ, & *Marium Carduinum* Neapolitanum, ut de omnibus, quæ acciderant, eorumque causis, ac de statu in quo res essent, plenè eum docerent. In eundem quoque finem misit *Marchionem de Warambon* ad Cæsarem, ac *Dominum de Gatté* ad Reginam Angliæ, relictâ curâ Legato Hispanico in Galliâ, ut idem ibi quoque officium præstaret, cum Regni illius Regibus Matre, & Filio. Decebat enim omnes Christiani Orbis Prin-

† *Hæc verba citantur in lib*: Marques d'honneur de la maison de Tassis pag 88.

* Hic Decanus, est *Rogerius de Tassis* J. U. D. Protonotarius Apostolicus, nec non præpositus D. Petri Lovanii, Academiæ Cancellarius, frater auctoris, qui octogenarius obiit Antverpiæ an. 1593.

1577. Principes, sed hos præcipue, de suâ justitia satisfactos reddere. Acceperat, antequam Namurco discederet, ex Hispaniâ primum responsum super hisce novis motibus, non ab ipso Rege, sed tantummodo à *Marchione de Velos*, qui eâ tempestate plurimum apud Regem auctoritate, atque consilio valebat. Unde colligi facile erat, Regem haud libenter novis denuo tumultibus, bellisque implicari: fratri tamen statim subsidio fuit. Etiam defecisset *Escovedi* diligentia, qui cum domum versus iret, ab aliquot ignotis occisus fuerat. Curam præterea dat *Comiti de Meghen* conscribendi unam legionem Germanorum. Una ex Lotharingis, jussa confici Domini de S^t. *Balamont*, viro summopere rebus Regiis addicto. Dominis *de Hacbe*, *Villafan*, & Domino *de Hautepenne*, *Hiergii* fratri, cura data conscribendi singulas turmas equitum. Dux *Erricus Brunsuicensis* Regi devotissimus, promisit, misitque postea tria millia Germanorum equitum. Ex reliquiis *Frunsbergii*, ac *Focari*, quæ Luxemburgum se receperant, complures cohortes de integro confectæ: *Antonio de Tassis* imperatum, quos posset Italos in unum colligeret, ex quibus primum unâ, postea binæ cohortes confectæ. *Carolo Comiti*, *Mansfeltii* filio, qui diu in Galliâ egerat, commissum, ut conduceret quatuor Gallorum millia, & cataphracti equites *Mansfeltii*, ac *Barlamontani* bene erant compositi. Revertebatur etiam exercitus, qui paucis ante mensibus in Italiam se contulerat, nec defuère, qui majori celeritate advolarunt, ut *Austriaco* citius præsto essent: inter quos fuère *Petrus*, & *Antonius Tassius*. Venit & postea *Alexander Princeps Parmensis*, ut *Austriaco* in tantâ occasione adesset, bellique artem, quam appetebat, usu atque experientia sibi acquireret. Quibus copiis in unum collectis suo tempore procul dubio non contemnendum composuit exercitum. Denique, & rei frumentariæ tempestive vacatum, & Domino *de Naves* muneris illius supremo Præfecto pecuniâ satis numerosâ ad id datâ, uti etiam in re bombardicâ nihil neglectum, quamvis maximas haberet difficultates, ob tormentorum bellicorum paucitatem, manserant enim in Ordinum potestate illa, quibus in expeditionibus uti consuetum. Et ut nec scripto sibi deesset, responsum adversus illum Ordinum libellum, quo sua incœpta improbabant, de quo supra, confici, publicarique curavit, nudaque

Jo. Austriaci præparationes ad bellum.

daque

itaque veritate narratâ, Ordinum propositiones satis refuta- 1577.
vit. Dum hæc ille, exercitus Gemplonii existens, Bovinum, quod est prope Dinantum juxta Mosam, parvulum, atque haud quaquam munitum oppidulum occupavit. In Abbatiâ Bonef, etiam præsidium locavit, & præter hæc, nihil aliud tunc temporis egit. Frequentibus tantum ac inutilibus minutis dimicationibus Namurcenses sæpius frustra vexavit, ac lacessivit: cumque jam diuturnâ morâ locus ille vilesceret, immodicamque exercitus mansionem non pateretur, ad alium non longe inde distantem pagum vulgo divum Martinum transmigrarunt, ubi etiam nihil magis memorabile, quam Gemplonii ab iis gestum.

Ob quas causas Belgæ invitarunt Archiducem Matthiam.

XXVI. Fuêre inter Ordines quidam, iique ex præcipuis, qui post discessum *Austriaci*, de accersendo ad Belgii gubertionem *Matthia*, Imperatoris fratre, tam serio inter se agere cœpère, ut tandem ad eum miserint Dominum *de Maelstede* nobilem Flandrum, Cæsareæ familæ domesticum, qui eum ad dictum munus acceptandum, Belgiumque petendum, qua posset celeritate, ac dissimulatione, invitaret atque omnino persuaderet. Credebant forsitan evocatione alîus ex stemmate Regio, desertionem *Austriaci* satis excusaturos: præterea, cum satis ipsis constaret, quò tenderet *Auriacus*, jugumque illud non ita libenter ferrent, persuadebant & forsitan sibi, nullâ alia meliore, ac commodiòre viâ posse se eo eximere, quam si Principem talem introducerent, qui *Auraici* cœpta, suâ authoritate posset reprimere, futurumque non difficile natione non exosâ, super hâc rerum novitate Ordinibus posse satisfieri. Successit fœliciter prima Legationis pars, & facilè *Maelstedius* Principem adolescentem, ac inexpertum, spe gloriæ, & utilitatis incitatum eò duxit, ut nulla reverentiâ erga Regem cognatum, honestique habita ratione, occasionem oblatam amplexus sit. Itaque nocte quâdam clam Viennâ egressus, triginta tantummodo comitatus domesticis, cœleribus equis vectus prius Mastrichtum attigit, quam fama sui adventus innotesceret: cumque inde Antverpiam se contulisset, paulo post, nempe decimâ septimâ Decembris millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, per Abbates *Divæ Gertrudæ*, & *Marolles*, *Ducem Arschotanum*, & Dominum *de Erezin*, in eum finem ab Ordinibus missos, ad Gubernaculum

Adventus Archiducis.

1578. Belgii admissus est, factusque *Auraicus* titulo superintendentis, ejusdem locum tenens. Cumque mense Januario anni subsequentis millesimi, quingentesimi, septuagesimi octavi Bruxellam venisset, iterum ab Ordinibus generali omnium consensu, magnoque cum applausu, ac lætitiæ demonstratione, Gubernator fuit declaratus; tales tamen admissioni annexæ fuêre conditiones, ut quamvis Gubernatoris titulo insigniretur, revera tamen gubernator non esset. Eluxitque in hâc novitate non minus, quam in multis antea, *Auraici* mira sagacitas: displicuit enim ei procul dubio *Matthiæ* adventus: verumtamen, cum observandiam tanti Principis *, casum non posse evitari cerneret, adjuvit eum publicè, conditionibus vero appositis ita astrinxit, ut unde suimetipsius ruinam merito metuere potuisset, maximum ultimo suo instituto adjecerit fundamentum, ac soliditatem. Mansére itaque, quantum ad secundum propositi partem, frustrati authores operis, ut dum imperium *Auraici* pessumdare, atque in nihilum redigere conantur, illud ipsum corroborarint, ac prorsus confirmarint. Fertur *Matthiam* opus hoc amplexum contra voluntatem Imperatoris, multaque constanter neglexisse, quæ super eâ re Imperator frater nè illi persuadère conatus est. Cœterum legum, conditionumque, quibus ad Belgii Gubernaculum admissus, sensus hic est, qui sequitur.

Quem Ordines eligunt in suum Generalem, & Auriacum in ejus Vicarium.

„ XXVII. Gubernaret Regiones una cum Tribunali rerum „ Status composito ex viris nominatis ab Ordinibus, qui „ sint indigenæ Belgæ, concordes inter se, fidi Patriæ, alieni „ ab avaritia ac ambitione, ac imprimis immunes præteritarum passionum, ac factionum, & qui sint prudentes, & „ versati in politicis, & re militari, brevi ex maximè idoneis, qui inveniri queant.

Conditiones sub quibus ad regimen admissus est Archidux Matthias.

„ Quod omnia resolvantur, ac decernantur in dicto Tribunali pluralitate (ut vocant) vocum Consiliariorum, ibi „ existentium, & non liceat Gubernatori uti ad id secretâ, „ & occultâ aliorum operâ.

„ Si inter dictos rerum Status Consiliarios inventus fuerit „ aliquis, cui incumbant alibi alia seria negotia, aut qui non „ dignè

* *Hæc lectio offendit ac hæsitare facit. Nescio an legendum sit:* cùm ob reverentiam tanti Principis &c.

„ dignè sese gesserit in suo munere, Gubernator in eo ad 1578.
„ petitionem Ordinum providebit.

„ Quod nihil, quod sit alicujus momenti, Provinciasque „ attingat, ibi fiet absque consensu, & approbatione Ordinum.

„ Quod dicti Ordines in rebus magni momenti omnes generaliter concernentibus, ut sunt exactiones, collectationes „ pecuniarum, denunciationes Belli, vel Pacis, societates, „ ac confœderationes cum Principibus exterisque Populis, „ aliisque similibus, tenebuntur, antequam super eo quicquam „ decernant, communicare illas generaliter toti populo, quod „ ratio dictet, debere sciri ab omnibus, quæ ad omnes spe„ ctant, eoque magis, quod & hanc obligationem in se con„ tineant antiqua privilegia, solitæque constitutiones, atque „ usus Provinciarum.

„ Quod nullum statuat Edictum, vel mandatum, quod in „ se contineat aliquid novi, nisi præcesserint opinio, atque „ consensus Ordinum legitimè congregatorum.

„ Brevi, quod in omnibus rebus, de quibus Duces Bra„ bantiæ tenebantur antiquitus consultare cum Brabantiæ „ Ordinibus generalibus, sic etiam jam tunc teneretur idem fa„ cere Gubernator cum Ordinibus generalibus, communica„ returque idipsum iis omnibus, quorum faciem referebat.

„ Teneretur communicare Tribunali Consilii Status litteras „ omnes publicas, quas reciperet, ut super iis provideri queat.

„ Quod non tractabuntur in dicto Tribunali feria, ac „ Statum concernentia, nisi præsentibus majori ex parte „ Consiliariis.

„ Restituet in integrum Gubernator omnia antiqua privi„ legia, constitutionesque usu receptas, de quorum infra„ ctione ac abolitione constet.

„ Manebunt congregati Ordines, donec rebus dirigendis, „ ac componendis ipsi videbitur esse necessarium, poterunt„ que in unum convenire, quotiescumque ipsis placuerit.

„ Ad petitionem unius solius Provinciæ, si quando ibi „ aliquid occurrerit, quod requirat congregationem, pote„ runt, imo debebunt cæteræ omnes Provinciæ inter se „ coire, non expectato super eo mandato, nec permissione „ Gubernatoris.

„ Ordines singulares uniuscujusque Provinciæ poterunt
„ inter

1578. „ inter se congregari, quandocumque visum fuerit.
„ Observabitur pacificatio Gandavensis in omnibus, & „ singulis suis punctis, nulloque pretextu frangi, ac violari „ poterit.
„ Et ne per sinistras ejusdem pacificationis interpretatio- „ nes, incidere contingat in aliquod incommodum, declara- „ turi sunt Ordines punctum de scandalis, aliaque similia „ sibi posita, & cum aliqua inciderit quæstio super inter- „ pretatione alicujus puncti in dictâ pacificatione contenti, „ instruentur, ac informabuntur super eo Ordines legitimè „ congregati.
„ Gubernator, nec habebit, nec petet aliam corporis cu- „ stodiam, quam illam quam Ordines pro rerum statu ne- „ cessariam duxerint.
„ Gubernator, Consiliariique Status habitâ primum Or- „ dinum opinione, electuri sunt, ac formabunt supremum „ militiæ suæ maritimæ, sive terrestris Præfectum; uti etiam „ Admiralium Maris, supremum Magistrum, Marschalcum, „ quem vocant Exercitus, Præfectos Legionum aliaque si- „ milia præcipua militiæ munera.
„ Nullæ conscribentur novæ copiæ sive pedestres, sive „ equestres, nec constituentur in aliquo loco præsidii causâ, „ nisi permissione, ac consensu Ordinum, super eo auditis „ Civitatibus, ac locis, ubi dicta præsidia collocari conveniet.
„ Gubernator nullum constituet Præfectum cujusque Pro- „ vinciæ, nisi habitâ super eâ opinione, ac approbatione „ Ordinum: eritque (si fieri queat) indigena dictæ Provin- „ ciæ habeatque ibi bona, aut saltem sit gratus, acceptus- „ que Ordinibus
„ Tempore belli regat, atque administret res bellicas „ per Consiliarios militiæ, quos deputabunt Ordines.
„ Dicti Bellici Consiliarii nihil resolvant, nec decernant „ in re statum Reipublicæ concernente, nisi præcedente „ communicatione Ordinum.
„ Regent Gubernator, & sub eo omnes Gubernatores se- „ cundum Privilegia, quæ aut sunt, aut fuêre, & Præfecti „ militum jurejurando se astringent Regi suo naturali, Ordi- „ nibusque ad conservationem Patriæ.
„ Astringent se omnibus prædictis punctis, & præcipue „ (ad

„ ad conservationem omnium Privilegiorum, Jurium ac 1578.
„ Usuum Regionis, ut instaurentur, confirmentur, ac omni-
„ no conserventur.

„ Jusjurandum, quod milites præstare solent suo Regi naturali, idipsum præstabunt Ordinibus totique Patriæ.

„ Administrabunt Ordines, seu eorum deputati omnes militiæ pecunias, causâ æris alieni, quo Rex, totaque Regio sese oneratos inveniunt.

„ Ordinibus licebit admittere, si necessarium fuerit, bellumque inferatur, Regum, ac Principum vicinorum auxilia sibi promissa, aut promittenda, rataque habebit Gubernator, quæ jam admisére, & adhuc admittent.

„ Agetur juridicé contra illos, qui armis prosequuntur Ordines, & Patriam, inque his ultimis motibus adhærent *Austriaco*, nullaque admittetur remissio, ac dilatio, ne quisquam in posterum audeat perturbare Statum ac quietem publicam.

„ Jurabit Gubernator, quod si ei contigerit violare quicquam eorum, quæ promisit, non teneri Ordines ei præstare obedientiam: & si vi voluerit illos ad illam præstandam compellere, non instaurando infractionem, quam fecerit, licebit illis armis agere, ad sui justam defensionem, ac tuitionem secundum Privilegia.

„ De arcibus dirui cœptis, & non omnino adhuc dirutis, semotâ omni contradictione, de aliisque rebus, quæ Patriæ adhuc possent esse noxiæ, decreturi sunt Ordines quid conveniet.

„ Nulla præterea unquam fiet mentio, ac inquisitio rerum præteritarum in ultimis motibus sub pace Gandavensi comprehensis, ibique perpetuæ oblivioni traditis, exceptis iis, quæ in prædicto vigesimo septimo articulo continentur. Et quidquid Ordines fecére, decrevére, ac jussére ab illo tempore, quo *Austriacus* arcem Namurcensem sibi vindicavit, id Gubernator tanquam benefactum approbare, ac conservare tenebitur, nihilque unquam in contrarium faciet."

XXVIII. Hisce conditionibus alligatus *Matthias*, atque insuper ab *Auraico* jurisdictione locum tenentis, ac superintendentis sibi applicatâ, artificiosè admodum sub virgâ: (ut

1578. vulgo dicitur) detentus, nihil unquam toto Regiminis sui tempore dicere, aut facere potuit, nisi ex præscripto *Auraici*, qui sic jam non tantum peculiaris Brabantiæ, sed totius Belgii, quantum ad summam rerum administrationem revera Gubernator existens, quicquid libuit, paulatim egit, atque ad nutum suum sub *Matthiæ* publico, revera tamen falso nomine, Rempublicam rexit, atque indebito, ac indecente modo, ac remisso erga *Matthiam* respectu, eo paulatim progressum est, ut Populus eum *Graffiarium Auraici* vulgo nominaret, quod tantum iis subscribendis, quæ *Auriacus* vellet, inserviret. Tandem cum eò jam res deducta esset, ut *Auraicus* cognosceret nihil amplius ad rem, præsentiam Principis facere posse, eo mentem illius adegit, ut de reditu in Germaniam cogitare cœpit, uti & tandem commeatu parvo ab Ordinibus impetrato, amissâ Regis cognati gratia, imprudentiæ notatus, derisusque à multis, Antverpia domum profectus est.

Reditus Archiducis Matthiæ in Germaniam.

XXIX. Sub finem hujus anni septuagesimi septimi apparuit, diuque stetit Cometa, ingentis, atque insolitæ magnitudinis. Jamque attigerat *Austriacum* Luxemburgi mensis Januarius anni subsequentis, advenerantque evocatæ ex Italia copiæ. Quare nec consultum, nec justum ei visum est, hisce, aliisque copiis, quæ conscribebantur, ex quibus justus componi debebat exercitus, diu sinere vexari territorium Luxemburgense, sed eas potius eo transferre, ubi illis subditis, qui Ordinibus favebant, potius essent oneri, & terrori. Itaque tandem decretum duci, componique exercitum ultra Namurcum, in eâ regione, quæ inter Hambram *, & Mosam vulgo dicitur, eoque suo tempore omnes sese transferre. Urgente interim valde *Polwerly* Remundæ obsessæ necessitate, *Austriacus* illi inprimis subsidio esse studens, expeditionem eam *Hiergio* commendavit qui unâ cum *Mandragonio* eo profectus est, tribus peditum millibus, majore ex parte Hispanis, & copiosa satis numero equitum. *Holachius* vero simul atque hoc rescivit, etiamsi majores illi essent copiæ, quam *Hiergio*, septemque munitionibus cinxisset civitatem, noluit tamen *Hiergium* expectare. Itaque sex ex iis derelictis in septimam, quæ munitior erat, se recepit. Haud tamen salvi evasêre omnes. Regii

enim

* *Lege*: Sambram. *Entre Sambre & Meuse*.

enim strenuè invadentes sepcimtam illam munitionem, multos, 1578.
quos ibi invenere milites; trucidarunt, ubi etiam perière complures, hinc inde in iis salutem quærentes equitum diligenti insectatione. Capta sunt aliquot parva tormenta bellica, unoque hoc successu Vertia etiam præsidio *Polverlery* * eò usque conservata periculo liberata est. *Hiergius* vero concessâ aliquâ requie militibus cum apponi curasset ambobus locis annonæ, quod satis esset, ex illâ, quam secum adduxerat, convehique curaverat ex vicinis pagis, re benè gestâ lætus ad agrum Marchiensem sese contulit.

XXX. Manebat constans semper suâ in statione prope *Divi Martini* pagum Ordinum exercitus, nec deerat *Austriaco* desiderium aliquid contra eum tentandi, idque ante discessum *Hiergii* Luxemburgi decreverat, ut ille si victor evaderet, copias in dicto agro Marchiensi collocaret, ipse etiam eodem tempore Marchiam se transferret, eoque tendere curaret, quicquid copiarum haberet reliqui, consulturus tunc ibi, quid ulterius esset agendum, quæ omnia sicuti constitutum confecta sunt. Cumque Marchiam ventum esset, tandem post multas utrimque agitatas propositiones, decretum, ut Princeps fingens nolle se tam citò Namurcum proficisci, maneret Marchiæ, donec copiæ diversis in pagis, ita prope Mosam collocarentur, ut, cum necesse esset, unâ nocte per pontem Namurcensem, in alterâ fluvii ripâ, omnes coire possent, idque eo consilio, ut hostes sibi certo persuaderent, *Austriacum* nihil minus in animo habere, quam aliquid contra eos tentare, ac sic neglectiores nequaquam de discessu cogitarent, darentque ipsi tempus veniendi in eorum conspectum, cum ad manus haberet copias. Metuebat enim, si, antequam hanc fortunam tentaret, Namurcum ivisset, tum se non infectante (quod absque copiis fieri non poterat) facile sine periculo, quo vellent hostes se recipere posse. Successit stratagema fœliciter. Constitère ibi hostes, & donec cognovêre *Austriacum* Namurci esse, nihil de discessu egère. Sed vix ille eo venerat, cum subito Giblovium se recipere statuêre †.

Consilium Jo. Austriaci ante pugnam Gemblacensem.

XXXI. *Austriacus* post adventum nulla interposita morâ turmam equitum sclopettariorum *Mutii Pagani*, (cui Præfecto absen-

* Polwyler. † *Lege:* Statuit.

1578. absente præerat *Cæsar Schafinatus* Mediolanensis nobilis, milesque egregius) hostem versus progredi jussit cum mandato, ut per illam noctem indefesse, ac diligenter quid agerent, præsens exploraret; aliunde etiam eum in finem inter eos speculatores missi, fuitque inter illos juvenis quidam alacris *Verdugi* domesticus, quique ei pedes inserviebat *Lacayculi* * vulgo dicti, qui egregiam in eo præstans operam, Namurcum reversus, primus omnium, tempestivé herum suum de indubitatâ hostium discedendi voluntate illâ ipsâ nocte certiorem reddidit. Quâ re cognitâ, *Austriacus* bonum numerum ex pedestribus copiis, quas prope Mosam collocatas habebat summo mane addesse jussit *Bougii*, quod est Pagus vicinus Namurco, in viâ, quæ hostem versus ducebat, omnemque simul equitatum misit: præterea *Cheuranium* cum multis ex sua legione, & post illum aliquem ex Germanorum, ac Walonorum numerum, qui noctu saltus, qui in dictâ viâ erant, occuparent, ac conservarent: ipse vero jam illucente die, quæ erat ultima ejusdem mensis Januarii, post auditum sacrum, Bougium se contulit, inventisque ibi ordinatim ad pugnam dispositis, mille ter centum peditibus Hispanis, majorique ex parte equitatus, non amplius cunctandum ratus, cum per ipsa incendia castrorum, plenè de profectione hostium constaret, *Octavio Gonzagæ* equitatum omnem committit, jubetque hostem versus ita contendere, ut eo viso, judicare posset, qualis esset, & quid in animo haberet, nullo tamen modo se prælii periculo submitteret, quod non exactè observatum, sed visendi hostis desiderio eò progressum, ut si ille voluisset, non fuisset in *Gonzagæ* potestate prælium absque periculo devitare. *Cheuranio* etiam mandatum, ut *Octavium* à sinistro latere sequeretur, aliisque peditibus, quorum erat ultimos saltus occupare, ut pari passu *Cheuranium* sequerentur: ipse vero cum Hispanis tanquam præcipuo exercitus robore manère voluit, ut sic auxilio, aut securitati illorum qui præcesserant commodius provideri posset. Non erat *Austriaci* mens aperto Marte confligere, sciebat enim numero militum sese hosti longè imparem esse, sed tantum cupiebat

à

* *Puto legendum:* Lakeyen, *a Gallico* Laquais; *quod amanuensis seu descriptor Hispanus assequi nequiverit.*

à tergo hostem, cum proficisceretur insequi, ut si aliqua rei bene gerendæ occasio sese ostentaret (uti in similibus haud semel accidit) uti eâ liceret. Unà cum *Gonzaga* jussu Principis ivit *Mandragonius*, Comes etiam *Carolus Mansfelt*, *Hiergius* cum fratribus *Verdugusque* ibi adfuère, divisusque equitatus in tres partes, ac datus unicuique parti peculiaris Præfectus, cum mandato quod alia justis passibus insequerentur, datoque signo hostem invaderent. Erant præterea in fronte tres sclopetariorum turmæ, una illa *Mutii Pagani*, altera, quæ Domino *de Gissey* Burgundioni parebat, tertia quæ *Falconetto* Hispano, viris scientiæ militaris peritissimis. Hoc ordine, cum propé nemus quoddam *Gonzaga* satis spatiosam attigisset planitiem, vidit procul magnam hostium partem explicatis vexillis *Geblovium* tendere, omnemque eorum equitatum in ipsa planitie ordinaté dispositum, specimenque deposcendi prælii præ se ferre. Erat præterea illis à tergo vallis exigua, cujus collem ex altera parte munitum habebant copioso numero sclopetariorum, ut sic equitatus cum opus esset ad suos se sine periculo recipere posset: præerat hostium exercitui *Goingnius*, absentibus Bruxellæ *Lalainio*, *Ruysbrucquio*, & *Lamotio*, solusque fuit tunc temporis ex illis præcipuis Dominus *de Montigni*, qui pedes curam dictorum sclopetariorum in se susceperat. Tormenta bellica, eorumque apparatum ante lucem aliquot comitata copiis Giblovium miserant, eâ mente, ut & exercitus eo perveniret, antequam de profectione innotesceret. Sed cum sæpe in hujusmodi rebus ob intervenientes difficultates non omnia ad votum succedant, non potuére, quod in animo habebant, exequi. Itaque necessitate coacti, ut tempus festinandi daretur peditibus, equitatum Regiis opposuére. Sed nec hoc quicquam profuit: *Gonzaga* enim tribus illis turmis sclopetariorum vicissim hostem ferientibus, cœterisque ad pugnam paratis, nec non auxilio *Chevranii* a latere eorum, equitatum tanto impetu repulit, ut tandem volentes arctam quandam viam, quæ in valle erat, in alteram ejus partem se recipere, confusi in apertam fugam versi fuerint, ac per medios suos pedites festinantes, illos etiam in fugam conjecerint, totumque exercitum perdiderint. *Montigni* fugâ incolumis evasit, *Goignius* captus est, atque haud infra septem peditum millia,

1578.

Pugna Gemblacensis.

 cæsa,

1578. cæsa, ac capta, quorum magna pars, qui *Schoti* erant, ex ponte Namurcensi in fluvium postea præcipitati: Vexilla peditum triginta sex capta, ac nonnulla equitum. Desideratis, sauciisque ex Regiis tantummodo decem.

XXXII. Fuit hæc victoria *Austriaco* eo insignior, quod tam cautè ex Marchia occasionem hanc captare cœpisset, eoque tam parvo militum numero opportuné, ac strenué uti scivisset. Cœterum, & hoc certum, nihil illi tunc temporis commodius accidere potuisse; deerant enim illi fere omnia, quæ ad bellum gerendum erant necessaria, multoque indigebat tempore ad componendum exercitum, quo hostem non contemnendo exercitu munitum, posset oppugnare; quarum omnium rerum difficultates, uno hoc prælio ita superavit, ut jam illi continuo licuerit armis agere, multaque loca nullis impedientibus recuperare. Non abs re quoque hoc exemplo docebuntur Duces in posterum, nihil exercitui esse periculosius, quam præsente hoste se recipere, dumque receptum quærit, hosti terga dare. Ex conflictu plus mille Giblovium incolumes evasére, cumque, qui in præsidiis oppidi illius erant, alios, atque alios eo concurrere cernerent, numerum aliquem pulveris bombardici extra portam vehi curarunt: unde sibi quisque, quod opus esset sumeret, ac strenue ibi consistens, sese defenderet. Sed cum inordinatè, & confusè eo accurerent milites, funis stupeus cujusdam militis, quo ignis ad usum sclopeti conservari solet, casu in pulverem incidit, plurimosque eorum, qui prope erant miseré consumpsit. *Austriacus* ipsemet eo usque hostem insecutus est. Cœterum in victoria non minus modestum, ac clementem erga victos, quam in bello constantem, ac fortem se exhibuit.

Exemplum pro exercituum ducibus.

XXXIII. *Aurelius de Palermo*, *Camillus de Monte*, & *Nicolaus Basta*, turmarum equitum Præfecti, fortissimé in eo conflictu se gessére. Aderat *Austriaco*, cum ex Bugio itineri se accingeret, *Alexander* Princeps *Parmensis*; sed paulo post dissimulanter inde se subducens, copias *Octavii* procul insecutus, cum planitiem (de quâ supra) attigisset, cerneretque jam paratas concurrere acies, acceptâ loricâ, ac galeâ à quodam nobili, animosé admodum hostem invasit. *Billius* prudenter tertiam, & ultimam partem equitatus seorsim

ſum conjunctam tenuit, donec victoria eſſet certa. Breviter, 1578.
unuſquiſque & manu, & conſilio egregiam Duci ſuo navavit operam. Ille autem jam nil niſi de victoriâ utenda cogitans, nocte conſidens in monaſterio *Argenton*, quod ibi erat ad manus, Giblonium * de deditione admonére juſſit; oppidulum hoc eſt Brabantiæ jurisdictionis, eratque omnino immunitum, ita ut nullatenus contra ullam vim conſervari poſſet: nihilo tamen minus, qui eo confugerant, cum nulla ſcirent eſſe *Auſtriaco* muralia tormenta, rejiciére admonitionem, quaſi fortius intra muros, quam extra pugnare decreviſſent:, in quo conſtantes, ſtetére toto ſequenti die, ita ut cogeretur *Auſtriacus* jubére duos ádvehi ex caſtro Namurcenſi medios, quos vocant, canones, cum apparatu neceſſario, quibus porta quateretur, per quam vi oppidulum capi poſſet, quod cum intellexiſſent, animorum illo ardore refrigerato ad deditionem venére, his conditionibus, ut ad arbitrium victoris biſſeni captivi dederentur, cæteri inermes eo ducerentur, unde ſecuré, quo quiſque vellet, ſe transferre poſſet. Fuére inter illos ſelectos Dominus *de Ballieu*, turmæ cataphractorum equitum Præfectus; frater ejus Dominus *de Curé*, & *Hercules* Ducis Arſchotani frater nothus. Exeuntibus exactiſſimé fides ſervata. Ipſemet *Auſtriacus* aliquanto viæ ſpatio, majoris ſecuritatis cauſâ, nec non generoſa benevolentiâ proſecutus eſt, ut ſic Ordinum, illiſque adhærentium acerbitatem, ſi fieri poſſet, mitigaret: captivi in arce Namurcenſi aſſervati, bini illi etiam medii canones, eorumque apparatus eo revecti. Capta ſunt Giblonii octo ænea tormenta bellica, quatuor medii canones, totidem colubrinæ, quas vocant, quæ non ſunt tantæ violentiæ, ut alia illa, in aperto tamen campo longius feriunt. Habebant hæc tormenta pleniſſimum pro eorum numero apparatum: equos ad ea transferenda, quo eſſet neceſſe, globorum, pulveris bombardici, ac peritorum ſcientiæ bombardicæ hominum, ex illis, qui antea Regi illi muneri inſervierant, bonum ſatis numerum, uti etiam annonam ſatis amplam, viroſque Regi ſervire ſolitos, quibus ea, quæ ad illud munus ſpectabant, curæ erant. Præterea vehicula multa, vehendis

* Gemblacum *Gemblours*.

1578. dis munitionibus, commeatu, aliisque rebus servientia; ita ut, quod non tam cito, nec tam facilé comparare *Austriacus* alioquin potuisset, hoc omnibus illis commoditatibus, atque ministris ad Regia stipendia denuo demissis, tunc paratum ibi invenierit, si non admodum copiosé, attamen eo numero, uti habuerit, quo sine intermissione ulterius cum victore exercitu progredi posset. Multi præterea insignes equi ibi inventi, nonnullaque supellex *Lalainii*, *Ruysbroeckii*, aliorumque, qui cum Bruxellam essent profecti, majorem ibi familiæ partem reliquerant, ita ut nec præda Regii omnino caruerint.

XXXIV. Misit præterea *Gonzagam* cum copiis aliquot Lovanium versus, tentaturus, an ex recenti victoriâ metu consternati, memoresque humanitatis, ac benevolentiæ, quam in se experti erant, cum ibi initio sui ad Belgii gubernationem introitus manserat, Regemque psittaci liberaliter egerat, Regias iterum partes amplecti vellent, in quo eadem, quæ in conflictu fœlicitas apparuit: apparuere * Lovanienses *Gonzagæ* portas, ac statim in fide, ac obedientia Regi debitâ libenter permansére. Cupiebat etiam Mechliniam eodem modo tentare, sed *Auriacus*, celeriter imposito non nullo milite, tauté periculum evitaverat. Misit & *Austriacus* inde ad Regem Dominum *de Billy* per equos celeres (vulgo postam) qui ei victoriam vere nuntiaret, eumque iterato de præsenti rerum statu plenissimé certiorem redderet: Adventabant jam Galli, quos *Comes Mansfeltius* adduci curaverat, quorum postea operâ, post paucam murorum labefactionem, simili dedecore, quo *Gibloyum*, recuperatur *Bovynium*: hostes etiam, qui Bonessi erant, ejecti. *Austriacus* vero cum copiis, quas secum habebat, dictisque commoditatibus adjutus, nulla majori, quam erat necesse interpositâ morâ, Lovanium versus movit, atque inde Vilvordium ipsemet exploratum iit. Sed jam munierat oppidulum *Auraicus*: misit postea Principem *Parmensem*, ut Sichem caperet, quod quamvis nequaquam esset munitum oppidulum, restitit tamen tam obstinaté Præfectus, qui in præsidio erat, ut necesse fuerit murum quatere; sed haud diu post, vi superati, temeritatis pœnas, multâ

Deditio oppidi Lovaniensis.

* *Lege*: aperuére.

multâ militum, ac civium cæde luerunt: Cùm Præfectus 1578.
re perditâ in arcem quandam antiquam, quæ ibi est, cum aliquot militibus se recepisset, belli fortunam ibi etiam experiri voluit: cùmque murus tormentis bellicis quateretur, tandem ad Victoris arbitrium dedere se coacti, ad unum omnes, ad terrorem aliorum, qui in posterum tam temerarié sese gerere auderent, suspensi sunt. Post captam *Sichem*, *Austriacus Diesthium* primum; deinde *Leeuvam*, ac *Tilmontium* deditione in potestatem suam redegit, cumque non superesset, quo in eâ parte ulterius majora tentare posset, præsidio dictis in locis relicto, *Nivellam* profectus est.

XXXV. Adfuére ibi post recuperatum Bovinum Galli, quibus post cinctum exercitu oppidulum, ejus expugnationem commisit. Præerat illi Loco Dominus *de Villers* *, vir fortis, murusque quassatus tribus tormentis muralibus, cumque videretur satis dirutus, bis irruptio tentata, præeunte animosè *Comite Carolo*, sed sine successu; itaque in sequentem diem, necessaria ulterior dilata est oppugnatio. *Villers* cum oppugnantium perseverantiam animadverteret, de deditione agere cœpit. Permissum est ipsi equo insidenti abire, militibus autem sine vexillis, atque inermibus. Galli cito lassi, obque diversam, Galliæque à moribus alienam tractationem, ibi de reditu in Galliam agere cœpére. *Austriacus* etiam, qui ab initio invitus illos admiserat, facilé adducebatur, ut abire sineret. Itaque post debitam stipendiorum solutionem, verbisque, ac muneribus ornati, præcipui, in Galliam reversi sunt.

XXXVI. Erant in exercitu aliquot Germanæ cohortes ex illis veteranis per Ordines expulsis, hi in ipsis castris ausi sunt ad tumultuationem animum vertere, ut sibi solverentur stipendia antiqua. Sed *Austriacus* continuo toto exercitu ad arma disposito, coegit eos sibi tradere seditionis authores, quos cum in procinctu omnes suspendi juberet, tandem precibus, ac intercessione multorum illustrium virorum ibi assistentium, pœna ad unum reducta, ansam ulterioris damni omnino amputavit. *Nivellæ* præfectus Dominus *de Lenkourt*, Lotharingus cum suâ cohorte, binisque aliis; exercitusque inde

* Joannes de Soete, Dominus de Villers.

1578. inde *Binchium* se contulit. Præcesserat *Comes de Reux*, ut ad voluntariam deditionem eos adduceret, quod promptè admisêre: in deditionem etiam venit arx *Havré*, non adeo longé distans a *Binchio*, inque ambobus locis præsidium relictum: *Binchiique* in Præfectum constitutus *Gaona*, Hispanus nobilis, idemque quod *Binchii*, actum *Beaumontii*, quod est Ducis Arschotani oppidum. Attigit ibi exercitum *Alphonsus de Leyna*, Hispanus illustris, vir fortis, ac strenuus, qui cum Neapoli intellexisset, quo in discrimine in Belgio versaretur *Austriacus*, cui erat devotissimus, cohortem unam copiosam ex plurimis præcipuis militibus construxerat, eamque in Belgium duxerat: erat signifer cohortis frater *Sanctus*, militum autem major pars ex illis, qui antea, aut præfecti, aut signiferi fuerant, ita ut nunquam inter Hispanos cohors visa fuerit insignior. *Austriacus*, *Alphonsum*, omnesque, quos adduxerat, recepit multâ cum lætitia, & gratitudinis demonstratione.

XXXVII. Ex *Beaumontio Chimaium* (quod etiam est Ducis Arschotani oppidum) itum.; præerat ibi *Denterius*, qui obstinatè quati binis tormentis oppidulum sivit, quo capto, ad ædes heri, quas satis munitas habebat, se recipiens, tandem se dedidit. Permissum illi equiti abire cum sua suppellectili, ac militibus cum armis, datusque ex equitatu comitatus, ut in itinere nihil illis sinistri accideret. Verum cum jam *Denterius* sese videret securo esse in loco, demisso comitatu, cum per aliquod spatium solus processisset, quidam ex comitatu se subtrahentes illum secreto insecuti, inventum prorsus expoliaverunt. Quod simul atque à Præfecto comitatus intellectum est, continuo advolavit, nulloque ex malefactoribus invento (fugâ enim unusquisque consulerat) *Denterium* quoad potuit consolatum ad *Austriacum* reduxit, uti narraret, quid sibi acciderat, culpamque rei gestæ veritate à se removeret. Sed quamvis *Denterius*, rem uti gesta erat, narrasset, ita tamen Principis offendit animum, ut vix abstinuerit à severa Præfecti punitione, *Denterium* autem verbis, ac liberalitate ita placatum reddidit, reducique curavit, ut abundè sibi de injuriâ satisfactum ipsemet confiteretur, miraretur que Principis inimici nobilem genium, virtutemque.

XXXVIII. Capta *Chimayâ*, *Austriacus Beaumontium* reversus est,

est, postquam paucos dies, inde discedens, *Philippevillam* obsidione cinxit. Jusserat Rex cum in Belgio esset, bellumque cum Gallis gereret, post occupatum à Gallis, timore, aut (ut alii volunt) infidelitatis Præfecti causâ *Marienburgum* (quod ibi prope est) construi illud propugnaculum, ut excursionibus, ulterioribusque in posterum Gallorum invasionibus, in Brabantiam, melius caveretur, suique nominis epitheto ornari jusserat. Situm est immineti * in loco, tantâque arte designatum, ac inceptum, ut si ad perfectionem ductum fuisset, inter præcipua totius Belgii propugnacula, numerari potuisset. Sed quamvis adhuc imperfectum, difficillima tamen erat oppugnatio. At alliciebat ejus animum ad tam magnum opus suscipiendum, quod inermes adhuc essent Ordines, cognitumque haberet, laborare oppidum annonæ, bellicarumque munitionum penuriâ, denique non adeò multos in præsidio esse milites, nec eos omnes à Rege alienos. Præeratque Dominus *de Florines* ex illustri *Glimeyâ* familia, qui quamvis sequeretur partes Ordinum; non ita tamen Regem oderat, quin sperari posset, persuasionibus amicorum, quos multos in *Austriaci* castris habebat, *Hiergium*, aliosque, tandem adduci posse, ut Regi conciliaretur. Videbantur velle se obsessi strenué, ac obstintè defendere, subitoque emisére turmam equitum sclopettariorum unam quam habebant, quæ tubicinem, quam ad Ordines mittebant significatum, quo in statu res essent, deque auxilio brevi submittendo eos sollicitaret, donec extra periculum esset, comitaretur: sed Comes *Meghensis*, cui id secreto innotuerat, idoneò in loco eos expectare constituit, in quem cum hostes incidissent tam malè excepti sunt, ut ad unum omnes cæsi, vel capti fuerint. Dum ibi hæc, atque alia, quæ ad progressum obsidionis spectabant, nuntiatur *Austriaco*, *Barlamontii*, quod est in confinibus Galliæ castrum, Comitis illius nominis, coire complures milites Gallos, Duce *Combelle*, missos à Duce *Andegavensi*, uti partes Ordinum sequantur: cui malo statim occurrendum ratus, misit eò cum aliquot copiis, *Octavium Gonzagam*, qui diligenter, ac cautè properans, omnes illos occidit, cæpit, fugavitque. Cæterùm præter labores, quos 1578.

* *Lege*: eminenti.

1578. quos in obsidione subibat maximos, suâ præsentiâ, in cuniculis agendis, portandisque propriis humeribus lignis ad opus necessariis, industriam etiam in aliis rebus non neglexit, jusso Domino *de Gatte* * noctu appropinquare vallo fossæ, atque inde collocutionem captare cum milite, qui in primâ statione (vulgo *Sentinellâ*) excubabat, quod tantâ dexteritate ac eloquentiâ a *Gatteo* confectum est, ut occurentibus ex obsessis multis, iisque præcipuis, illis persuaserit, uti se permitterent intromitti, brevi cum hoc impetrasset, adjuvante egregie Domino *de Florines* Præfecto, rem duxit, ut tandem cum *Austriaco* de deditione convenerint. Cujus fuit conditio, uti ex quinque cohortibus peditum, quæ ibi erant, quæ vellent, cum armis ad Ordines liberè, & securè se conferrent, illis vero, quæ Regi servire vellent, trium mensium stipendia solverentur, quarum fuére tres, reliquæ discessére. In deditionem venit *Philippevilla* vigesimâ primâ Maji Millesimi quingentesimi septuagesimi octavi mirâ procul dubio fælicitate. Si enim vi illud propugnaculum capiendum fuisset, multum in eo temporis consumi necesse erat, atque etiam tunc incertum, qualis futurus erat eventus. Continuo abundè provisum est securitati loci, novo imposito Præsidio, aliisque rebus necessariis.

XXXIX. Quibus rebus sic constitutis, datâ curâ Principi *Parmensi*, uti cum *Mondragonio*, majoreque exercitus parte Limburgum, ejusdemque Provinciam occupare tentaret, cæteris alibi, ubi convenire videbatur, dispositis. *Austriacus* valetudinis curandæ causâ, quæ ei non erat integra, triduo post, quo consedit in Burgo, quem vocant *Chastelet*, ditionis Leodiensis, qui in itinere erat, vallosque, quos incolæ extruere cœperant, quod haud parum incommodi vicinis Regiis locis minarentur, dirui curasset, Namurcum reversus est, unde ante tres menses discesserat, nihil tum minus cogitans, quam sese tam omnibus rebus ad bellum gerendum necessariis imparatum, tam multas inopinaté urbes, oppidaque, agrumque tam amplum, ac fertilem ad exercitus sui usum recuperaturum.

XL. Erant Bruxellæ, cum res Ordinum propé Namurcum

* De Gatez, qui erat nobilis Burgundio.

cum tam malé successerant, *Matthias*, & *Auraicus*, fuitque tanta omnium consternatio, ut vix quisquam civium extiterit, qui de fugâ non cogitaret. *Matthias* & *Auraicus* Antverpiam se contulére, ubi jam cives demoliti erant interiorem arcis partem, quæ urbem versus spectabat. Ordines præterea, & Tribunal Consilii Status eo profecti sunt, sed cum non instaret *Austriacus*, facile timor in quietem conversus est, summoque deinde studio, ac diligentia, civitatesque quasque munire, ac copias, aliaque omnia ad bellum necessaria, abunde comparare incœpere, ita ut præter magnum peditum Equitumque Belgarum numerum, supra quindecim equitum, multa peditum Germanorum millia, ductoribus *Casimiro Comite Palatino*, *Mauritio* ex Ducibus Saxoniæ, aliisque viris præcipuis suo tempore collegerint. Nec tanto armorum apparatu contenti fuêre, cum enim fama *Giblounensis* conflictus in Galliam perlata, Andegavensem Ducem, ambitiosi admodum, ac inquieti animi, compluribusque ejusdem farinæ hominibus comitatum juvenem, ita commovisset, ut ad eos mitteret, qui eos de suo erga Belgas affectu, atque benevolentia certos redderet, auxiliaque militum offerret; hanc etiam occasionem ita amplexi sunt, ut tandem cum dicto Duce Antverpiæ vigesimâ nonâ Augusti Millesimo, quingentesimo septuagesimo octavo scripto convenerint, ipse Ordinibus subsidio esset cum vicenorum millium peditum, & bis mille equitum exercitu, quem suis sumptibus trium mensium spatio sustentaret, & si diutius bellum protraheretur, tum terna peditum millia, & quingentos equites continuo suppeditaret. Econtra Ordines illum ornarent epitheto *Liberatoris Patriæ*, necnon promitterent, si necessitate compulsi de Dominii mutatione cogitare cogerentur, eum tum aliis omnibus præpositum iri. Dono præterea ipsi dedére Ducatum Luxemburgensem, & Comitatum Burgundiæ, qui adhuc in potestate Regis erant. Promisére denique *Lendrechium*, *Quenoium*, & *Bellovacum*, horum ultimum haud quaquam munitum, nulliusque momenti oppidum, quamobrem facile Gallis, suo tempore traditum. Aliorum incolæ, cum Galli ea sibi dedi vellent, memores odii antiqui, etiamsi tunc amicitiæ specimen præ se ferrent, adjuvantibus, qui fidei Regi debitæ, necdum obliti intus erant, noluére in eo ullo modo Ordinibus obe-

1578.

Tardante Jo. Austriaco Bruxellas obsidere, aufugiunt qui ibi aderant.

 dire-

1578. dire. Brevi nullus eis Belli apparatus erat superfluus, donec obtineri posset, eò omnia sua studia, atque consilia dirigentes, ut *Austriacum* Belgio excedere compellerent. Cæterum res est admiratione digna; tantum Principem, Regis Galliæ fratrem unicum, nec non tunc temporis primum, ac certum Regni Galliæ Hæredem, ac successorem, tam vanis, ac frivolis Ordinum largitionibus, promissisque eo abduci potuisse, ut ipsemet in damnum Regis cognati, optimè de Gallia meriti, in hanc expeditionem venire non erubuerit, suæque famæ publicam jacturam, quæ ex inutili reditu (ut postea accidit) nasci poterat, tam indecorè neglexerit. Unde apparet, nil in rebus humanis tam esse absurdum, atque à ratione alienum, quod nimia ambitio, immoderataque cupiditas, malo nixa consilio, non vincat, ac superet.

Vis ambitionis.

XLI. Comes *Meghensis* ex *Philippevillæ* obsidione, cum Namurcum venisset, disenteria laborans, paucos intra dies è vitâ excessit. Obiit etiam pater ejus * jam senex, ita ut simul ad sepulchrum delati sint, maximo *Austriaci*, omniumque bonorum mœrore: erant enim viri insignes, filiusque haud multæ ætatis, valde fortis ac strenuus, & qui majoris fortitudinis, rerumque gerendarum multa jam tunc indicia demonstrabat.

XLII. *Austriacus* autem, quamvis Namurci lecto decumberet, nulla tamen de re bellicâ consilia intermisit; cognitum enim habebat, quales, & quanti sibi pararentur hostes, verum prudenti, ac maturo judicio considerans, si se etiam superfluis militum copiis (ut Ordines) oneraret, fore necessarium, tantam pecuniæ vim insumi, ut postea alendo militi sumptus, viresque deficerent: idque pro certo habens, Ordines non habere unde tam immensas copias diu sustentarent, nec etiam ignarus, Gallos in similibus expeditionibus haud diu constantes persistere, hisque argumentis judicans, tam vastam molem pondere suo brevi collapsuram, dummodo primi impetus defensivo bellandi modo vani redderentur, quod arte, ac continuâ vigilantiâ fieri posse sperabat; tandem ad id genus belli eâ æstate animum advertit, non

Consilium Jo. Austriaci contra magnum copiarum numerum, quas rebelles confecerant.

* *Carolus*. Comes Barlaimontius. Ipsi Comiti Meghano, nomen *Lancelo tus*.

non tamen tam imbecillibus copiis, quin certo sciret habiturum se, cum ex hibernis militem educeret, castraque poneret, supra duodena millia peditum electissimorum & sena millia equitum, tormentorumque bellicorum, quod satis campestribus expeditionibus esset, quibus cum primis in palestram venire constituit, ut sic commodius, tutiusque, quae ulterius agenda essent, colligeret. Hisque ita decretis, copias, quas variis in locis conscribi curarat, properare jussit. Voluit praeterea antequam Namurco discederet, politicis etiam rebus provideri. 1578.

XLIII. Manserant apud Ordines, eorumque partes insequebantur, tria illa tribunalia, Consilii Status, Privati, ac Financiarum (*Collateraliâ* que vocantur) & quorum erat penes Gubernatorem, tanquam apud Regem, fixè residere. Quod cum Regem non lateret, abrogavit talium, qui jam sui debiti obliti erant, electionem, ad ea munera praeteritis temporibus factam, *Austriacoque* mandavit per *Byllium*, qui ex Hispaniâ rediens, eum, dum esset *Chastelleti*, attigerat: ut tria Tribunalia nova, in aliorum locum ex viris fideiibus sufficeret, ut etiam ad plura alia plenam ei potestatem dederat. Quâ utens, *Hiergium* loco patris Status Consiliarium, Caputque Financiarum, ut vocant, creavit, deditque ei legionem Germanicam, cui praefuerat frater *Comes Meghensis*, nec non turmam equitum cataphractorum, quae patris fuerat; Comitatus insuper Namurcensis Praefecturam. Dominus etiam *de Vaulx* *, Caputque financiarum, ac Status Consiliarius creatus est. Erat paulo ante designatus Financiarum Thesaurarius *Gerardus Sterck*, & *Doverloope* **, qui erat Audienciarius (ut vocant) illud munus datum *Ludovico Verreycken* †; lecti-

Electio novorum tribunalium, in locum eorum, qui rebellibus adhaeserunt.

* Messire Maximilien de Longueval, Chevalier, Sire de Vaulx, Comte de Bucquoy, du Conseil d'Etat, Chef des Finances. *Butkens Suppl. tom.* 1. *p.* 200.

** Mr. Pierre D'Overloop, Sire dudit lieu & de Hammes, Conseiller & Commis. 1578. *Ibid. p.* 202.

† Mr. Louis Verreycken Conseiller d'Etat, premier Secretaire & Audiancier de sa Majesté, Tresorier & Garde des Chartres & Lettrages concernants les affaires d'Estat &c. *Ibid. p.* 169.

1578. lectique noviter, in Financiarum Commissos, *Charreton* *, *Drincquaert* **, & *Petrus Peetersone* † Amsterodamensis, vir optimè de Rege meritus: electus etiam in Financiarum Receptorem *Christophorus Godin*, & in Graphiarium *Antonius de Boet*. Erant ibi Consiliarii quondam Consilii Privati *Assomuilius*, ac *Lodovicus del Rio*, quibus addidit *Hoestium* ††, *Vendivilium* ⸸, & *Bontesoyeum*

§ *Lego*: de l'Espargne. *Ærarii præfectus.*

* Mess. Benoit Charreton, Chevalier, Sire de Chassey, Conseiller & Commis; Tresorier d'Espagne §. 1578. *Ibid. p.* 202.

** Mess. Jean de Drenckwaert Chevalier, Sire de Dormale, Conseiller & Commis; depuis Tresorier General. *Ibid. p.* 198. & 202. *Erat Dordraco-Hollandus, & in illa metropoli scabinus ac prætor; regias partes secutus anno* 1572. *etiam in Consilium Status fuit adlectus. Obiit Bruxellis prosapiæ suæ ac nominis ultimus. V. Van Leeuwen in Bat. Illustr. fol.* 939.

† Prætor Amsterodamensis. *Pieter Pieterssen* vocatur a *Borrio*, & ab *Isaaco Le Long*; quod est idem nomen quod hic expressum. *V. Borrium lib.* 2. *fol.* 64. & 73. *lib.* 10. *fol.* 203. *lib.* 11. *fol.* 287. *Et Isaac Le Long in descript. vernac. opp. Amstelod. p.* 529. & 532.

†† Mess. *Antoine Houst*, Chevalier, Seigneur d'Oistkercke, & Bubingen. Il avoit été Conseiller du Conseil provincial de Luxembourg, & fust pourvu au Conseil Privé par lettres patentes de l' 11. Octobre 1578. Il eust de sa femme une fille unique Dame *Helene*, mariée a *Maximiliain de Viron*, Seigneur de Ruckelinge, Conseiller au Conseil de Brabant, & deceda en 1605. le 12. d'Aoust. ætat. 64. Il a été en Ambassade vers l'Empereur & autres Potentats. Son corps fut ensepulturé au Cheur de l'Eglise de S. Jacques a Couberch a Bruxelles avec epitaphe. Dame *Marguerite Mondrich* sa compagne, trespassa le 18. Mars 1620. *Tomb. des hom. illustr. du Conseil Privé. pag.* 44. *Butkens p.* 176.

⸸ Messire *Jean de Vendeville*. Il nasquit a Lille en l'an 1527. Fust Docteur és Droits, Professeur a Louvain, & par apres premier Professeur a l'erection de l'Université de Douay. Le Roy Philippe II. l'admit au Conseil Privé par patentes du 7. Juillet 1578. Et apres avoir esté 25. ans marié avec *D. Anne Roelofs*, dont il eust une seule fille *Marie de Vendeville*, mariée à *Leonard de Bocxhorn*, Seigneur de Lovenjoul, Herent, Ophem &c. Fils de *Hector* & de *D. Barbe Van der Straeten*, il se rendit d'Eglise: en quel estat il reuissit si bien, qu'il fut denommé Evesque de Tournay le 24. Juillet de l'an 1587. & fust

foyeum *: aderant etiam ex antiquis Brabantiæ Consiliariis *Desiderius Sestus* **, & *del Rio* † quibus junxit *Batzovium* ††, ac *Veuſels*; declaratusque *Desiderius* pro Primario, aut Vicemgerente Cancellarii, ut sic Regimini publico, consueto more plene provideretur. Carolomontium præterea, quod ob mortem *Comitis Meghensis* Præfecto carebat, *Hautepennio*, *Hiergii* fratri, gubernandum tradidit. 1578.

XLIV. Utens denique supradictus a Rege potestate sibi datâ, edictum promulgavit, quo omnes, & quoscumque exhortabatur, quàm amicissimè potuit, ut ad Regi naturali suo debitam obedientiam, quo jure tenebantur, redirent, omnibusque, nemine excepto, veniam, & oblivionem omnium præteritorum, ac restitutionem honorum, bonorum, Privilegiorum, aliarumque omnium immunitatum, quibus antiquitus

fust sacré au Cheur de l'Eglise de S. Martin le 12. Mai 1518. § par Messire *Louys de Barlaymont*, Archevesque de Cambray. Finalement il mourut a Tournay le 15. Octobre 1592. §§ a l'age de 69. ans, & fust enterré le lendemain au Cheur de l'Eglise Cathedrale devant la Chaire Episcopale. *Tomb. des hom. illustr. p.* 40.

§ *Lege*: 1588.

§§ *Si hoc anno obiit, quem statuunt omnes; & si annos 69. vixit, restat, ut natus sit, non anno* 1527. *sed an.* 1523.

* Quod monstrum nominis! Hispanus antigrapharius nescivit voces Belgicas articulatim legere, & longè minus describere. Vir hic, quem indicatum vult est *Hugo Bousechout* apud *Buskens & Tomb. des hom. illustr.* De quo quod adferam non habeo, cum nudum ejus nomen occurrat. In Consilium adlectus fuit 6. Augusti 1578.

** *Lege*: Desiderius Sexagius, sive, t'Sestigh. De quo scire si cupis, quære in *Indice rerum* ad Epistolas Viglii ad Hopperum.

† *Huic erat nomen*: Martinus Antonius.

†† *Imò* Batzonium. Inter Edicta Brabantiæ invenitur *tom.* 1. *pag.* 255. Decretum *Joannis Austriaci* datum in Abbatia Lintrensi juxta Thenas die 10. Julii 1578. quo omnis auctoritas Consilii Brabantini quod Bruxellis remanserat, revocatur & annullatur; & aliud instituitur Consilium Lovanii, cujus primus Consiliarius constituitur *Desiderius Sexagius*, secundus *Martinus Antonius Del-Rio*: novi porro deliguntur *Philippus Veuſels*, Jurium Doctor, *Guilielmus van Condriaffiba*, & *Gregorius Ayala* Licentiati: ac *Goswinus Batzon* adjungitur uti Advocatus ac patronus Fisci. Porro *Batzonius* erat Antverpiensis, & obiit circa an. 1600. *Philippus Veuſels* erat Bruxellensis, & vita functus est anno 1592.

1578. quitus usi fuissent, liberaliter elargitus est: ita ut nihil intentatum reliquerit, quod Belgis aliquo modo prodesse posset, ne quisquam ei in posterum, quod frigidè, ac negligenter, quæ ad pacem spectabant, tractasset, exprobrare posset. Cæterum id edictum, tam parvi æstimatum est, ut nullus alicujus momenti exstiterit, qui *Austriaci* sanas admonitiones, ac beneficia oblata amplexus sit. Nam quod ad Dominum *de la Motte* attinet, qui post *Austriaci* in arcem Namurcensem recessum, partes quoque Ordinum erat secutus, cito tamen; prudenterque errorem agnoscens, jam pridem per *Hieronymum Curiel* Parisiis agentem Legatum Regium, Regi se conciliarat, quam ob causam liberaliter ab eo donatus est Commenda (ut vocant) *Stepæ*, Ordinis *Divi Jacobi de la Espada*, valoris quatuor millium ducatorum annuè.

XLV. Aderat jam mensis Julius, Princepsque *Parmensis* cum *Mondragonio* tam fortiter *Limburgum* obsederat, ut post aliquantam murorum ruinam, coactum fuerit sese dedere, uti ita postea sese dedere *Dalem*, *Fauquemontium*, atque aliæ, quæ in Provinciâ erant Arces, dataque *Mondragonio* ob navatam eâ in expeditione, aliisque pluribus in locis egregiam operam, totius Limburgensis Provinciæ Præfecturâ. Aliunde etiam variæ undique adventabant copiæ, quamobrem *Austriacus* non amplius cunctandum ratus, *Parmensi* injunxit, ut relicto in locis, quæ acquisierat sufficiente præsidio, cum reliquis copiis ad se reverteretur. Ipse autem sanitati restitutus, Namurco satis communito egressus, tandem ad Monasterium *Linter* * prope Tilmontium contendit, ibique castrametatus est. Quo in loco exactè perpendens, ac considerans, cùm solâ in eo bello defensione uti decrevisset, quid de iis civitatibus, quas in eâ Provinciâ jam pridem recuperarat, sibi agendum esset, quæ tam infirmæ erant, ut necesse esset, in hostium potestatem venire, quotiescumque eas obsidére vellent, quas aliqui deserendas putabant, eo, quod ob infirmitatem cum Regius exercitus superior esset, facile ex hostium potestate eripi possent; quæ si conserventur, magnam notabili diminutione partem exercitus erant ab-

* Monialium Ordinis Cisterciensis cœnobium est, quod cognominatur *Maegdendael*, id est, *Vallis Virginum*.

absorpturæ, in eam sententiam ivit, ut *Lovànium*, & *Leeuva* conservarentur. 1578.

XLVI. Est ex maximis Belgii civitatibus *Lovanium*, quod vacuum valde, & haud quaquam munitum, copioso tamen ibi posito præsidio, id ipsum, quod tam vastum esset promittere videbatur, hostem etiam ab ejusdem oppugnatione destiturum. Vocato itaque ad se *Chevranio* *, curam ejus civitatis defendendæ ei proposuit his conditionibus: darentur sena millia Peditum, mille equites, annonæ, pulverisque bombardici, quod satis esset sex hebdomadum spatio; si infra illud tempus ob hostium obsidionem auxilio suo indigeret, nullatenus ei abfuturum. *Cheuranius* lubens eam provinciam accepit, pollicitusque est, se aut moriturum, aut toto illo tempore civitatem conservaturum. Missa itaque continuo totius fere exercitus plaustra, ac vehicula ad Dominum *de Naves*, qui Namurci erat, ut triticum Lovanium vectari curaret, quod cum bis eò esset importatum, multaque insuper frumenti seges, circa oppidum jam matura ex agris deferretur, similiterque de pabulo ad usum equorum esset provisum, brevissimo temporis spatio civitas munita est, valoreque, & vigilantia Præfecti certo conservari posse credebatur. *Leeuva* parvulum erat oppidum, sed naturâ satis munitum. Ad hujus defensionem elegit *Joannem Baptistam del Monte*, qui libenter id muneris suscipere excusasset, sed persistente *Austriaco* in suo proposito, eodem modo, quo *Cheuranius* oppidulo providit, sufficientique præsidio imposito, tuendi ejus curam in se suscepit. Diestam quod non adeo magni videretur esse momenti, jam jussi erant deserere milites, qui ibi erant: sed reclamantibus Civibus, *Anthonio* etiam *Tassio*, qui ibi eousque sub *Joanne Baptista del Monte*, cum binis suis cohortibus Italis egerat, promittente se civitatem conservaturum, illum ibi cum præsidio reliquit. Tilmontium, Sichemium, Arschotium, & Gidonium, cum nullius essent momenti sine præsidio relicta.

XLVII. Cæterum cum impositione dictorum præsidiorum, dimnuitus esset exercitus, jusserat de integro quam celerrimè conscribi terna millia Germanorum Equitum, destinatis mille quin-

* *Is est:* Baro de Chevreau.

1578. quingentis *Francisco* ex Ducibus *Saxoniæ*, antiquo Regis stipendiario; mille Domino *de Barlaimont*, cæterisque Domino *de Billy*, Injunxerat etiam *Polverylerio* * curam conscribendi novam legionem quatuor millium peditum Germanorum, ut si necesse aliquando esset, Lovanio, cæteræque illi regioni subvenire, haberet, non tantummodo consuetum exercitus sui numerum expletum, sed etiam quoad equitatum longe majorem; & quando jam hostibus alibi occupatis, Lovanium, cæteraque oppida sua, ope, atque auxilio non indigerent, ipse tum hisce recentibus copiis, paratior esset hosti nocére, ubi continuis æstivi belli laboribus defatigatus, domum, atque discessum in hyberna cogitare incœperat. Elegerat præterea *Bougium* (quod est pagus propinquus Namurco) quo se, uti tempus posceret, reciperet, atque inde tamquam ex speculo, quid hostes jam cum tota exercitus mole agere, atque tentare in animo haberent, explorare posset, utque sibi securè omnino manere liceret, miserat *Gabrielem Cerulonium* Mediolanensem, virum Illustrem, ac fortissimum, longoque militiæ usu insignem, qui Bougium, pro ut necessitas postulabat, vallo, fossisque muniret. Quibus rebus sic constitutis in præsentia in d. castris consedit.

XLVIII. Advenerat jam dudum ex Hispania Dominus *de Selles* ** ex illustri S^{tæ} Aldegundæ familia Regis Dapifer, Archerumque, quos vocant, militum custodiæ corporis Vicepræfectus, missus a Rege ad *Austriacum*, & Ordines, pacis conficiendæ causâ. Cupiebat enim Rex, si aliquo modo fieri posset, per pacem potius, quam armis Provincias illas pacatas reddere. Miserant etiam ad ambas partes eundem in finem Imperator *Comitem de Schwartzenbergh* † Rex Galliæ Dominum *de Bellievre*, & Regina Angliæ *Baronem de Coban* †† & *Valsingenium*. ‡ *Cellius* ultro citroque sæpius iit, rediit-

* *Nomen propriè est*: Polwyler.

** Jean de Noircarmes, Seigneur de Selles, Lieutenant des Archers.

† Otho Henricus Comes de Schwartzenburch legatus Cæsaris.

†† De Cobham.

‡ Franciscus Walsingham Consiliarius Privati Consilii Reginæ Angliæ.

rediitque, eaque de re cum *Austriaco*, & Ordinibus egit. 1578.
Legati etiam utrique parti persuadere conati sunt, ut invicem reconciliarentur. Tandem & conventus eâ de re Lovanii habiti, præsentibus Domino Comite, Domino Barone, & *Valsingien*, & *Selio*, ad quos Delegati comparuére ex parte *Austriaci* Dominus *de Voltaux*, *Joannes Baptista Tassius*, *Funckius*, & *Vambesius* * insignis Juris utriusque Doctor Lovaniensis: & ex parte Ordinum Dominus . . . . *Albertus Leoninus*, ac Advocatus . . . . *Medekercque*. Sed quamvis sæpius ibi coram egissent, inutile tamen extitit colloquium, reque infectâ tandem discessum est. Firmè perseverabat *Austriacus* in Religionis Catholicæ integra atque absolutâ conservatione, nec non debitâ Regi obedientia.

XLIX. Ordines non minus omnium rerum administrationem ad suum nutum, atque arbitrium, in omnibus dirigi constanter, obstinatèque volebant, ita ut impossibile videretur, inter animos tam adversos, atque ex diametro inter se pugnantes, aliquam concordiæ, pacisque formam componi posse.

Juramentum ad quod præstandum rebelles variis fraudibus cogebant.

Erat jam antea mense Aprili, publicatum Antverpiæ Edictum novum super observatione Pacificationis Gandensis, addito juramento, quod cogerentur præstare omnes Civitatum incolæ, cujuscumque gradus, ac conditionis, hostiumque loco haberentur qui hoc negarent, cujus juramenti conditiones fuère, quæ sequuntur.

„ L. Reciperetur unanimiter ab omnibus in Gubernatorem generalem *Matthias*, in ejusque locum tenentem Princeps *Auraicus*, atque etiam in Gubernatorem Brabantiæ, Hollandiæ, ac Zelandiæ.

„ Confirmaretur Pax confecta Gandavi, ac speciatim Unio, nec non amicitia, contracta cum hæreticis Hollandiæ, Zelandiæ, & aliis.

„ Astringerent se, suaque bona, ad expellendum e Belgio *Austriacum*, eique adhærentes, ut omnino quietè in Belgio manère posset *Matthias*, & *Auraicus*.

„ Mutua, ac generalis omnium esset obligatio omnino agere, ut nec Catholicus Hæretico, nec Hæreticus Catholico quicquam exprobraret, sed viverent omnes uti „ uni-

* *Lege*: Wamesius (Joannes) de quo alibi.

1578. „ unicuique placeret, atque abolerentur omnia edicta, quæ „ quondam Imperator *Carolus quintus*, super Hæresi, Reli- „ gioneque Catholicâ publicare jusserat."

LI. Data curâ hujus Jurisjurandi exequendi bonis viris laicis, unique Abbati. Noluére obedire huic edicto Jesuitæ, quam ob causam quietè civitate exire jussi. Atque etiam ob eandem denegationem, Guardianus, quem vocant Franciscanorum cum tredecim suis Monachis. Usi denique sunt erga monasteria, aliaque loca, ubi credebant quosdam fore, qui jurare nollent, sequenti modo. Cogebant nimis * in suam quemque cellulam se recipere, accersebant deinde Monachum quem magis timidum, aut ignorantem esse putabant, eique ostenso juramento, in illius verbo Priorem jam jurasse affirmabant, atque ita vicissim cum reliquis actitatum, donec tandem omnes eo adducerent. Quodque tum Antverpiæ, in multis aliis etiam civitatibus actum. Nec defuère, qui tantâ libertate adeptâ, statim eo complures ministros hæreticos ex Genevâ, Angliâ & Germaniâ venire curarunt, ut dogmata, doctrinamque suam, in quascumque possent partes earum Regionum inferrent.

LII. Mense vero subsequente Julii, hæreticorum Antverpiensium nomine, libellus supplex *Matthiæ*, Tribunalique Consilii Status oblatus est, quo sibi petebant dari templa ad suæ Religionis exercitia, quod quamvis videretur oppido quam invitè fieri, datum tamen templum arcis, quod *Moabitarum* vocant in derisionem Hispanorum. Jesuitarum templum medium partiti sunt, nec non Franciscanorum; concessum præterea templum Dominicanorum, quodque Divo *Andreæ* sacrum. Quod cum postea quoque peterent complures aliæ civitates, tandem ad universalem Religionis Pacem (quod Interim vocant) ventum est, qua de re promulgati sunt articuli subsequentes.

Articuli pro libertate conscientiarum a rebellibus publicati.

„ LIII. Ignoscerentur ac oblivioni traderentur, tanquam si „ nunquam fuissent injuriæ, damnaque omnia facta post pacis „ Gandavensis publicationem, ita ut nemo eâ de causâ vel „ accusari, vel juridicè, aut quovis alio modo vexari posset, „ nullaque de eo unquam fieret mentio, aut inquisitio, & „ qui

* *Puto legendum:* minis.

„ qui hoc violasset, puniretur tanquam infractor, ac perturbator pacis, ac quietis publicæ. 1578.

„ Respectu Religionis, quæ armis conservari, introduci, „ nec supprimi potest, numquam oriatur quærela, ac dissentio.

„ Et statuitur, quod unusquisque, cujuscumque sit Religionis liberè agat, quod velit, vivatque, ut Deo probari velit, „ quod sive Ecclesiasticus sit, sive laicus, utatur sua Religione pacificè, ac quietè, inserviendo Deo secundum intellectum, „ quem ab eo accepit, utque in die judicii putaverit sibi „ profuturum, saltem donec per consilium generale, aut „ Provinciale, auditis liberè partibus, aliter fuerit statutum.

„ Libertas ista Religionis utrimque benè ordinata, muniatur conditionibus bonis, ac accommodatis ad uniuscujusque „ securitatem, & quietem: statuitur etiam, ut instauretur „ Religio Catholica Romana in civitatibus Hollandiæ, & „ Zellandiæ, cæterisque omnibus Belgii Provinciis, ubi nunc „ est exclusa, utque ibi quietè, ac libere citra omnem molestiam exerceri queat, & ab iis, qui hoc petierunt. Dummodo non sint in unâ civitate, aut pago, infra centum „ ejus Religionis, qui aut semper, aut saltem per totum annum ibi egerint, majorque eorum pars, nominatim declaretur. Quod etiam de Religione Reformata in omnibus „ civitatibus Belgicis parique numero inhabitantium intelligendum est.

„ Debebunt nihilominus utriusque Religionis respectivè „ omnes consulere Magistratum, qui tenebitur dare illis „ statim locum ad id idoneum Catholicis scilicet in Hollandiâ, ac Zelandia, Ecclesias, aut sacella, quæ invenerunt „ ad id idonea, aut si non inveniantur loca illa, ubi aliquano „ exstiterint, possint reædificare nova.

„ In cæteris vero Provinciis eligantur ad id loca idonea, „ distantia, si fieri poterit ab Ecclesiis Catholicis, ut ex nimia propinquitate non oriantur rixæ, & dissentiones, prout sæpenumero solet accidere.

„ Licebit in dictis locis unicuique secundum usum suum „ respectivè uti, interesse, celebrare divinum officium, sermones, rogationes, psallere, baptizare, celebrare cœnam, „ sepelire defunctos, matrimonia contrahere, scholas aperire,

1578. „ rire, aliaque omnia agere, quæ propria fuerint cuique „ Religioni.

„ Cæterum ubi liberum Religionis exercitium non erit, „ nulla ibi quisquam respectu Religionis, de iis, quæ egerit „ in domo suâ, afficietur molestiâ, ac vexatione.

„ Jubemus expresse sub pœnis supra dictis, utriusque Re- „ ligionis omnibus, cujuscumque qualitatis, aut conditionis „ fuerint, ne invicem conturbent, aut vexent verbo, vel „ opere in exercitio suæ Religionis, quæ ab eâ dependent, „ respectivè, neque se offendant, vel scandalisent.

„ Abstinebit unusquisque adire locum, ubi alia, quam sua „ Religio exercebitur, nisi velit hoc facere sine scandalo, „ geretque se secundum statuta, & usus Ecclesiarum, vel „ templorum cum ibi fuerit, idque sub iisdem pœnis: omnes „ Monachi, Religiosi, aliique Ecclesiastici potientur suis bo- „ nis, decimis, aliisque juribus liberè, & absque ullâ con- „ tradictione, aut molestiâ.

„ Id vero citra præjudicium Provinciarum Hollandiæ, & „ Zelandiæ, ubi respectu bonorum ad Ecclesiasticos per- „ tinentium, observabitur Articulus vigesimus primus pa- „ cis Gandavensis, donec Ordines generales aliter statuerint.

„ Jubemus ne cantentur, vel publicé venales circumfe- „ rantur cantilenæ compositæ ex injuriis vel contumeliis, nec „ talia carmina, libelli, aut scripta famosa, neve impriman- „ tur, aut vendantur ex quavis parte, ut sic irritationibus „ melius caveatur.

„ Inhibemus omnibus Ministris, aliisque, qui aut docent, „ aut concionantur, cujuscumque sint Religionis, nihil pro- „ ferant, quod seditiones, vel tumultus sapiat.

„ Sed se gerant modestè, & honesté nihil aliud docendo, „ quam quod auditoribus instructioni esse possit, sub pœnis „ ut supra.

„ Inhibetur sub iisdem pœnis omnibus militibus, cujus- „ cumque Religionis sint, ne utantur signo aliquo, per quod „ alter alterum incitare, aut irritare possit ad rixas, ac „ dissentiones.

„ Reformatæ Religionis omnes in Hollandiâ, Zelandiâ, „ aliisque locis, tenebuntur observare formam, ac ritus Ec-

„ clesiæ

„ clesiæ Catholicæ in contractis, aut contrahendis Matri- 1578.
„ moniis, quantum ad gradus attinet consanguinitatis, aut
„ affinitatis: attamen de Matrimoniis contractis in tertio,
„ aut quarto gradu, nemo dictæ reformatæ Religionis mo-
„ lestabitur, nec dubitabitur de soliditate talis Matrimonii,
„ uti nec privabuntur successionibus filii ex talibus Matri-
„ moniis procreati, aut adhuc procreandi.

„ Affinitas spiritualis non impediet Matrimonium.

Nulla fiet distinctio, aut differentia respectu Religionis in
„ receptu Scholarium, infirmorum, vel pauperum in Uni-
„ versitatibus, Hospitalibus, leprosorum domibus, elemoysi-
„ nis publicis, aut aliter.

„ Tenebuntur Reformatæ Religionis omnes extra Hollan-
„ diam & Zelandiam colere dies feriales Ecclesiæ Catholi-
„ cæ Romanæ, nempe Dominicam nativitatis Apostolorum,
„ Annunciationis Divæ Virginis, Assumptionis, Purificatio-
„ nis, Diemque Sanctissimi Sacramenti: neque illis licebit
„ in dictis diebus operari, vendere, nec habere ad vendi-
„ tionem dedicata loca.

„ Claudetur macellum diebus ab esu carnium per Eccle-
„ siam Catholicam exclusis, geretque se debite unusquisque
„ secundum consuetudinem loci.

„ Ut melius vivant harum regionum incolæ utriusque Re-
„ ligionis, declaramus fore capaces omnes, dummodo sint
„ idonei, ad habenda, aut exercenda omnia munera, sive
„ Justitiæ, sive alia.

„ Verumtamen, qui sunt Reformatæ Religionis non tene-
„ buntur aliud præstare jusjurandum, quam quod bene, &
„ fideliter se gerent in suis muneribus, quodque insequentur
„ constitutiones de iis rebus publicatas.

„ Et cum sit administratio justitiæ ex præcipuis mediis,
„ quibus possit inter incolas conservari pax, & concordia,
„ eaque ob diversitatem Religionum, aliisque de causis mul-
„ tis in, locis sit suppressa, magna innocentium, eorumque,
„ qui jus appetunt, oppressione, ac injuriâ: hanc ob causam,
„ & ut occurratur calumniis, quarum nunc temporis frequens
„ est usus, edicitur sub dictis pœnis Magistratibus, judici-
„ bus, nec non personis privatis, ne posthac quemque
„ comprehendant, nisi observato ex tribus consuetis modis

1578. „ uno, nempe aut in fragranti delicto, aut ex mandato ju„ dicis, aut ubi fuerit præsens.

„ Et qui ita comprehensi fuerint tradentur continuo judici „ suo competenti, ut de re ipsâ habitâ inquisitione, admini„ stretur justitia secundum jus, & æquum.

„ Denique ut melius expellantur e Republicâ malæ inten„ tiones, ac voluntates, permittitur unicuique, quamvis „ nihil illi intersit, accusare, quem voluerit, dummodo fiat „ (debitâ premissa informatione) ante judicem competentem, „ qui tenebitur infra dies octo, aut citius secundum consue„ tudinem loci, vocare ad se reum, diligenterque agere de „ ejus condemnatione, vel absolutione secundum jus & æ„ quum: interim non licebit calumniari, nec facilè absque „ fundamento accusare aliquem, nec cujusquam lædere fa„ mam, & opinionem sub dictis pœnis.

„ Quantum attinet ad executiones, sive civiles, sive cri„ minales, ut omnibus debitè satisfiat: Statuitur, quod in„ posterum omnia Tribunalia, Magistratus, aliave munera, „ atque officia in Civitatibus, Chastelleniis, Pagis, & Do„ miniis harum Regionum creabuntur ex viris præcipuis, & „ amatoribus Patriæ, nullâ habitâ Religionis ratione.

„ Isti vero sic creati, nihil aliud tractabunt, unusquisque „ ubi fuerit respective, quam de Justitia, Politia, bonoque „ regimine, neminique licebit hos ita constitutos ullâ in re „ impedire, molestiâ afficere, muneribusque eorum se immiscére.

„ Et quoniam jam pridem creati sunt novi Magistratus, „ abdicabuntur illi, qui Octodecim vocantur, & alii, qui „ utuntur simili authoritate, sive excedant, sive non attingant „ illum numerum: ediciturque talibus, ne posthac rebus „ publicis, munitionibus, nec custodiis civitatum, se immis„ ceant, nisi ad hoc a Magistratu specialiter fuerint electi, „ & deputati: neque poterunt rem alicujus momenti admi„ nistrare, nisi prius habita cum Magistratibus communica„ tione, habitoque super eo expresso eorundem mandato, „ sub præmissis pœnis.

„ Et ut edictum hoc nostrum exactius observetur, debe„ bunt Commissarii, aliique deputati, quorum est authori„ tate publicâ creare Magistratum, eligere quatuor probos, „ dignosque viros, qui cum necesse fuerit, scrutentur an

„ aliqua

„ aliqua istius edicti pars infringitur, & informationem super 1578.
„ eo habitam, saltem a tribus eorum subscriptam, consignabunt Magistratui, qui visâ illâ curabit agi contra delinquentes, executione pœnarum quæ supra.

„ Prædicti tamen quatuor viri non manebunt in illo munere ultra unum annum, in eorumque locum à Magistratu tunc constituentur alii.

„ Denique cum ex inobedientia quarumdam Civitatum harum regionum, oriantur magnæ diffidentiæ, indeque contigerit, retardari libertatem Religionis, nihilque securi statui queat, nisi instaurata obedientia, edicitur, ac Decreto statuitur, quod omnes Magistratus, aliique cujuscumque ordinis, & conditionis sint, tenebuntur obedire, & satisfacere edictis, ac constitutionibus Archiducis Gubernatoris, & Præfecti generalis, Ordinumque generalium, in conscribendo, alendo, ad stipendia admittendo, abdicando milite, præsidiisque constituendis, colligendis, ac dispensandis pecuniis, ac generaliter in omnibus, que statum Gubernatoris, ac Præfecti generalis concernunt.

„ Captivi cujuscumque gradus, & conditionis, & quocumque in loco detineantur, sine omni exceptione sistentur statim judicio ante Judices suos ordinarios, & nisi hoc fiat, relaxabuntur sub talibus conditionibus, & cautionibus, uti expedire videbitur ad quietem publicam, ac uniuscujusque securitatem, & qui contra fecerint, derelinquentur, tamquam hostes, & perturbatores quietis publicæ, bonaque eorum applicabuntur publicæ necessitati, citra præjudicium creditorum.

„ Si tamen aliquæ fuerint causæ, tam rationi consentaneæ, quæque aliquo modo dilationem patiantur, & quarum respectu merito debeat supersederi, in dictorum edictorum, vel constitutionum executione, licebit hoc facere, donec super eo scriptis, quid fieri debeat modestè indicato, aliter fuerit decretum.

„ Id vero, quod secundo fuerit sancitum, quam primum executioni tradetur citra omnem contradictionem. Hæc tamen omnia sine præjudicio privilegiorum, usuumque antiquorum dictarum Provinciarum, quæ quique, nullâ habita dictorum edictorum ratione, manebunt in suo vigore, cum

 „ nulla

1578. „ nulla ſit mentis noſtræ ſententia aliquid dictis privilegiis „ per hæc edicta derogare.

„ Reſervant ſibi Archidux Ordineſque generales, interpre„ tationes, dimunitionem, vel augmentationem dictorum „ edictorum, earumdemque partium, prout ſaluti, & quieti „ Patriæ inpoſterum expedire videbitur.

„ Cæterum ad plenam confirmationem, & ſecuritatem „ eorum, quæ ſup. ex certâ ſcientiâ, liberâque voluntate „ comprehendi voluêre, alti, ac potentes Principes, qui „ tanquam cautionarii, ac fidejuſſores fidelitatis utriuſque „ partis, plenæque executionis eorum, quæ dicta ſunt, jure„ jurando, & fide Principis promiſêre, ſub ſigillo Religio„ nis in fonte Baptiſmatis accepto, ſe defenſuros, inde„ mnaturos, ac reſtitui curaturos, utrimque omnes, quibus in„ poſterum ob prædicta non integré obſervata, in damnum, „ ac detrimentum aliquod incidere contigerit.

„ Quodque protegent ſpeciatim, ſi fieri poterit Prælatos, „ alioſque Eccleſiaſticos, ut nulla illis inferatur moleſtia, in „ perſonis, exercitioque Religionis, quam profitentur, nec* „ pacifica poſſeſſione, uſuque omnium ſuarum facultatum, „ decimarum aliorumque bonorum.

„ Actum per Conſilium Status Ordineſque Belgii generales „ Antverpiæ congregatos, duodecimâ Julii, anno milleſimo „ quingenteſimo ſeptuageſimo octavo. "

Cujus edicti publicatione plures Civitates libertatem Religionis amplexæ ſunt.

LIV. Eſt Gandavum haud dubié totius Belgii civitas maxima, tantoque olim abundavit populo, ut fama ſit, centum millia virorum armatorum ibi potuiſſe in unum cogi, quibus colligendis ſerviebant illo ævo bina vexilla, quæ *eſtandartos* † vocabant, alterum majus, alterum minus: erecto majore, coibat numerus ille immenſus, altero quadraginta tantum millia. Hæc de potentiâ illius urbis antiqua fama. Attamen hoc certum eſt, magnam ſemper extitiſſe. Habuere præterea & hoc antiquitus, ſeu ex nimia opulentiâ, quæ plerumque mortalium animos ad laſciviam, ac petulantiam

* *Supple*: priventur, *aut quid ſimile*.

† Standaerts.

tiam excitat, sive naturali quodam ad levitatem, atque audaciam instinctu, ut facile semper inclinarint, atque etiam eruperint in seditiones, quarum in hâc occasione libertatis erga Religionem non obliti, multa Catholicorum templa profanarunt, inque religionem avitam imprudenter, ac crudeliter grassati sunt, usque adeo, ut in illius civitatis gubernatione, nullum jus, quam quod ipsi suâ authoritate constituissent, admitterent, penesque solos se per Flandriam belli pacisque leges stare profiterentur. Itaque educto copioso civium numero, suâ in Provinciâ passim in Ecclesias debachati sunt, *Insulasque* *, usque ausi excurrere. Occuparunt præterea Ypras, quæ est aliud Flandriæ non ignobile oppidum. Brevi, tandem in tantam insolentiam proruperunt, ut quidquid animo concepissent, hoc etiam posse sibi præsumerent. Solebant magnâ ex parte authores esse hujusmodi motuum, præcipui aliquot ex nobilibus, aliisve civibus, quibus cum semel contigisset, authoritate, ac garrulitate, populum ad arma excire, exinde omnia ad suum nutum, arbitriumque dirigebant, populumque, quo vellent inducebant. Ex his quondam *Arteveldus* (ut Flandricis annalibus proditum) hoc vero nostra (de qua agitur) tempestate, extitére præcipui *Embisius* †, ex *Betsia* antiquâ familiâ, & *Ribovius* quorum casus, atque exitus non indignus, ut ad exemplum posteritatis proponendum, aliquanto prolixius scriptis mandetur. 1578.

LV. *Embisius* post adeptam, diuque exercitatam eâ in civitate supremam potestatem, ea per *Ribovium* dejectus, in exilium relegatus est, ibique tribus annis latitans, postea per factionis suæ homines revocatus, ejecto *Ribovio*, denuo Gandavi triumphavit, ac tandem cum *Dux Parmensis* anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, maximo labore, ac singulari fortitudine, pontem in Schaldi prope Calloum ad Antverpiæ obsidionem construere statuisset, ac Dermundam ‡ post multam murorum labefactionem ad deditionem coegisset, Gandavique ob id trepidari cœptum esset, *Riboviusque* eo rursus revertisset, eo ventum est, ut *Embisius* accusatus, quod

* Oppidum Insulense. *Lille.*
† *Joncbeere Jan van Hembyze, Voorschepens.* Bor. lib. 13. f. 72.
‡ Teneramundam.

1578. quod cum *Parmensi* aliquid secreto moliretur, comprehensus, capiteque publicè truncatus sit. *Ribovius* vero, cum civitas tandem *Parmensi* se reconciliasset, fugiens, aut postea miserè vitam degens, mortuus est, aut si adhuc, dum hæc scribuntur, vivit, ægre vitam sustentat. Mirum profectò hoc exemplo, quanta in rebus humanis solet esse vicissitudo, idque non incertum hujusmodi simultates, ac seditiones, quamvis extrinsecam fælicitatem aliquamdiu præ se ferre videantur, tandem tamen authoribus suis exitio potius, quam beneficio esse.

LVI. Comes *Bossuius*, quem *Matthias*, *Auraicus*, Ordinesque ea ætate in supremum sui exercitus Præfectum elegerant *Reymenam* profectus est, (qui est pagus situs inter Mechliniam, & Lovanium ad ripam fluminis Delii (vulgo *Deyle*) qui Lovanio per Mechliniam defluit) cum *Austriacus* in castris prope Tilmontium consideret, ibi omnem Ordinum exercitum collecturus: cumque sciret non longe abesse *Austriacum*, prudenter vallo castra munivit, dispositis in ipso aditu, decem & quatuor tormentis bellicis, ut sic ab invasione ounino esset tutus. *Austriacus* vero de dicta per *Bossuium* exercitus collectione certior factus, vehementer expetebat id prælio impedire, antequam omnes copiæ conjungerentur: videbatur enim, si id accidere potuisset, hoc uno res regias periculum tam varii, ac copiosi exercitus, facile evasuras, cum præcipua illâ parte exercitus superatâ, reliquæ Ordinum copiæ, ad tantam diminutionem, timoremque exemplo recenti pervenirent, ut quas ipse habebat, in aperto alere campo, iisque prout occasiones permitterent, securè uti liceret. Quamobrem haud semel missi, qui situm loci, vallorumque constructionem exactè explorant; super re tam ardua sæpius consultatum. Placebat omnibus maxima illa utilitas, qualis procul dubio futura erat, si fælicem pugna haberet exitum: è contra res erat plena periculi, & nullâ ratione innixa, castra tanto vallo militeque munita, sub Imperatore strenuo, satisque experto, invadere, atque superare, uti nec minoris periculi, post invasionem tentatam, si non successisset, pedem referre, ac terga, post rem male gestam hosti dare, ut jam pridem Giblonienses * conflictus satis docuerat.

Mul

* *Id est*: Gemblacenses.

Multaque præterea consideratione erat dignum, quod etsi in reditu nihil sinistri accideret, re infectâ tamen nihil aliud futurum publica fama, quam salutem fuga quæsivisse, summoque periculo infamiam parum prudenter comparasse. Hæc illi, qui summam rei, tam difficili, ac inconsuetâ invasione discrimini objiciendam, inconsultum putabant, cum tamen supradictæ utilitatis respectu, & ipsi à pugnâ pari cum essent passu, non abhorrerent; idque omnes ob fortitudinem, & scientiam militarem, plurimi veterani milites, magnâ fælicis successus spe, fieri posse intelligerent, proposuére hanc sententiam, in eamque iêre: ut exercitus Bruxellam, aut Mechliniam versus moveret, omniaque ibi hostilia minaretur, eo consilio, ut sic hostis ad suorum defensionem extra vallum, in apertum eliceretur campestrem locum, atque si hoc fieri potuisset, tunc strenue confligeretur, sin minus, intraque munitiones se contineret, nequaquam tentaretur ille alter invasionis modus. Sed tandem his neglectis prævaluit altera opinio, vicitque nimium aliquantulum Principis adolescentis visendi hostis desiderium. 1578.

LVII. Itaque educto ex Lovanio, & ad se vocato omni equitatu, magnaque parte peditum, quatenus hoc ob propinquitatem securè liceret, *Rymenam* versus cum exercitu profectus *. Necesse erat transire Arschotam, ubi paucis moratus horis, donec milites ex itinere lassi, parumper se refecissent, progrediens, prima luce per arctam quandam viam spatio duorum milliarium, tandem campum attigit amplum, in quo inventi stare prope molam quandam ex iis, quæ vento circumaguntur, aditus explorandi causâ, triginta circiter equites Germani, qui paulo post se recipere coacti sunt. Erat illius campi eâ in parte, ubi *Austriacum* eum attigerat, hic situs haud ita longe ab introitu: hinc inde duo erant aggeres multis arboribus consiti quibus cingi jugera, quæ seminationi inserviunt, per omne fere Belgium moris est: inde vero ad lævam inter illos aggeres porrigebatur platea satis angusta, atque haud adeo longa, in qua complures erant rusticorum casæ, eâque superatâ, alter apparebat campus prima minor, arctiorque, unde conspici poterat;

recta

* *Supple:* est.

1578. recta ex platea linea, *Rymena*, *Bossuiique* exactè admodum munitiones: quod cum non bene perlustrassent *Austriaci* exploratores, facilè eo sunt adducti Regii, ut in eâ parte *Reymenam* esse crederent, ubi apparebant dictæ rusticorum casæ, eoque in loco hostem munitionibus suis vallatum consistere. *Bossuius* cum hæc ita a Regiis procul considerantur, premittit tres equitum sclopettariorum turmas, qui ante primos illos aggeres cum Regiis velitarentur, eaque occupatione impedirent, ne ulterius aggeres versus progrederentur, donec eos sexcentis sclopettariis undequaque bene muniisset, eo consilio, ut quando cogerentur equites se recipere, tunc & illi pedites, hostem ab ingressu, quantum possent, arcerent; cumque, & ipsi cogerentur aggerem deserere, tum dictis casis ignem injicerent, ut quocumque possent modo, Regiis plateæ transitum difficilem redderent. Dumque hæc *Bossuius*, *Austriacus*, missis, qui cum sclopettariis illis equitibus dimicarent, jam omni exercitu, primum ex dictis campis intrante, continuo ut ad pugnam disponeretur curavit. Constructæ ex peditibus ternæ magnæ acies, atque una mediocris ex solis Hispanis, iisque electioribus, quam volantem vocabant, atque hæc in fronte collocata, ut stantibus suo in loco alteris, illa, quæ longe erat expeditior, aggeres paulatim accederet, ac occasione uteretur, si qua eos invadendi occurerret. Hujusque aciei cura *Ferdinando Toletano* commissa, ac sclopettariorum dextri lateris (quod in simili occasione appeti consuetum a præcipuis) *Alonzo* illi *de Zeyua*, de cujus adventu supra. Dipositi & equi opportuné, nempe levis armaturæ tria millia, qui plures in partes divisi, ita ut nulla ducentorum numerum excederet, unaquæque suos habebat Præfectos cum mandato, ut aliæ alias certo interjecto intervallo insequerentur, aliterque sese non moverent, ita ut quo se modo primi moverent, eodem etiam subsequentes moverentur. Erant denique hæ partes distributæ in alias septem; quæ ita conjunctæ, suum etiam habebant peculiarem Præfectum, cui omnes obedire debebant, eratque inter illos idem ordo, qui in peculiaribus, ut aliæ, alias certo interjecto spatio, sequerentur, idemque faceret, quod fecisset antecedens. Ducebat primùm ita auctam partem *Joannes Baptista del Monte*, secundam *Petrus Tassius*, cæteras alii, præeratque omnibus sæpe

sæpe supranominatus *Octavius Gonzaga*, quem Rex ad id generale munus, ob generis claritudinem, aliasque multas fortis, ac prudentis animi dotes jam pridem elegerat, Regiumque eâ de re diploma, *Billius* nuper ex Hispania attulerat. 1578.
Erant præterea tria millia Germanorum equitum, qui etiam opportunâ in parte, unde suo more commodè pugnare possent, sunt dispositi. Advehi etiam curarat *Austriacus* parvula quædam tormenta bellica, quæ similiter, ubi magis convenire visum, suo ordine collocata. Aderat præterea *Austriaco Princeps Parmensis*, *Petrus Toletanus*, *Marchio de Villafranca*, pluresque viri insignes, ac rei bellicæ peritissimi, *Hiergius*, *Billius*, *Verdugo*, *Mondragonius*, nonnullique alii, ita ut nec consilii quicquam deesse videretur. Constabat exercitus plus duodenis millibus peditum, majori ex parte Hispanis veteranis, cæteris Burgundis, Walonis, & Germanis; habebat sena equitum millia, qui egregie ad pugnam erant parati, compluresque famosos Duces alacres, lætitia plenos, pugnamque supra modum appetentes, ita ut non immerito viderentur dixisse plures, de victoriâ non esse dubitandum. Sed quamvis hæc omnia ita se haberent, plus tamen potuére valla *Bossuii* bene constructa, ac munita, constansque ejus prudentia, qua se intra suos limites continens brevi temporis spatio *Austriaci* consilia, aliquo damno illato, nullo accepto, omnino dissipavit, eosque qui *Austriaco* eam expeditionem disuaserant, veraces reddidit. Cum enim jam exercitu ad prælium composito, volans Hispanorum acies, aggeres illos primos invasisset, sclopettariique qui ibi in insidiis erant, incensis rusticorum casis ad suos se recepissent, illi alii jam victoriam animo concipientes, fumumque ex incensis casis, quamvis esset maximus negligentes, per plateam alacriter progressi sunt: sed cum secundum campum attigissent, hostiumque ibi valla invenissent, extraque ea ad dextram ordinate dispositam bonam peditum manum, ad levam turmas aliquot equitum, atque intra vallum integrum *Bossuii* exercitum jam progredi paratum, per medium illud intervallum peditum, atque equitum, quos ab utraque vallorum parte collocatas diximus, citoque sensissent quatuordecim illa tormenta bellica in fronte posita, tamen subito mutata spe, nihil ulterius, quam de salute dignè quærenda

Adventus exercitus Jo. Austriaci in Rimenant, & prudentia Comitis de Boussu qui præerat exercitui rebellium.

1578. cogitarunt. Accidit & aliud incommodum, cum enim rumor increbesceret, militem illum, qui per plateam ierat, indigere aliquo equitatu, insecutus est *Joannes Baptista del Monte*, aliique omnes vicissim, uti fuerat mandatum, quorum multa pars campum illum secundum ingressa, quid sibi agendum esset, nisi tormentorum perire globis, non invenit, dum reliqua pars, quæ in plateâ manserat, etiam ægre ob multitudinem transitum permitteret. Fuitque procul dubio res quasi ad confusionem reducta, & summopere de eventu timendum erat, si *Bossuius* postposita aliquantulum prudentiâ, oblatam rei bene gerendæ occasionem fortiter amplecti voluisset: credibile est, tum etiam reliquum exercitum haud immunem periculi futurum, cum certo constet, quantum cædes fugaque præcedentium in simili casu possit. Sed cum *Bossuius* se non moveret, gens veterana, quamvis in summo discrimine versans, pristinæ suæ virtutis memor, animum non despondit, ac tandem industria, ac multâ Ducum opera ad exercitum reducta est, plus centum tamen desideratis, multisque sauciis. *Austriacus* vero hujus infælicis successus initio, spe sua plane delusus, quamprimum de reditu agere cœpit: cumque jam advesperasceret, eâ nocte non amplius uno a Reymena milliari in viâ Arschotana consistere coactus est: altera vero die prope Tilmontium, quamvis non in eodem loco ubi antea, missis Lovanium, quos inde evocaverat, cum exercitu consedit, relicto *Bossuio* multa gloria digno, quod cœpta tanti hostis vana, atque irrita omnino reddidisset. In quo bellandi genere ad solam defensionem tanta constantia perseverat, ut cum fugientibus similes sese Regii reciperent, cuiquam suorum non permiserit, uti vel tantilla illos a tergo molestia afficeret, proverbii non oblitus, quo vulgo dicitur: hosti se recipienti pontem argenteum extruendum, quamvis revera aliquando tam certam rei bene gerendæ occasionem studio, dataque opera neglexisse, non sine timoris aliqua suspicione, fuisse haud immerito judicetur.

LVIII. Accidit paulo post in castris Regiis casus scitu dignus. Comparuit ibi adolescens quidam Anglus nobilis, quique se Comitis Excessii * fratrem notum † etiam dicebat, eo

* Essek. † *Numquid*, nothum?

eo (ut publice afferebat) prætextu, ut aliquantum tempo- 1578.
ris addifcendæ fcientiæ militaris causâ, apud viros tam fortes, expertosque impenderet, fed fecretò ex Angliâ a Reginâ miffus, ut *Auftriacum* interficeret, quod ipfi multis ante diebus pro indubitato erat nuntiatum a *Bernardino de Mendoza*, Legato ibi Regio. Cumque etiam hoc non ignorarent Confiliarii aliquot Regii, qui Namurci remanferant, dirigendis rebus politicis, atque hunc hominem appulfum ibi vidiffent, petiére ab *Auftriaco* facultatem fibi dari illum comprehendendi. Abnuit *Auftriacus*: itaque ille ad castra libere profectus eft: quo cum veniffet, permitti fibi petiit, ut Principem convenire poffet, qui annuit libenter, juffoque intrare in cubiculum, ubi folus erat, gladio tantùm, & pugione uti folito accinctus, illum aufcultavit fummâ cum vultus alacritate: cùmque ille de publico adventus fui fine dixiffet quæ vellet, regiis plane verbis dimifit, nihilque ulterius ftatuit nifi ut diligenter animadverteretur in omnes hominis illius actiones, ut inde quid ulterius de ipfo ftatuendum effet, melius cognofceretur. Sed cum hoc omnino periculofum multis videretur, tandem confenfit eum apprehendi, captufque Namurci exacte examinatus, cum facinus prorfus confiteretur, judicis fententia capite plexus eft.

Ingreffus Ducis Andegavenfis in Belgium.

LIX. Venit eo fere tempore Montium Hannoniæ *Dux Andegavenfis*, adductis fecum copiis illorum militum, quas promiferat, qui paffim in pagis, ac civitate Bellovacenfi collocati funt: ipfe vero a *Lalainio*, multifque aliis nobilibus, omnique populo, magnificè, omnique amoris, ac lætitiæ demonftratione acceptus eft. Evidenti fatis figno, quantum in rebus humanis poffint affectus, atque animorum paffiones, cum ad fummum pervenerint. Erant enim Galli illis tam odiofi a multis jam annis, ob varia bella quondam inter Duces Burgundiæ fuos Principes, & Galliæ Reges gefta, multaque mala, atque incommoda eam ob caufam paffa, ut vix umquam quifquam extiterit, qui nomen, præfentiamque Gallorum fummopere non abhorreret, nemoque, qui infamia non notaretur, fi Gallorum morum, Gallicique ingenii quicquam in fe cognofci permififfet; quæ omnia odio, quo in Regem proprium impotenter, ac furiofe nimium flagrabant, in contrarium verfa, ex maximis inimicis, tunc fummos ami-

1578. cos reddidit. Laudrecenses, ac Quenoienses, necdum omnino immemores eorum, quæ antea contigissent, quorumque jam obiter meminimus, magno atque egregio animo recipere Gallos noluére, tanta Ordinum indignatione, ut è vestigio Abbatem *Marolensem* eò miserint, uti illos ad obedientiam adduceret: sed nihil profuit: Landrecii enim *Martinus*, Regius quæstor, qui constantissimé semper non sine multo periculo pro Rege steterat, Quenoii etiam alius ejus nominis, & ipse Quæstor Regi fidus, viri, qui aucthoritate apud cives valebant, tam strenue, ac industrie sese gessére, ut *Marolius* re infecta, repulsamque passus, recedere coactus fuerit.

LX. *Matthias*, *Auriacus*, Ordinesque generales, præter alias multas copias, quas ad æstivum illud bellum confici curarant, Duci *Casimiro Palatino* curam dederant conducendi magnum equitum, peditumque numerum. Hic ob generis claritudinem, ac nominis famam, præcipuos plerosque circum se habens, trajecto Rheno, in extremis finibus Geldriæ, noluit *Bossuio* se conjungere, sed seorsim belligerare, suarumque copiarum solus esse ductor, ac dominus. Itaque Flandriam versus contendit. *Bossuius* autem cum exceptis illis, omnes alias contraxisset copias, illustrem procul dubio Reymenâ tandem eduxit exercitum. Erant in eo multi Angli Duce Domino *de Noritz*, multi Schoti, Duce Domino *de Stuart*, multæ legiones, turmæque equitum ex incolis. Erat *Vice Comes Gandavensis* antea Dominus *de Ruysbroeck* de quo supra, Præfectus supremus equitum, Marischalius generalis Dominus *de la Nouë* nobilis Gallus, rerum billicarum vix apprimè doctus: aderat *Haureius* aliquot turmarum equitum sclopettariorum Præfectus; *Comes Egmontanus*, *Marchio Bergensis*, Comites *de Schwartzenburg*, & *Hollach*, & *Schenquius*, aliique complures; ita ut feratur in *Casimiri*, & hoc exercitu, præter Gallos, & in præsidiis dispositos habuisse Ordines eâ æstate plus quadraginta millia peditum, bisque octo millia equitum, unde natum, dixisse ex Ordinibus quemdam rerum bellicarum omnino ignarum: velle se fustibus *Austriacum* Belgio expellere; verum haud immerito judicatum, tantis copiis, viribusque multo plus effici potuisse, quam effectum fuerit.

Magnus exercitus rebellium, ex quo exiguum cepere fructum.

LXI. Consedit *Bossuius*, ubi primum exercitum eduxit, haud ita procul Lovanio, misitque eo aliquot copias, quæ dimi-

dimicationibus *Cheuranium* elicerent, tentarentque scire, 1578.
quid illi civibusque esset animi. Cum vero invenisset ibi omnia ad constantem defensionem parata, prudenter judicans, quod inhærendo oppugnationi civitatis tam vastæ, tamque munitæ, quæque, quamvis longè copiosissimum ipse haberet exercitum, ægre tamen undique circumcingi posset, quodque prætetquam, quod nec magni erat momenti, quod summam rei potuisset facile unâ illâ obsidione æstivi temporis spatium, quod adhuc supererat, maximasque illas Ordinum bellicas præparationes, operamque inutiliter terere, nullâ interpositâ morâ Nivellam versus movit, eamque obsidione cinxit. *Austriacus* jam tunc & ipse movère se cœperat; animadvertensque, quid hostis ageret, paulatim Bougium versus tendebat. Cumque intellexisset *Bossuium* Nivellam quærere, famæ Præfecti, quem ibi constituerat, consulere volens (sciebat enim nullo modo eum tantis viribus diu resistere posse) scripto ei permisit, ut antequam ad extremam inopiam adigeretur, civitatem, quam honestissimis posset conditionibus dederet; curavitque ei litteras tempestive tradi per *Georgium Bastam*, qui solus eques, cum jam oppidum ab hoste cingeretur, recto itinere, portam Namurcensem versus, tanta constantia, atque industria, ipsis spectantibus hostibus, ire scivit, ut litteras tradiderit, iterumque ad suos incolumis reversus sit. Galli etiam jam suas expeditiones incœperant, in potestatem suam converterant Havreyum ac tandem Binsium obsidione cinxère.

LXII. *Austriacus* vero cum Bougium intrare cogitat, in pago quodam, qui uno miliari inde distabat, in febrim acutam, ac pestilentialem inopinate incidit. Adhibita statim fuêre omnia, quæ excogitari potuére remedia, sed cum parum proficerent, sexto postea die lectulo incubans, humeris militum Bougium delatus est. Ubi cum indies morbus ingravesceret, tandem prima Octobris, post quindecim dierum ægritudinem, cum Deo multa pietatis, Religionisque demonstratione debita præstasset, ex humanis excessit, tanto totius exercitus mœrore, ac luctu, ut nullus extiterit, quin lachrimis ejus mortem deplanxerit, patremque militiæ defecisse, plurimis tristitiæ signis testatus sit. Delatum fuit corpus ad Namurci præcipuum phanum Divi *Obini* *, ibique publico instrumento depositum, donec Rex, quid ultra facien-

Mors Jannis Austriaci, ejusque sepultura.

* *St, Aubin.*

1578. ciendum esset statueret. Modus autem delationis hic fuit. Induêre in cubiculo ubi decesserat, cubicularii totum corpus excepto capite, manibusque, propriis ejus armis, capitique imposita corona aurea Ducalis, ac pretiosis gemmis ornata, manus indutæ chirotecis odoripheris, indeque corpus deportatum in aream, ibique feretro aperto, humerorum gestationi accommodato, aureoque panno prolixo, coopertum, ubi & galea, ac chirotecæ ferreæ, suo in loco erant collocatæ, impositum. Sustulére feretrum, tum præcipui quidam, deportaruntque ad primam usque militum stationem, ubi Præfecti omnes illud accipientes, vexillis undequaque circa corpus ventillantibus ad secundam usque transtulére, atque sic vicissim cæteræ stationes omnes equitum ac peditum, donec ad portas civitatis perventum esset, ubi accepto feretro a Consiliariis Regiis ad dicti Divi Obini phanum per eos est deportatum, ibique in loco ad id destinato collocatum: induti omnes veste lugubri, phanumque ornatum, ut in funeribus Regiis fieri consuetum. Rex postea jussit deferri cadaver in Hispaniam, dataque ejus rei cura *Gabrieli Nimmo*, viro illustri, qui munere cubicularii apud *Austriacum*, ad ejus usque obitum functus erat. Ille vero diligenter, ac caute per Galliam, ac Hispaniam ad cœnobium divi *Laurentii* (*Lescurial* vulgo vocatum) Regiis sumptibus a Rege e fundamentis extructum, fœliciter illud transportavit, ubi apud Patrem *Carolum V.* quieti traditum. Obiit trigesimo secundo ætatis suæ anno, cum præclaras animi dotes, quibus eum natura ornaverat, nonnulla rerum experientia acuerat. Regiæ plane indolis, vir omnino fortis, ac strenuus, ut in navali clade Turcæ illata ad Lepantum, satis apparuit; fortissimi ac optimi cujusque amicus, & sodalis; nihil tam exosum habens, quam malevolos homines; splendidus, omnino pietatis plenus; Religionis, fideique observantissimus (etiamsi falso aliud posteritati tradere conetur, *Anthonius Perez*, ob maleficia capitis in Hispania damnatus, sed, qui fuga supplicium evadit, profugusque, atque exul in Galliâ vitam exosam trahit, Regi Dominoque suo longé ingratissimus) dotaveratque eum natura tam hilari, ac leni vultus formâ, ut vix quisquam fuerit, cujus voluntatem, & amorem statim sibi non conciliarit, eratque procul dubio dignus longiori vitâ. Sed nihil est in humanis diurnum, & ut Lyricus canit: *mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.*

JOAN-

1578.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS,

Commentariorum de Tumultibus Belgicis.

LIBER QUINTUS.

I. POst obitum *Austriaci*, Consiliarii, Primariique viri omnes, qui ibi aderant, totiusque (ut uno verbo absolvam) exercitus, è vestigio, supremum imperii munus *Alexandro Farnesio* Parmæ Principi unanimi assensu detulére. Erat ex matre nepos Regius, adolescens, & ipse omnibus, quæ desiderari in Principe possent, animi, & corporis dotibus apprimè ornatus. Acquievit ille omnium petitioni lubens, donec Rex quid vellet nuntiari curaret. Ille vero simul atque de *Austriaci* morte rescivit, Dominum Principem Parmensem in accepto Imperio confirmavit, quamvis postea id optavit divisum, ac Politiam *Margaritæ* ejusdem Principis matri commendare; fore sperans, ut sic accuratius, exactiusque omnia administrarentur. Præteritâ etiam * gubernatione, cui sola *Margarita* diu vacaverat, multam rerum Belgicarum cognitionem acquisierat, quod videbatur filium juvenem earumdem ignarum, dum ille armis ageret, summopere in reliquis adjuturum. Sed ille nixus eo argumento, quo a multis improbatur, bina uni Imperio præesse capita: tam obstinatè ambitionem debito respectui anteponens, Regiæ voluntati restitit, ut tandem fuerit coactus Rex, cum *Magarita* jam in Belgium venerat, reversioni suæ in Italiam invitus acquiescere, totamque rerum summam, filio suo relinquere.

Dux Parmensis incipit gubernare, & matrem non vult sociam.

II. Cesserat jam tunc *Bossuio* deditione Nivella, eâ conditione, ut ex militibus armati relictis vexillis, ac impedimentis discederent, qui vellent, quod fecere quidam. Cæteri vero

* *Lego*: namque.

1578. vero inſcribi Ordinum militiæ maluère. Binchium etiam jam obſeſſum oppugnabatur. Quaſſarunt hoc oppidum Galli primo per totum biduum decem & quatuor tormentis, ac irruere poſt muri labefactationem vi tentarunt. Sed *Didacus de Gaona* Præfectus Hiſpanus multo hoſtibus illato damno, fortiter reſtitit. Tranſtulère poſtea ad aliam oppidi partem tormenta, diruptoque muro, denuo irruptionem tentarunt, ſed etiam ſine ſucceſſu. Tandem tertio, cum denuo quatiiſſent, res eo deducta eſt, ut de deditione ageretur. Quâ de cauſa cum jam Præfecti aliquot ex obſeſſis in caſtra Gallorum eſſent, accidit, ut antequam de conditionibus deditionis conventum eſſet, milites, qui foris erant, paulatim muro appropinquarent: cumque (ut frequenter in hujuſmodi caſu accidere ſolet) inveniſſent negligentem ibi cuſtodiam, inter bellum, & pacem (ut dici conſuetum) civitate potiti ſunt magnaque facta cæde, & prædâ, ipſum etiam phanum expoliarunt. Uſus eſt *Dux Andegavenſis* erga captivum Præfectum magnâ admodum humanitate, dono illi dato prætioſo veſtimento ex ſuis, ut libere ad ſuos reverteretur, regiè permiſit. *Boſſuius* poſt captam Nivellam ad vicinas Binchio ditiones cum exercitu venerat, ut ſic præter omnem Regii exercitus moleſtationem obſidioni ſuæ Galli liberius vacare poſſent. Contulit ſeſe eam in partem major pars copiarum, quas *Caſimirus* âdduxerat, ipſo interea Gandavi manente. Galli vero poſt captum Binchium, præſidio illud munierunt, multiſque poſtea diebus, ſuis in ſtationibus quieti omnes conſederunt, nihil aliud, quam vicinos circumquaque agros depredantes, ac vaſtantes: viſumque tunc tritum illud proverbium, quod enſis enſem in vaginâ contineat. Vigilabat miles regius in Bougio. Si quid Ordines, aut Galli ulterius tentare voluiſſent, id jam in loca non debilia erat experiendum, debuiſſentque Moſam verſus vergere, ubi ea bene munita inveniſſent, & quorum obſidio ob non contemnendi hoſtis vicinitatem, foret periculoſiſſima. Inclinabat præterea autumnus, eratque hiems præ foribus, Itaque tandem derelicto ulterioris invaſionis propoſito, ad hyberna animus verſus. Galli per aliquot tempus Binchium, & Haureyum tenuère. Sed poſtea vaſta illa ſpe plura occupandi, quæ illos eò attraxerat, prorſus deluſi, domum reverſi ſunt. *Caſimirus* etiam in Angliam trajiciens, liberalita-

tem

rem Reginæ exploraturus, cum illam magis, quam optabat 1578.
ficcam, ac tenacem invenisset, & ipse ad suos se contulit. *Bossuius* vero, collocato exercitu in eâ Brabantiæ parte, quæ Campinia vulgo dicitur, ubi sustentaretur, donec Ordines aliter decernerent, Antverpiam reversus haud diu post veneno in cœnâ quadam ostreis, jussu Auraici, indito periit. Brevi itaque in fumum verso, tam copioso, atque ingenti Ordinum apparatu, non ignobile proponitur posteritati exemplum, quo merito semper credetur, parum plerumque fœlices successus ea promittere, quæ adeo ultra vires inordinate suscipiuntur. Non ignorabant Ordines haud quaquam in sua potestate esset, alere tam copiosum militem, armorum tamen inexperti, persuaserant sibi tam vasti exercitus mole, ac pondere, *Austriacum* facile obrutum, ac suffocatum iri, unde accidit, ut quod in alterum præparaverant, sibimetipsis dirigendum * fuerit.

III. Antequam Galli Binchium reliquissent, *Hiergius*, uti erat vigilans, acrique ingenio vir, secreto persuadere tentarat, ibi quibusdam præsidiariis, ut mercede haud parvâ acceptâ, ad recuperandam civitatem Regi essent auxilio; illi sese conditionem accipere, cautè admodum finxère, eo consilio, ut cum tempus executionis advenisset, tunc *Hiergio* penderent temere apud viros bonos fortesque quæsitam infidelitatem. Resque tandem eo deductæ, ut obsides dederint, quos milites esse præcipuos, magnique apud se momenti affirmabant, cum tantum essent lixæ, militumque famuli. Vocantur hæ actiones inter belligerantes stratagemata, quibus fallendi †, hostem vincere student. Sed non semper eorum sunt fælices exitus. Obsidibus jussu *Hiergii* Philippevilæ asservatis, constitutaque utrimque die, & horâ, data cura rem exequendi *Ferdinando Toletano*, qui cum 1500. peditibus Hispanis, necnon sufficiente equitatu eò profectus est. Erat inter eos conventum, uti *Hiergio* porta traderetur, qua intraret, atque antequam illusceffet, adesset. Binchiani interea noctu magnum peditum, equitumque numerum, foris accersitum sibi conjunxerant resque suas ita disposuerant, ut non dubitarent, quin adventan-

* *Forte*: digerendum. *Non enim assequor, quid velit.*
† *Melius*: fallendo. *Sed nondum erit perspicua locutio.*

1578. tantem hostem commodissime caederent. *Ferdinandus* vero, aut quod tardius, quam debebat se itineri commisisset, aut eundo non satis festinasset, non ante Binchium venit, quam cum jam esset dies clara, ita ut jam ab omnibus conspiceretur, & ipse ex quibusdam signis & indiciis conjectans, majorem solito in oppido esse numerum militum, opportuno in loco prudenter constitit, sesque detinuit, ac tandem fraude detecta, citra damnum re infectâ ad suos reversus est. Mereri videbantur obsides, ut in poenam fraudis capite plecterentur; sed noluit *Parmensis*, vindictâ tam vili sibi satisfacere. Itaque libertati restituti sunt.

1579. IV. Instabat jam annus septuagesimus nonus, & Gandavenses in incoepta sua insolentiâ perseverantes, *Meninum* *, atque alia aliquot extra Flandriae territorium loca, in potestatem suam redegerant, in religionem Catholicam, ac Ecclesiasticos crudeliter grassantes, cui malo ni statim itum fuisset obviam, majora etiam procul dubio extra suos fines tentassent. Sed hâc in occasione egregie praesto fuêre praecipui quidam ex nobilibus, quorum Dux fuit Dominus *de Montigni* †, qui armis Gandavensium se opponere, Religionemque Catholicam tueri, omnibus viribus decrevêre. Habebant aliquot legiones proprias, quibuscum Ordinibus inserviebant, cumque essent, & genere, & rei bellicae opinione clari, Provinciaeque insuper Hannoniae, Arthesiae, ac Insulensis non solum ipsi adhaererent, verum etiam auxiliis juvarent, haud difficile fuit, tantas contrahere copias, ut brevi septem millia militum collegerint. Erat revera Gandavensium major numerus, sed inexperti in re bellica fere omnes, & scientiae militaris rudes. Itaque militum virtute, numerum superante, tandem *Myneo*, aliisque locis, quae occuparant ejecti, intraque fines suos compulsi sunt. Quod cum intellexisset *Auraicus*, quamvis haec omnia ita confusa, atque inordinata, suo secreto nutu agerentur, ut tam extrema confusione sui imperii desiderio omnium animos indies magis, magisque accenderet, ingeniose tamen secum reputans, tandem controversiam illam, animorumque dissentionem, multum etiam incommodi rebus suis afferre

Discordiae inter Flandros & Walones occasione ferociae Gandavensium: unde Walones in Regis gratiam reducti & a rebellibus sunt separati.

* Menenam. *Menene, Meenen.* Gallis, *Menin.*
† Emmanuel de Lalaing, Sire de Montigny.

afferre posse, misit Gandavum Dominum *de Sancta Aldegunda* sibi intimum, ut eam sopiri curaret: qui cum invenisset eam jam in tantum excrevisse, ut ipse solus tanto oneri non sufficeret, venit & ipse *Auraicus*, cujus præsentiâ tandem rabies illa Gandavensium placata est. Erat enim tantæ artis homo, ut cum animadverteret, non bene succedere posse, quod optabat, tunc commutata facie, aliud consilium facillimè amplecti sciret, inque aliud tempus magis opportunum primum animi conceptum differre. Sed non ita hâc vice ei suæ artes profuêre, quia ex illis per Gandavenses suscitatis discordiis, & diffidentia publica Catholicorum inde orta, multum ei postea acciderit incommodi. Cum enim eadem fere tempestate Atrebati ejus sequaces exemplo Gandavensium, absente *Caprio* ad arma concurrissent & Magistratum, qui tunc temporis erat, removissent, aliumque propriâ authoritate, contra omnem consuetudinem in ejus locum, ex suæ farinæ hominibus surrogassent, *Caprius* simul atque hoc rescivit, quam celerrimè ad civitatem advolans, è vestigio Catholicis strenuè adjuvantibus, Magistratum illum novum abrogavit, eorumque aliquot in carcerem conjici jussit, primumque Magistratum restituit, eademque diligentia de culpatis summariè inquisitione habitâ ad terrorem malevolorum, sententia Judicis quosdam capite plecti curavit. 1579.

V. Erat cum hæc acciderent *Parmensis* in Bougio, qui simul atque eâ de re cognovit, quâ potuit celeritate occasioni incumbendum prudenter ratus, misit Episcopum Atrebatensem, qui vivente adhuc *Austriaco*, Regi se reconciliarat, Dominum *de Sellis*, & Dominum *de Vaubion* Atrebatem ad fines Arthesiæ, ut quibuscumque possent modis Atrebatensibus persuadère conarentur, cum Rege in gratiam redire. Scripsit etiam illis *Parmensis*, multaque promisit, misitque & postea eundem in finem Dominum *de Vaulx*, quorum opera, præcipuè primorum, paulatim res eo rediit, ut tandem Provinciæ Hannoniæ, Arthesiæ, Insulenses, Duacenses, atque Orchia (quamvis hoc *Auraicus* per legatos ad eos missos, multamque insuper operam præstitam ab illis, qui ibi rebus suis favebant, dissuadère summo studio conatus esset) decreverint de reconciliatione cum Rege suo agere.

VI. Venit denique eodem fere tempore in locum Coloniæ

1579. Imperatoris opera, tractatio Pacis universalis Belgii cum suo Rege. Sed de his binis materiis merito alias latius, res enim bellica suo etiam narrari loco non indignè meretur.

VII. *Parmensis* cum vidisset, tam immunitas hostium copias, ut jam nihil eis sibi esset timendum, Bougium relicturus, antequam hoc faceret, quod sibi deinceps faciendum esset, sedulo cum suis tractavit. Advenerat jam in subsidium *Polveylerii* nova legio, habebatque procul dubio satis copiarum ad quidlibet tentandum: sed cum hoc per hiemem ægre fiat, consultius inventum, ut & ipse etiam militem in hyberna duceret, atque ita conservato exercitu, ineunte vere ad quidvis paratior existeret. Domum interim solutis stipendiis permisit reverti tribus illis millibus Brunsvicensibus equitibus, quorum opera amplius non indigebat, sciebat enim terna illa alia millia jam pridem ab *Austriaco* conscribi jussa, adfutura, quandocumque opus esset. Cum vero ad peculiares utiles expeditiones in consultationibus ventum esset, visum est summopere ad rem facere Maesstrichtum capere.

VIII. Erat urbs illa in Brabantia, magni procul dubio tunc temporis momenti, magna satis, quam mediam Mosa fluvius interluit, quaque liber est, nullo interjecto fluminis impedimento, ad Germaniam aditus. Promittebat præterea *Hiergius* duci ad illam obsidionem curaturum, navigiis secundo flumine ex Carolimontio, quidquid tormentorum bellicorum, pulveris bombardici, globorumque esset necesse, quorum ibi habebat satis copiosam provisionem. Quibus maturè consideratis, tandem secreto statutum, primo vere adventante Maestrichtum invadere, eumque in finem Visettii, ejusque in circumvicinis locis, exercitum collocare: quamobrem ex Bougio, Namurcum venit, ubi cum aliquantum temporis substitisset, ut rebus Lovaniensibus aliisque illius tractatus *, prout erat necesse, de sufficienti securitate provideretur: tandem traducto per pontem Namurcensem exercitu, ad partem, quæ Luxemburgum spectat, Marchiam, atque inde paulatim Visettium se contulit. Erat jam hybernum planè tempus; itaque in præsentia, nihil aliud, quam quietè ibi consistere, rebusque futuris tempestive providere potuit:

sed

* *Lego*: tractûs.

sed vix erat præ foribus mensis Martius anni millesimi, quingentesimi septuagesimi noni, cum ad actiones animum advertit. 1579.

IX. Erat adhuc-dum in Campiniâ, copia illa Germanorum equitum. Ordines etiam suburbia Antverpiæ (*Burgerhaut* vulgo dicta) vallis, fossisque munierant, paratumque ibi habebant numerum aliquem peditum. Quibus omnibus ita constitutis, futurum erat procul dubio omnino periculosum, scientiâque militari indignum, in conspectu non contemnendi hostis, civitatem amplam, munitam, ac flumine divisam invadere. Itaque contra eos ante omnia fortunam tentare, expedire ratus, Campiniam versus movit. Advenerant jam nova illa tria millia equitum Germanorum, quorum sæpius supra facta mentio, cumque *Gonzagam* cum aliquot copiis præcedere jussisset, ut quid de statu hostium esset, certo exploraret, accidit *Gonzagam* inopinatè in aliquot eorum turmas incidere, ubi cum utrimque pugnam non detrectarent, fortiter, acriterque pugnatum est. Vicére tandem Regii, coactique Germani, quo quisque posset se recipere: quo fælicis successus principio instans *Parmensis*, universas eorumdem equitum copias, brevi eo necessitatis, atque angustiæ adegit, ut cum illis in locis nulla esset civitas, quæ eos recipere vellet, nec aliunde Ordines saluti eorum (ut plerumque in simili necessitate fieri consuevit) consuli curarent, ad tractationem cum *Parmensi* animum verterint. Erat inter eos tunc tanquam Præfectus supremus, *Mauritius* ex Ducibus *Saxoniæ*, de quo alibi, & apud Regios ejusdem frater natu major, quorum intercessione tandem conventum, ut in Mosâ construeretur pons ex ratibus prope Venloum, per quem commodè recipere se possent Germaniam versus, idque libere, atque secure permitteretur. Quibus conditionibus cum *Parmensis* lubens assensisset, omnes illæ tam immensæ copiæ, & quorum præcipue robore tam magna sibi Ordines promiserant, non minori tamen Ordinum, ob non soluta stipendia, quàm *Parmensis* commodo, domum reversi sunt. Cumque postea *Burgherbauti* vi tentata invasio, fæliciter quoque, multâ hostium cæde, successisset, *Parmensis* jam tunc omnino ab illorum invasione liberatus, recta Maestrichtum tendens, decimâ tertia dicti mensis Martii, illud obsidione cinxit.

Cum Germanis quid Parmensis egerit suo & rebellium commodo.

X. Erat in eo Præfectus nobilis quidam Limburgensis, ex-

1579. *Suartzenberga* familia, eratque in præsidio aliquanta copia peditum, majorque rusticorum numerus, quos non minoris fuisse utilitatis, construendis, conservandisque munitionibus, quam ipsos milites, eventus postea docuit. Præter hos *Sebastianus* quidam Gallus vir adprimé fortis, ac strenuus, artisque obsessas defendendi urbes, tam insigniter doctus, ut merito, tam longa urbis obsidio, multaque ibi fortiter gesta, huic magis, quam Præfecto, aut alii cuiquam attribuantur. Fuit præterea ibi rebellis quidam Hispanus *Moncada* * dictus, qui & ipse egregiam in defendenda, ac conservanda civitate navavit operam. *Parmensis* continuo pontem ad inferiorem urbis partem in pago Mersen vocato, ex naviguliis, ratibusque construi curavit, similiter alium ad superiorem, ut sic pateret exercitui circumquaque libera, ac facilis communicatio, collocato *Mondragonio* in illâ parte, quæ Germaniam versus spectabat, cum sufficientibus copiis, ut rebus ibi præesset, ipse autem in alterâ, quæ Brabantiam attingit, cum majori exercitus parte consedit, non absque animosâ obsessorum eruptione, ut dimicationibus Regios in ipso obsidionis accessu, quanto possent damno, atque incommodo afficerent. Adfuit etiam illico *Hiergius* cum pleno illo bellico apparatu, quem promiserat. Cumque omni ex parte extrinsecus exactè fuisset perlustrata civitas, tandem decretum, ut quateretur ad lævam portæ, quam *Divi Petri* nominant, quod effectum pluribus tormentis muralibus, per aliquot dies, diuque in eâ parte constanter omnia tentata, quibus videbatur superari posse aditus civitatis, occupatumque vi propugnaculum vulgo *rebellinum*, quod ibi erat, non sine aliqua cæde, præcipue *Francisci* Hispani Præfecti, sed non potuit ob nimiam altitudinem muri civitatis, qui in propugnaculum eminebat conservari. Ventum etiam ad cuniculos, & subterraneas illas fodinas, quas *Minas* vocant, sed & hoc frustra, eratque talis & tam continua obsessorum in reparandis ac resarciendis iis, quæ per continuos tormentorum ictus, aliove quovis modo lacerata ac convulsa erant, rusticorum opera, ut obsidentibus nus-

Obsidio oppidi Trajectensis ad Mosam, quod rustici æque defendunt ac milites.

* *Famian. Strada dec. 2. l. 2. monet eum ita perperam vocatum; nomenque illi esse:* Manzanum.

nulla unquam ablata fuerit occasio, qua spe aliqua felicis successus, irruptionem tentare potuerint, unde natum, ut fuerint, qui post exactam lustrationem ejus partis civitatis, quæ prope flumen ad phanum *Divi Antonii* erat, eò transferenda tormenta, murumque quatiendum proponerent! Poterat enim & ibi obliquè murum quatere *Mondragonius*, quod non parum ad rem (præcipuè cum fieret irruptio) futurum judicabatur; quâ de mutatione cùm maturè esset consideratum, tandem non omninò cessantes ad *D. Petri* partem quatere; ad aliam illam urbis partem accuratè, ac furiosè murus quati cœptus, in eoque continuatum, donec videretur jam satis commodè per ruinam irruptio tentari posse. Ad quam ventum nonâ Aprilis millesimi, quingentesimi septuagesimi noni, omni exercitu (ut moris est) undequaque ad pugnam disposito, præcipuè equitatu, cui in similibus curæ est, agrum ab omni externo hoste liberum reddere. Jussum etiam ut eo ipso tempore quo fieret irruptio ad partem *Divi Antonii* alia etiam, sed dissimulata fieret demonstratio irrumpendi per alteram divi Petri, ut distracti ac divisi defensores in plura loca, redderentur debiliores. Stabat *Parmensis* in loco quodam eminenti, mediâ quasi viâ dictarum partium cum consiliariis Belgicis, aliisque multis, quorum non erat una irrumpere, ut sic prout necessitas postularet unicuique parti præsto esse posset. Iére ad illam *Divi Antonii* invasionem *Augustinus De Herera*, & *Joannes Nunnius De Palentia*, Hispanorum Præfecti ad id inter alios multos selecti, ut unusquisque viginti ex suis comitatus muri ruinam (*Batteriam* vulgo) hoc est medium, ac summitatem diruptæ partis exactè perlustrarent, indeque quid subsequentibus esset agendum, melius innotesceret. Illi jussa faciunt mirâ constantiâ ac incredibili fortitudine. *Augustinus* autem tam strenuè sese gessit, ut fixus in angulo summitatis, qui flumen spectabat, quàmque quinies sclopeto ictus, sauciusque, non ante tamen locum dereliquerit, quam cum re perditâ jam nullus esset, qui ab irruptione, necessitate coactus, non recessisset: haud minus fortem sese præstitit *Joannes Nunnius*, qui ad alteram partem iens, & ipse saucius, tandem inde cum omnibus retrocedere coactus est. Ad partem etiam *Divi Petri*, tam serio tentata dicta invasionis demonstratio, ut cæsis, vulneratisque quam

1579.

1579. quam plurimis recedere etiam coacti fuerint. Dominus *De Hautepenne*, qui tum præerat Walonum legioni in eo quoque conflictu vulneratus. Brevi quidquid potuêre fecêre Regii, ut civitate potirentur, pugnatumque diu & obstinatè sed nullo invadentium successu, tantaque eorum, præcipuè Hispanorum, aliorumque complurium illustrium virorum cæde ac strage, ut nihil funestius exteris vix umquam ante in Belgio evenisse invenias, quemadmodum contra nihil obsessis gloriosius ac laude dignius, quam tantis, tamque strenuis Ducibus, tam intrepidè restitisse. Cæterum, quamvis invitè, fateri tamen cogentur illi, qui murum quati ad *Divi Antonii* partem voluêre: se sive negligentiâ, seu ignorantia nesciisse quot, quantisque obliquis, ac transversis feriendi ex urbe locis ea pars subjecta esset, eamque ob causam plus sinistri quam felicis successus ex mutatione illa exspectari potuisse vel debuisse. Certum itaque est, hinc sinistrum hunc casum *Parmensi* evenisse. Erat præterea necesse ad transitum fossæ aquaticæ, viam irruptioni construere, quæ cum tam arcta esset, ut non ultra septem conjunctim transitum daret, ob hanc etiam causam non exigua irrumpentibus objecta fuit incommoditas: cogebantur enim divisim ac paulatim incedere, cumque ob desiderium pugnæ unusquisque, quod posset festinaret, forsitan & non tam conjuncto robore ac ordinatè ad manus venire potuit. Cæsi inter Hispanos ac saucii criciter mille: complures præfecti ac vexilliferi: periêre etiam ac vulnerati sunt aliquot Itali nobiles, qui quamvis nullo astringerentur militiæ sacramento aut munere, voluêre tamen in re tam ardua, gloriæ sibi sponte quæsitæ satisfacere Interque occisos fuêre *Fabius Farnesius*, *Parmensis* cognatus, & comes *Guido Sangorgius* qui illius mutationis præcipuus author, persuasorque extiterat. *Parmensis* autem etsi variam belli fortunam parum adhuc esset expertus, nihilominus tamen casum hunc adversum moderatè lugens, aut perire, aut voto potiri summa animi constantia statuit. Cumque jam animadvertisset quantum difficultatis ac periculi in se contineret invasio illa violenta (quam *Assaltum* vocant) ad agendum cuniculos primorum omnium votis animum vertit, electa ad id, parte illa civitatis, quæ Tongrum spectabat, ubi erat porta Bruxellensis, quique locus eminentior, eratque nullus alius totius urbis, habebatque fossam

etiam si

etiamsi profundam, siccam tamen, atque aquæ omnino inanem, ita ut non videretur imposibile posse diuturno opere atque labore, sic ibi superari difficultates, atque incommoda, ut res ad optatum tandem duceretur finem. Et quoniam hæc cuniculorum via (vulgo *Zappa* * dicta) necessariò multam secum moram trahit, videbanturque hostes externi, in tanta mora, civitati bene meritæ auxiliis non defuturi, cupiens in omnibus quantum fieri posset provideri, castra undequaque vallo cingi curavit, ac evocato ex pagis circumvicinis rusticorum quam copiosissimo potuit numero, quorum præcipue opera opus ad perfectionem redigi debebat, nulla interposita mora, quod animo conceperat, ad actionem convertit, tantaque diligentia ac solicitudine admirantibus etiam summopere ipsis militibus in eo est laboratum, ut brevi occupatum fuerit, quod ante portam Bruxellensem stabat propugnaculum fossaque ad dexteram superata; inque illâ ex lignis terraque confecta via, perquam commodé ad fastigium muri civitatis non tantum ire milites, sed & conduci possent tormenta bellica, unde postea paulatim progredientes Regii, tandem eo ventum, ut relicta post tergum porta, totum muri tractum, post aliquot tormentorum ictus in dextera ejus parte in potestatem suam converterint: sed non propterea civitate potiri licuit. Invenêre enim ex adverso intra murum civitatis direptum, magnum valde propugnaculum (*mediam lunam* vulgo vocant) ab obsessis extructum, quod ab una ad alteram usque muri partem pertingens, abversumque iis quæ Regii moliebantur, nil minus laboris ac periculi, quam primus jam occupatus murus minari videbatur. In quo è vestigio collocata sunt decem & quatuor tormenta bellica, quibus propugnaculum illud novum quateretur, sed & hoc bis senos continuos dies frustra tentatum. Tandem verò ducti per dexteram muri longitudinem cuniculi ad turrim usque, angulum ea in parte civitatis efficientem, & ex qua transversa linea extendebatur murus, atque intra illum, eodem progregiendi modo, eo ventum est, ut propugnaculum illud novum post se à tergo reliquerint Regii. Paucos ante dies sclopeto erat ictus *Sebastianus*, de quo supra, ita ut aliquot nocti-

1579.

* *Suffossio murorum.*

1579. noctibus ibi suis adesse non potuerit. Præfectus verò summo mane, ubi vidit, quo progressi essent hostes, ad *Sebastianum* accurrit nuntiatum quo in statu res essent. Ille vero judicans actum esse de civitate, ni celerrimè malo occurretur, equumque conscendens ut eo tenderet, Regii haud quaquam ignavi, capta occasione civitatem ibi apertam strenuè invasere, unoque illo momento longinqui laboris fructum sunt adepti.

XI. Revertitur fugiens *Sebastianus* ad suburbium, quo etiam confugêre, quincumque potuêre. Recuperant in adita pontem lapideum, per quem ex civitate ad burgum itur, videbanturque & ibi resistere velle, sed cum è vestigio per *Gonzagam* eo aliquot tormenta adducta essent, compositione factâ, sese dedidêre, qua deditione tota civitas occupata, militibusque in prædam satis luculentam data. Fuitque procul dubio insignis, æternæque memoriæ *Maestrichtensis* obsidiò, tum ob situm munitionemque loci, tum ob multa ibi præclare gesta, multosque utrimque exhaustos labores, compluriumque cædem, Hispanisque præcipuè lachrymosa, decem enim & octo præfecti ibi cecidère, ac complures vexilliferi, atque ingens militum numerus. Periêre etiam multi ex aliis nationibus. *Hiergius* & ibi (qui captivo adhuc apud Ordines *Texlonio* * supremi tormentorum bellicorum præfecti munus agebat) dum quid ultima muri diruptio ad dexteram effecisset, spectatum ibat, sclopeto ictus periit, Regis maximo incommodo. Erat enim vir militari scientiâ clarus, tantaque dotatus prudentiâ, ut merito summo omnium dolore desideraretur. Imprimis verò laudandus *Parmensis*, quod in illa obsidione tam constanter perseverasset, nulloque intermisso labore, nec ulla periculorum habita ratione, præsens & primus in omnibus tandem vincere scivisset. Cæterùm nec civitas majora fortitudinis testimonia, quam quâ in sui defensionem fuerat usa, videbatur potuisse præstare, uti nec pro infidelitate erga Regem suum usa, gravius potuit puniri, quam est punita, infensi, ac irritati hostis victoris acerbitati ac ludibrio planè exposita. Capta est vigesima nona Junii, die Divo *Petro* & *Paulo* sacra. Non potuit tamen hæc præstare *Parmensis*: aliquot enim ante diebus in febrim pestilentialem tam vehementer

* *Lege*: Tresiongio.

ter inciderat, ut vix mortem evaserit. Itaque etiam, jam capta 1579. civitate, per aliquot dies in statione sua solita manere coactus est, donec tandem in sede ornata locatus, brachiis multorum per ipsas murorum ruinas eo fuit portatus, eodem fere, sed lætiore, triumphi modo, quo jam pridem *Austriaci* corpus extinctum ex *Bougio* communibus lachrymis ad sepulchrum fuerat delatum: scilicet disposito exercitu tamquam ad pugnam ituro, circumsonantibus undique tympanis ac tubis, præfectisque & vexilliferis sedem comitantibus, nec non equitibus ordinaté discurrentibus, uti in summa hilaritate consuetum illis. Cumque intra civitatem venisset, recta ad phanum *Divi Servatii* deferri voluit, ut ante omnia Deo agerentur gratiæ de tam insigni parta victoria: inde vero in cubiculum delatus, intra aliquot dies integræ sanitati restitutus est.

XII. Dum hæc per *Parmensem* ab initiò dicti anni millesimi, quingentesimi septuagesimi noni geruntur, Ordines Hollandiæ, Zelandiæ, aliarumque quarumdam provinciarum, cum animadverterent ex parte Regis tendi ad separationem confœderatorum; & *malcontentos*, quos vocabant, ea esse mente ut Hæreticos deprimerent; inter se agere cœpêre de componenda adhuc quadam exactiore unione ad sui majorem securitatem, quâ in re tandem eo progressum est, ut unanimiter vigesima nona Januarii super eo scriptis inter se convenerint conditionibus sequentibus.

„ XIII. Cum constet ac manifestum sit, post confectam „ pacem Gandavensem, qua omnes Belgii Provinciæ tenen„ tur sibi invicem auxilio esse, ac vitam ipsam fortunasque „ omnes impendere ad expellendos Hispanos, aliosque exte„ ros, illisque adhærentes, dictos tamen Hispanos, cumque „ illis *Joannem Austriacum*, alios eorum præfectos & supe„ riores tentasse, & quotidie adhuc tentare, quomodo ad „ suas partes trahant generaliter vel separatim dictas Provin„ cias, easque reducant ad servile ac tyrannicum suum jugum, „ in eoque perseverent armis ac sollicitationibus, ut dictæ „ provinciæ inter se separentur, ac destruatur conjunctio &, „ confœderatio dictæ Pacificationis, maximo totius Belgii „ detrimento; uti re ipsa jam pridem apparuit ex litteris „ quas scripsêre ad aliquot civitates Geldriæ & Zutphaniæ,

 „ loca-

1579. „ locaque quæ armis occuparunt, eamque ob causam incolæ
„ Ducatus Geldriæ, comitatus Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ditionis Ultrajectensis, aliorumque vicinorum, Frisiæ, intra flumina *Ens* & *Laurens* * convenire sibi intellexerint, strictiori fœderis vinculo sese mutuo ligare, non quod sese velint à dicta Pacificatione Gandavensi separare, sed ut potius ei addatur robur, meliusque sibi in posterum caveant à damnis & incommodis, in quæ per stratagemata ab hostibus intentata, eorumque arma, possent incidere, sciantque quod in similibus occasionibus sibi sit agendum, & quomodo sese ab hostibus defendere queant, atque etiam occurratur ulteriori Provinciarum, earumque partium separationi. Hac de causa manente prædicta Pacificatione Gandavensi in suo vigore, Deputati dictarum Provinciarum, plena muniti potestate, hosce articulos conclusêre ac subscripsêre, nolentes tamen hanc ob causam sese eximere ac separare ab Imperio Romano.

Specialis Unio inter Hollandiam, aliasque Provincias.

„ Astringunt, ligant, & conjungunt sese dictæ Provinciæ vinculo indissolubili, juvabuntque se invicem omnibus modis ac formis, tamquam si forent una sola Provincia, nec umquam sinent se separari vel dividi testamento, codicillis, donatione, resignatione, alienatione, venditione, tractatione pacis, aut matrimonii, ullamque aliam ob causam; ac manebunt interim omnibus prædictis Provinciis earumque incolis ac membris integra omnia sua Privilegia, Libertates, Statuta, Exemptiones, Consuetudines, Usus, cæteraque omnia jura specialia & particularia, contra quæ non solum non licebit uni alteri inferre quidquam molestiæ vel incommodi ac detrimenti, sed è contra tenebuntur adjuvare invicem quibuscumque poterunt modis, imò bonis, vitâque ipsa si fuerit necesse corroborando, conservando, defendendo se contra omnes, & qualescumque, qui aliquo modo dicta jura volent infringere, & quantum attinet ad peculiares quasdam controversias, quas ea de re inter se habent, aut habere deinceps poterunt, quidquid id fuerit, decidetur via justitiæ ordinaria, aut per arbitros, transactionesque voluntarias, neque licebit aliis Provinciis, civitatibus, earumque „ mem-

* *Lege*: Eemsende Lauwers. *Amasus & Lavica*.

„ membris, miscere sese dictis querimoniis justitiæ dedicatis, 1579.
„ nisi eas componendi causâ.

„ XIV. Prædictæ Provinciæ virtute hujus unionis & con-
„ fœderationis, tenebuntur juvare sese invicem vita bonisque
„ contra violentias, omniaque alia damna, quæ inferri ipsis
„ possint prætextu Regis, vel ab ipsomet Rege, Pacificatio-
„ nis Gandavensis causa, bellique gesti contra Dominum
„ *Joannem Austriacum*, aut in Gubernatorem assumpti Archi-
„ ducis *Matthiæ*, quæque inde dependent, easque ob causas
„ acta fuère, & adhuc fient, etiamsi prætexatur titulus in-
„ staurandæ Religionis Catholicæ Romanæ, vel nova aliqua
„ causa ac alterationes factæ in aliquibus dictarum Provin-
„ ciarum, earumque civitatum ac membrorum anno abhinc
„ millesimo quingentesimo, quinquagesimo octavo, vel ob
„ hanc unionem ac confœderationem, sive alia similia idque
„ vel generali assensione vel particulari.

„ XV. Tenebuntur similiter dictæ Provinciæ adesse sibi
„ invicem, contra omnes Regulos, Duces, Principes, Re-
„ giones, Provinciarum civitates, aliaque earum membra,
„ quæ aut generaliter aut particulariter quidquam molestiæ,
„ violentiæ, injuriæ, ac damni, vel bellum ipsis volent in-
„ ferre, excepta tamen qualitate mutui ad id subsidii, Ge-
„ neralitati dictæ confœderationis, ut melius provideatur
„ prædictarum Provinciarum securitati, civitates illæ, quæ
„ in finibus sitæ sunt, egentque ulteriori aliquâ munitione,
„ munientur mandato publico, fietque id media ex parte
„ sumptibus ipsarum civitatum ac Provinciarum ubi sitæ sunt,
„ contribuetque generalis ista confœderatio alteram partem.
„ Si vero expedire videtur castella quædam extructa dirrui,
„ vel nova extrui, id omnino fiet sumptu Generalitatis.

„ XVI. Utque sit unde sumptus omnes ad defensionem
„ earumdem Provinciarum necessarii fieri possint, constituen-
„ tur in unaquaque Provincia, uno eodemque modo vecti-
„ galia in vina, cerevisias internas & externas, omne genus
„ frumentorum, leguminumque tam integrorum quam molis
„ contritorum, sal, pannos, ex auro argentoque textos, ani-
„ malia macellis destinata, equos, boves, vendendos aut com-
„ mutandos, bona ponderi subjecta, omniaque alia, de quibus
„ communi Provinciarum voto fuerit conventum quorum di-

1579. „ ctorum vectigalium collectatio, per spatium trium mensium „ publica auctione conducenda, dabitur illi, qui majorem „ pecuniæ summam pro ea obtulerit, fietque super eo per „ dictas Provincias edictum publicum, ad cujus tenorem ac „ normam omnia hæc dirigentur. Applicabuntur etiam ejusdem necessitatibus omnia bona Regia, sed hoc deductis debitis quibus invenientur onerata.

„ XVII. Dictorum vectigalium augmentatio vel diminutio „ fiet, prout exiget rerum necessitas, & inservient defensioni „ communi, iisque rebus quæ Generalitatem concernunt, „ nulloque modo in alios usus convertentur.

XVIII. Tenebuntur oppida quæ in finibus sunt, admittere „ citra ullam difficultatem præsidia, prout iisdem Provinciis „ unitis placuerit, regenturque à Præfectis Provinciæ, solventur tamen eorum stipendia à Generalitate, & ultra jusjurandum quod præstiterint, particulariter illud etiam præstabunt civitati, vel civitatibus & Provinciæ, fietque ejus „ mentio in libello, cui hæ conditiones inscribentur, atque „ ita se gerent milites, ut nec aliis civitatum, ubi præsidia „ agent, incolis sive ecclesiasticis sive sæcularibus ulla inferatur injuria, neque in vectigalibus plus exemptionis eis „ promittetur quam illis aliis. Generalitas Unionis solvi „ curabit hospitia ubi degent, uti hactenus apud Hollandos „ consuetum.

„ XIX. Et ut per suos indigenas atque incolas possit in re „ bellicâ juvari Generalitas, uniuscujusque Provinciæ incolæ, „ qui octodecim annos attigerint, & non excedunt sexagesimum, capitatim scripto censebuntur, ut cognitis omnibus, „ eorumque numero in prima Provinciarum congregatione „ ordinetur id, quod ad earum tuitionem ac securitatem „ magis videbitur convenire.

„ XX. Numquam agetur de induciis, pace, nec bello, „ neque de vectigalibus imponendis, nisi consensu, ac communi confœderatorum voto. Sed quantum ad alia quæ gubernationem bonamque confœderationis directionem spectant, fiet id majori votorum numero, collectatione facta, „ eo ipso modo, quo in Ordinibus uti consuetum, donec per „ confœderatos aliud fuerit decretum. Proinde si controversiæ „ de iis rebus quæ ad inducias, pacem, bellum, vel impo-

„ sitio-

„ sitiones attinent, non queant revocari ad concordiam, 1579.
„ tunc remittentur illæ controversiæ provisionaliter Provinciarum locum tenentibus *, qui in præsentia sunt, ut aut opiniones ad concordiam ducant, & si nec illi inter se convenire queant, tunc adjungant sibi alios aliquot neutrales, quos voluerint; & tenebuntur partes sequi, quod super eosdem locum tenentes fuerit decretum.

„ XXI. Nullæ Provinciæ, Civitates, membranæ † illarum poterunt pacisci, vel fœdera inire, cum aliquibus Regulis vel Regionibus vicinis, citra confœderatorum consensum.

„ XXII. Si aliqui Principes, Reguli, Regiones, vel Civitates vicinæ huic confœderationi voluerint adscribi ac conjungi, admittentur communibus votis.

„ XXIII. Provinciæ confœderatæ gerent se in re monetali uti communi omnium voto scripto fuerit decretum, qua in re nulli licebit seorsum quidquid mutare.

„ XXIV. Quantum ad Religionem attinet, gerent se Hollandi ac Zelandi, uti eis videbitur: Reliquæ vero Provinciæ poterunt quantum ad Religionem, tenorem pacis per Archiducem *Matthiam* Belgii Gubernatorem ac Præfectum generalem constitutæ, opinione votisque Concilii Status, Ordinumque generalium, aut aliter super eo statuere, quod magis sibi, suæque securitati, tam pro ecclesiasticis, quam laicis, expedire intellexerint, nec licebit aliæ Provinciæ, ullam ea de causa eis inferre molestiam vel impedimentum, manente libera unicuique in Religione voluntate, ita ut nullus possit in eo reprehendi aut molestari, quemadmodum per Pacificationem Gandavensem fuit constitutum.

XXV. Manebit juxta tenorem dictæ Pacificationis, monachis, & omnibus ecclesiasticis, liber usus bonorum, quæ respectivè habent in Provinciis confœderatis, & si aliqui eorum, qui sub ditione Hispanorum agebant, receperint se in Hollandiam ac Zelandiam, dabitur talibus sufficiens alimentatio ad sustentandam vitam, uti etiam fiet iis, qui ex Hollandia & Zelandia receperint se ad Provincias confœderatas.

* *Stadthouders.* † *Lego:* Membrave. *Of Eenige Leeden.*

1579. „ XXVI. Idemque fiet illis, qui ex iis Provinciis aut jam „ excesserunt, aut etiam excedere volent ex suis monasteriis, „ idque de bonis suorum monasteriorum vel conventuum „ pro rata eorumdem valoris. Illis verò quibus post hujus „ edicti publicationem, dedere sé contigerit vitæ monasticæ, „ & postea eam dereliquerint, nulla dabitur alimentatio, „ sed poterunt secum efferre quidquid eo intulerint. Cæte-„ rum omnes qui in præsentiarum in monasteriis degunt, „ aut deinceps eò se conferent, fruentur prædictâ Religionis „ libertate, & poterunt ad libitum aliis uti vestimentis, dum „ in cæteris obediant suis præfectis, ac superioribus.

„ XXVII. Si contingerit (quod Deus avertat) oriri inter „ dictas Provincias aliquam controversiam aut dissensionem, „ de qua non possunt inter se convenire, si ea fuerit tantum-„ modo singularis unius Provinciæ, tunc generaliter omnes „ aliæ, aut earum deputati eas controversias dissensionesque „ decident, si vero generalis fuerit omnium, tunc id ipsum „ facient locum tenentes, sicut supra statutum articulo nono, „ & debebit illud fieri, aut partes ad concordiam reduci, „ spatio unius mensis post partium petitionem, aut citius si „ necessitas postulet, & quidquid aut per Provincias, earum-„ que deputatos, aut per locum tenentes super eo decre-„ tum fuerit, id pro firmo & absoluto habebitur, ita ut nulla „ valeat ulterior partibus juris instantia, sive per appellatio-„ nem, revisionem, sive alio quovis modo, quo ante uti „ fuerit consuetum.

„ XXVIII. Provinciæ, Civitates, earumque membra, nul-„ lam belli præbebunt occasionem Principibus, Regulis, Re-„ gionibus & Civitatibus exteris, utque huic incommodo „ exactius provideatur, tenebuntur omnibus sive suis, sive „ exteris administrare plenam justitiam. Et si contigerit illud „ ab aliquibus non fieri, reliqui confœderati curabunt uti „ fiat, ac studebunt, ut omnia ea quæ justitiæ obstant, „ ejusque executionem impediunt, rescindantur, ac abo-„ leantur juxta Privilegia & Consuetudines uniuscujusque „ Provinciæ.

„ XXIX. Nullæ Provinciæ, Civitates, vel illarum mem-„ bra poterunt in damnum alterius, citra consensum com-„ munem imponere nova aliqua vectigalia, tributa, alia-

„ que

„ que ſimilia pluſque oneris aliarum Provinciarum incolis 1579.
„ quam ſuis.

„ XXX. Ut melius deinceps rebus provideri poſſit, tene-
„ buntur confœderati Trajectum * præſcripto die ſe trans-
„ ferre, ubi accerſiti fuerint ab eo, cui hoc ex officio in-
„ cumbet, ut ibi de iis rebus quarum cauſa fuerint vocati
„ (quod in litteris in eum finem expediendis ſi fieri poterit,
„ & caſus id permiſerit, explicabitur) communibus om-
„ nium votis aut majori ſuffragiorum parte tractetur ac
„ ſtatuatur, prout magis rebus publicis convenerit, at-
„ que etiamſi non omnes eo ſe contulerint, poterunt præ-
„ ſentes rem ad concluſionem perducere, & quod ſic
„ fuerit concluſum ac decretum, obſervabitur, dummodo
„ non ſit de re magni momenti, quæque dilationem aliquam
„ admittat, quo caſu denuo convocabuntur ad certum alium
„ diem, & qui prima vice non venêre, ſub pœnâ perdendi
„ ſuum votum illa vice, & tunc ratum erit quidquid ſtatue-
„ tur, etiamſi adſint † aliqui ex dictis Provinciis. Qui
„ tamen ob incommoditatem non comparuerint, poterunt
„ ſcripto opinionem ſuam ſignificare, ut in collectione ſuf-
„ fragiorum ejus quoque habeatur ratio, & in iſtum finem
„ omnes confœderati, & unuſquiſque eorum, ſimul atque
„ eis innotuerit aliquid unde dependet aut ſalus, aut perni-
„ cies publica, tenebuntur, ſcripto illud ſignificare iis,
„ quibus cura incubuerit prædictæ convocationis, ut con-
„ vocare poſſint alios.

„ XXXI. Si hoc inſtrumento inventa aliqua fuerit obſcuri-
„ tas, ex qua poſſit naſci controverſia, remittetur earum in-
„ terpretatio confœderatis, qui votis, & conſenſu omnium,
„ ſuper eo ſtatuent, prout convenire intellexerint, & ſi eos
„ inter ſe diſcrepare acciderit, referetur de controverſiis ad
„ dominos; locum tenentes Provinciarum, ut ſupra.

„ XXXII. Si neceſſarium fuerit augere aut immutare arti-
„ culos hujus unionis ac confœderationis in quibuſdam ſuis
„ punctis, fiet etiam hoc omnibus confœderatorum votis ac
„ conſenſu, & nequaquam aliter.

„ XXXIII. Promiſêre, promittuntque dictæ Provinciæ
„ quod

* *Intellige*: Ultrajectum. † *Lege*: abſint.

1579. „ quod observabunt & observari facient prædicta puncta, „ articulos, atque unamquamque eorum partem, nec umquam „ ullo modo contra eos agent, aut agi permittent directé „ vel indirecté, & si per aliquem quidquam contra eos fue- „ rit tentatum, declarant id nullius etiam valoris, obligan- „ tes sese generaliter, omnes incolas * harum Provinciarum, „ civitatum, ac membrorum, personas, bonaque, ut possint „ ob quamvis horum articulorum infractionem capi, detineri „ & conveniri, quocumque in judicio, & ante quemvis Do- „ minum ubi inventi fuerint. Renuntiantes in hunc finem „ omnibus exceptionibus, gratiis, Privilegiis, restitutioni- „ bus in integrum, & generaliter omnibus aliis, juris bene- „ ficiis, quibus aliquo modo contra id quod dictum uti „ possint, & speciatim juri quo cavetur non valere genera- „ lem renuntiationem, nisi præcesserit singularis.

„ XXXV. Utque etiam Provinciarum securitati magis ca- „ veatur; tenebuntur Domini locum tenentes, præsentes & „ futuri, Magistratus, ac præcipui Ministri uniuscujusque „ Provinciæ, civitatum, membrorumque, jurejurando pro- „ mittere sese observaturos, atque observari curaturos, hanc „ unionem & confœderationem, singulósque ejusdem articu- „ los: uti similiter idem jurejurando promittent omnes „ confraternitates, & collegia quæ in omnibus harum Pro- „ vinciarum civitatibus ac locis existunt.

XXXVI. Conficientur de hisce omnibus instrumenta in „ debita forma, quæ sigillo munientur dictorum locum te- „ nentium, aliorumque præcipuorum membrorum ac civita- „ tum ad id â cæteris specialiter deputatorum, & subscriben- „ tur respective ab eorum Secretariis. “

XXXVII. Fuêre qui hisce tunc interfuerunt, atque hæc puncta, articulósque concluserunt, deputati Gueldriæ, & Zutphaniæ, earumque locum tenens *Joannes de Nassau*, *Auraici* frater, cæterique delegati â Populo; deputati etiam Hollandiæ, Zelandiæ, Trajecti, cæterarumque ibi vicinarum partium, ad id plena authoritate muniti. Addita postea fuit his articulis conclusis, singularis sequens declaratio super articulo decimo tertio.

XXXVIII.

* *Lego*: & omnium incolarum, &c.

„ XXXVIII. Cum videantur quidam dubitare, quomodo „ sit intelligendus articulus decimus tertius *, sibique per- „ suadeant, exclusos omnes illos qui noluerint admittere „ usum libertatis Religionis statutum ab Archiduce *Matthia*, „ ex voto Consiliariorum apud eum tunc temporis existen- „ tium, Ordinumque generalium: hanc ob causam, ut quan- „ tum ad id attinet nullus ulterius restet scrupulus. Deputati „ qui confœderationem hanc confecêre, dicunt ac declarant, „ ea se nequaquam fuisse mente, ut excluderentur confœde- „ ratione illi, qui solam profitentur Religionem Catholicam „ Romanam: omnes enim tales, sive Provinciæ sint, sive „ civitates, admittuntur in confœderationem, dummodo etiam „ in reliquis ejusdem confœderationis articulis sese astrin- „ gant, & ut bonos Patriotas decet, gerere sese velint, ea „ enim est publicæ hujus resolutionis mens atque sententia, „ ut nulla nec Provincia, nec civitas in materia Religionis „ curam alterius habeat, atque ita exactius inter omnes con- „ servetur pax, & concordia publica, omnisque discordiæ „ & dissensionis occasio præcidatur." 1579.

XXXIX. Seorsim deinde fuit declaratum super articulo decimo quinto †, ubi tractatur de alimentatione danda illis ecclesiasticis, qui ob causam Religionis deseruêre, aut adhuc sunt deserturi monasteria, in quibus agebant, & an possent, (ut jam tum videbantur velle) adipisci hæreditatem, & succedere in bonis, parentum, fratrum, suorum, aliorumque consanguineorum, post mortem derelictis, aut adhuc derelinquendis, eorumque etiam, quæ possident pro vita, titulo donationis, aut alia quavis resignatione, aut alienatione, ac post obitum securitate, unde multæ oriri ac nasci possent querelæ & lites.

„ XL. De hisce statuêre, omnes actiones judicialiter jam „ intentatas, quasque inposterum intentare partes vellent, „ suspendi, donec per confœderatos, aliosque, qui huic „ confœderationi adjungere sese vellent, interventione deni- „ que Magistratuum, si necessitas postularet, aliter sit statutum."

XLI. Adjunxêre sese huic confœderationi paulo post per particulares Deputatos Trajectum missos, Gandavenses, Brugen-

* Qui est sup. N. XXIV. † Sup. N. XXVI.

1579. genses, Iprenses, Antverpia, Breda ac *Comes de Rennenburh*, Phrisiæ ac Transilvaniæ Provinciæ Præfectus, cum omnibus ditionibus suæ Præfecturæ, quibus mediis sagaciter præventum, ne exemplum earum Provinciarum, quas ad reconciliationem cum Rege jam versas ante diximus, insequerentur aliæ, uti insecutæ sunt. Solus tandem in Martio anni millesimi quingentesimi octuagesimi, *Comes de Renneburch*, renuntiata ac derelicta confœderatione illa Trajectensi, ad partes Regias rediit, quo non ita diu post defuncto, in ejus locum à *Parmensi* supra sæpe nominatus suffectus (est) *Franciscus Verdugo*.

Tractatus pacis universalis habitus Coloniæ instante Imperatore, sed sine successu.

XLII. Tractationis de Belgii universali pace eo anno Coloniæ Agrippinæ habitæ, hic in summâ qui sequitur cursus fuit & exitus. *Rudolphus* ejus nominis secundus Romanorum Imperator prudenter secum reputans Belgium celeberrimum suæ familiæ antiquum patrimonium, obstinatis contra dominum suum seditionibus in præceps agi, nec non fratris Matthiæ indignè inter eos occupati, opinioni consultum cupiens, tam serio jam dudum cum Hispaniarum Rege, Auraico, Ordinibusque Belgii generalibus tractari curaverat, ut eodem Rege libenter annuente, & Ordinibus non abnuere ausis, tandem ipso per legatos suos præsente intercessore partes prout supra, brevi ad eamdem civitatem se contulerint, atque ibi de pace prædicta agere cœperint.

XLIII. Erant Deputati Cæsaris *Jacobus* (1) Trevirensis, *Gebbardus* (2) Coloniensis, Archiepiscopi, Sacri Romani Imperii Principes Electores, *Julius* (3) Herbipolensis, Dux Franconiæ; Ex parte Ducis Juliacensis *Vernerus* Dominus *De Gymmenich* (4) *Otto Henricus* Comes De Zwartzenburch, de quo alibi facta mentio, Et nomine Regis Catholici *Carolus ab Arragonia Dux Terræ Novæ*, ad quem jussu *Parmensis* missi sæpius nominati Dominus *De Vaulx* (5) *Assonvilius*, & *Fonckius*,

(1) *Jacobus ab Els*, electus an. 1567.

(2) *Gebbardus Truchses*, idem ille qui pòst, ductâ *Agnete Mansfeldii* in uxorem, Electoratum & sedem Coloniensem amisit.

(3) *Julius Echter de Mespelbruun*, qui fundata a se Academia Herbipolensi, obiit. an. 1617.

(4) *Wernerus*, Dominus *de Gemnick*, Drossardus Juliacensis.

(5) *V. sup. lib. 4. ad. N. XLIII.*

kius, ut eum toto tractationis tempore re & consilio juvarent. 1579.
Ex parte Archiducis *Matthiæ*, atque Ordinum *Philippus* Dux Arschotanus, *Joannes De Linden* Abbas Divæ Gertrudis Lovanii, *Fredericus De Yue* Abbas Marolensis (1) *Bucho Ayta* (2) Præpositus Divi Bavonis Gandavi, *Gaspar Schetus* (3) Dominus *De Grobbendoncq*, *Franciscus De Oignies*, Dominus *De Beaureper*, *Adolphus Meetkercke* (4) *Adrianus van der Milen* (5) *Bernardus De Merode* (6) Dominus *De Rumen*, *Adolphus à Goer* (7) Dominus *De Laldenbourgh*, *Aggeus De Alba-*

(1) *Fredericus d'Yne* Abbas Maricolensis, vulgò *Maroilles*.
(2) Hic quoque aliquod, ut vides, nomen in Rep. gessit. Videtur Sylvæducis obiisse. *Sweertius* enim in *select. orbis deliciis edit. anni* 1625. Inter Sylvæducensia epitaphia, quæ in *S. Joannis Evang.* templo primario exstent, retulit quod sequitur:

Quisquis es, collige te, & pauca hæc lege.
Nob. ac R. D. BUCHO AITA
* Vigilii Præsidis Nep. (* Vigilii)
** Sic conditus est: (** *Numquid*: Hic.)
Quem immensis ob fidem Catholicam
procellis jactatum,
Vigili Religionis ac Reipublicæ cura
Hispaniarum regibus carum,
Clero, Magnatibus, S. P. Q. Gand. gratum,
Invida sors & præmatura mors
Fido hoc in portu collocavêre
Quandoque exiturum.
Reverendissimus D. CAROLUS PHILIPPUS
DE RODOAN, Berlegemius, Episc. Brugensis,
FOLCARDUS A SUICHEM Canon. & Cantor Gand.
THOMAS GRAMMAYE Archiducum †
Commissarius; Executores, († Alberti & Isabellæ.)
Desiderii sui solatium esse voluerunt.
Obiit anno CIↃ. IↃ. XCIX. Octob. die XXX.

(3) *Gaspar Schetz*, D. de Grobbendonck, & Wesemael, Thesaurarius Regius.
(4) *Adolphus van Meetkercke*, senator in Consilio Status.
(5) *Adrianus van der Myle*, senator ac præses Consilii provincialis Hollandiæ in Haga Comitis, de quo sæpius.
(6) Hic Coloniæ morabatur.
(7) *Adolphus van Goer*, Dominus de Caldenbroeck.

1579. *Albada*, * & duo alii †, qui agebant Coloniæ, sed non ibi comparuit Dominus *De Beaureper* incola Artesiæ, ab reconciliationem singularem, de qua tunc temporis inter eam Provinciam & Regem agebatur. Exhibitæ primis diebus Commissariis Cæsaris, partium procurationes, disputatumque aliquantulum super aliquot imperfectionibus in procuratione Ordinum contentis. Conquerebantur illi, quod dum ibi insignis ille conventus esset institutus, ut de universali Belgii pace ageretur, interea temporis Princeps *Parmensis* peculiarum quarumdam Provinciarum conventum moliretur: factaque præterea aliqua mentio induciarum, sed incassum. Cùmque etiam esset disputatum, utra partium prior sua mandata proponeret, tandem Legati Ordinum proposuêre hæc quæ sequuntur.

„ XLIV. Conceditur utrimque perpetua oblivio omnium „ eorum quæ acta sunt à tempore primorum motuum, „ & causâ eorum, quocumque loco & modo, tam generali- „ ter quam particulariter, ita ut eorum nulla amplius fiat „ mentio, exprobratio, aut inquisitio, veluti si numquam „ ea accidissent.

„ XLV. Rex Catholicus habebit ratum ac gratum, quid- „ quid factum, contractum, constitutum, decretum, con- „ clusum, definitum, provisum, collatum, aut quoquo modo „ actum est per Serenissimum Dominum Archiducem Austriæ „ *Matthiam*, Consilium Status, Ordinesque Generales ac Par- „ ticulares, tam quæ concernunt res Bellicas atque Politicas.

* *Lege*: promittet.

„ XLVI. Rex permittet * rata habere & tenore præsen- „ tium rata habebit, non modo omnia Privilegia, Jura. Usus, „ antiquasque Consuetudines, cujuscumque Provinciæ, Civi- „ tatis, ac territorii, verum etiam consentiet ac concedet, „ quod

* Friso, Jurisconsultus eximius, antea Cameræ Imperialis Spiræ assessor, *Viglii* & *Hopperi* affinis, qui Coloniæ privatus vixit, religioni prætense-reformatæ addictus.

† Hos *alios duos* nullibi offendi, nisi adnumerandus sit Nuntius Apostolicus *N*, *Castaignet*, Archiepiscopus Rossanensis, quem *Borrius* adfuisse scribit *lib*. 13. *fol*. 103. *V°* *col*. 2. Qui & addit, legatis Regiis *Urbanum Scharenbergerum*, & legatis *Matthiæ* Archiducis ac Ordinum, *Joannem van Kessel*, Secretarios.

„ quod omnes Provinciæ generaliter, & quælibet earum 1579.
„ singulatim poterunt frui, & fruentur Privilegiis Brabantiæ, videlicet ut liberati sint à suis juramentis & fidelitate ni Princeps observet omnia antedicta Privilegia, Usus, & Consuetudines, secundum quod Privilegium, si contingat eadem Privilegia, Consuetudines aut articulos hac in pace conclusos infringi, dictæ Provinciæ erunt generaliter liberatæ à suo jurejurando, poteruntque eligere talem gubernatorem vel Principem qualis ipsis videbitur, tam ut omnes Provinciæ quæ ad istud æqualiter sint privilegiatæ, quam etiam quod secundum jus & rationem (cum jusjurandum & obligatio Principis & subditorum sint reciproca) sine alio Privilegio id liberum sit.

„ XLVII. Omnes milites Hispani, Itali, Burgundiones, Germani, Galli, Angli, Scoti, omnesque alii extranei, indifferenter utriusque partis, discedent, ex Provinciis Belgicis inter terminum sex hebdomadarum. Interea tamen Princeps *Parmensis* deseret continuo oppida & loca, quæ occupat vel detinet post acceptum Namurcum; utpote sunt arx ex civitas Namurcensis, Carolomontium, Bovina, Philippevila, Lovanium, Leeua, Diestum, & alia, eaque reddet Ordinibus, una cum tormentis bellicis, munitionibus & commeatu, & in eorumdem extraneorum locum collocabuntur in oppidis & arcibus, ubi expedire videbitur; milites naturales Belgii, qui steterunt à partibus Ordinum, idque consensu & approbatione Ordinum Generalium, & speciatim Provinciæ ubi collocabuntur.

„ XLVIII. Qui quidem milites præter fidelitatem quam jurabunt Regi Catholico, ut Provinciarum Principi, & legitimo Domino, jurabunt etiam fidelitatem Patriæ, Ordinibusque Generalibus ac Particularibus Provinciarum, quas ingredientur, atque etiam observationem articulorum qui in hac pace sunt conclusi.

„ XLIX. Omnes captivi utriusque partis liberabuntur sine aliquo pretio redemptionis, si modo ante hujus pacis communicationem aliter non convenerit, ita tamen ut teneantur respectivè expensas solvere, tenebuntur etiam satisfacere suæ promissioni.

„ L. Et quia *Comes Buranus* * extra oppidum & Academiam

* *Philip-*

„ miam

1579. „ miam Lovanienſem ſine cauſa extractus eſt, vectuſque ex „ Belgio, contra Privilegia dictæ Academiæ, ac Ducatus „ Brabantiæ, idem Comes ſtatim reſtituetur in libertatem, „ & remittetur in urbem Antverpiæ, infra duorum menſium „ ſpatium.

pus Guilielmus, Guilielmi Principis Auriacenſis filius.

„ LI. Cuilibet utriuſque partis reſtituetur & revertetur in „ ſua bona immobilia, non obſtante quacumque alienatione „ facta à tempore Pacificationis Gandavenſis, atque etiam in „ bona mobilia non diſtracta aut alienata.

„ LII. Fiet etiam reſtitutio bonorum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, aliiſque locis, ubi Pacificatio Gandavenſis non fuerit adimpleta, tam eccleſiaſticis, Principi „ *Auraico*, quam omnibus aliis juxta dictam Pacificationem.

„ LIII. Omnes naturales Belgii utriuſque partis, poterunt „ libere in Belgium reverti, ibique habitare ea lege, ut præſtent juramentum fidelitatis, tam Regi, quam Patriæ, & „ Ordinibus generalibus & particularibus, atque adeo ſeſe „ obſervaturos omnes Articulos hujus Pacis.

„ XIV. Pacificatio Gandavenſis manutenebitur & obſervabitur.

„ LV. Item in iis Provinciis, civitatibus, & locis, ubi „ Religio quæ dicitur Reformata, Confeſſio Auguſtana, vel „ Pax Religionis (dictæ *Religions Freed*) recepta eſt, omnia „ permanebunt in ſuo ſtatu, ita ut à neutra parte contravеniri poſſit, qua in re nulla debet fieri difficultas, alioquin „ impoſſible eſt, modum viamque bonæ & ſecuræ pacis, „ tranquilitatis, & quetis publicæ invenire, & ſi quis inpoſterum vellet alium ordinem inſtituere, hoc nihil aliud eſſet „ quam motus inchoare, & novas calamitates ac ruinas reducere, abigendo inunmeros homines, qui ſecum aliò transportarent univerſam harum ditionum negotiationem & opificia, & conſequenter omnem Belgii proſperitatem, ut ſuperiorum annorum experientia docuit: cum etiam certum „ ſit, inhabitatores Belgii non eſſe diſpoſitos, ut ſinant ſe „ fugari extra ſuam Patriam, atque ita redigi ad extremam „ inopiam, in quam neceſſario incidunt, cum privantur ordinaria ſua mercatura, opificio, aliiſve muneribus, officiis, „ aut vacationibus, quorum beneficiis ſeſe cum uxoribus & „ liberis ſuſtentare ſolent.

„ LVI.

„ LVI. Gubernatio generalis Belgii manebit penes sereniſ- 1579.
„ ſimum Archiducem *Matthiam*, iis conditionibus, quas ju-
„ ravit; quem ſi contingat decedere, aut forte ſeſe alio velit
„ transferre, Regia Majeſtas non poterit committere alium
„ gubernatorem, niſi gratum Ordinibus ex ſuis ſcilicet liberis,
„ aut conſanguineis legitimis, qui tenebitur jurare eoſdem
„ articulos ac conditiones quibus receptus fuerit dictus Do-
„ minus Archidux.

„ LVII. Nulli impoſterum admittentur ad gubernacula
„ Provinciarum, civitatum, arcium, & caſtellorum, militum
„ præfecturas; neque ad Conſilia Status, Secretum, aut Fi-
„ nanciarum, aut alia officia magni momenti, niſi naturales
„ Belgii, & bene idonei, qui ſteterunt à partibus Ordinum,
„ ut ſupra, & grati ſint Provinciis & civitatibus, ad quas
„ mittentur. Qui antequam admittentur, tenebuntur ſole-
„ mniter jurare hanc pacem, eamque ſeſe inviolatè tutaturos
„ ac obſervaturos, ipſaque idem Privilegia, Conſuetudines,
„ Jura & Uſus generales & particulares Belgii; ac jurejurando
„ ſeſe adſtringent, ſi reſciſcant aliquid tractari in ejus præ-
„ judicium, quod eâ de re certiores reddent Ordines genera-
„ les & particulares Provinciarum, quod ni faciant, pro
„ perjuris habendos eſſe.

„ LVIII. Quia verò Belgium in has calamitates & miſe-
„ rias, ortas ex bello, quod natum ex infractione Pacis à
„ quondam Domino *Joanne Auſtriaco*, incidit, quodque
„ etiam Ordines coacti fuerunt exponere magnas ſummas
„ pecuniarum Colonellis, Capitaneis, & militibus, quorum
„ ſolutio privatim ad Regem pertinebat, ea ſpe, ut in futu-
„ rum Belgium in tranquillitate conſervaretur, Sua Majeſtas
„ Catholica Ordinibus reſtituet eam ſummam, quam militum
„ ſtipendiis impenderunt ad minus ad decies uſque centena
„ millia coronatorum, eoſque exonerabit à reliquis obliga-
„ tionibus, quas dictis militibus dederunt, quia conditiones,
„ quibus eæ pecuniæ promiſſæ fuere, non ſunt adimpletæ.

„ LIX. Et quia Ordines ſunt obligati Sereniſſimæ *Reginæ*
„ *Angliæ* ob ſinceram amicitiam, vicinitatem & auxilium quod
„ illis præſtitit ad utilitatem publicam, ipſa comprehendetur
„ reciproce in hoc tractatu, in confirmatione antiquorum
„ fœderum perpetuo conſervatorum inter Principes, tam ejus

1579. „ Regni quam Belgii. Similiter comprehendetur in hoc tractatu Illustrissimus *Dux Andegavensis* Regis Christianissimi frater, tamquam defensor libertatis Belgii, cum recognitione quam Ordines ipsi promiserunt proponere ac concludere, quoniam tam liberaliter atque heroicè operam navavit in eorum defensionem ac conservationem, uti etiam comprehendentur omnes alii confoederati dictorum Ordinum.

„ LX. Supplicabitur Suæ Cæsareæ Majestati, Regi Christianissimo, Reginæ Angliæ, Duci Andegavensi, defensori libertatis Belgii, omnibus Principibus Electoribus Germaniæ, Duci Juliacensi, tamquam studiosis utilitatis ac tranquillitatis Reipublicæ Christianæ, ut illis placeat efficere, ut hic tractatus in omnibus suis partibus compleatur, & inviolatè observetur.

„ LXI. Hic tractatus reciprocè jurejurando solemni super sancta Evangelia præstito confirmabitur, & à Rege approbabitur infra duorum mensium spatium, aut citius si fieri queat.

„ LXII. Super his propositis articulis, cum eos supra modum irrationales & duros, remotosque valde à prioribus pactis ac conventibus, commissarii invenissent, multa cum Ordinum Legatis egêre, ut ad magis æquas conditiones venirent, ad quæ posteaquam ipsi ad justificationem dictorum articulorum, multa dictis commissariis proponi curassent, tandem alios novos, quos planè mitius, nullaque rejectione dignos existimabant, denuò proposuere, persistentes semper in eo uti fierent induciæ.

„ LXIII. Conceditur utrimque perpetua oblivio omnium eorum quæ facta sunt tempore primorum motuum, & causa illorum quocumque modo aut loco, tam generaliter quam particulariter, ita ut illorum nulla amplius fiat mentio, exprobratio, aut inquisitio, quasi ea numquam acciderint.

„ LXIV. Rex Catholicus habeat ratum quidquid factum, contractum, decretum, conclusum, definitum, provisum, collatum, aut quoquo modo actum est per Serenissimum Dominum Archiducem Austriæ *Matthiam*, Consilium Status, atque Ordines, tam ea quæ concernunt res Bellicas, quam Politicas.

„ LXV. Rex etiam promittet rata habere, & tenore præ-

„ sen-

„ fentium rata habebit omnia Privilegia, Jura, Usus, antiquasque Consuetudines cujuscumque Provinciæ, civitatis, & communitatis. 1579.

„ LXVI. Omnes milites Hispani, Itali, Burgundiones, Germani, Galli, Angli, Schoti, omnesque alii extranei, indifferenter utriusque partis, excedant ex ditionibus Belgicis intra terminum sex hebdomadarum. Interea tamen Princeps *Parmensis* deseret statim oppida & loca quæ occupat vel detinet post occupatum Namurcum, utpote arcem & civitatem Namurcensem, Carolomontium, Bovinum, Philippevilam, Lovanium, Leeuam, Diestam, & alia, eaque reddet Ordinibus, una cum tormentis bellicis, munitionibus, & commeatu; & in eorumdem extraneorum locum collocabuntur, in oppidis & arcibus, ubi expedire videbitur, milites naturales Belgii, idque consensu & approbatione Ordinum generalium ac notanter ejusdem Provinciæ ubi collocabuntur.

„ LXVII. Ubi autem Hispani & exteri exierint, oppidaque, arces, & loca restituta fuerint, sicut dictum est, exauthorentur etiam atque exeant omnes exteri, qui Ordinibus militant, supradicti quoque milites naturales, antequam ingredientur civitates aut loca munita, præter fidelitatem quam jurabunt Regi Catholico, ut Provinciarum Principi ac legitimo Domino, jurabunt etiam fidelitatem Patriæ, Ordinibusque generalibus & particularibus Provinciarum quas ingredientur, ac speciatim se observaturos articulos in hac pace conclusos.

„ LXVIII. Omnes captivi utriusque partis liberabuntur sine aliquo pretio redemptionis, si modo ante hujus pacis communicationem aliter non convenerint, ita tamen ut teneantur expensas solvere, si qui etiam ante hanc communicationem promiserint redemptionis pretium solvere, tenebuntur pactis stare ac promissis satisfacere.

„ LXIX. Et quia *Comes Buranus* extra oppidum & Academiam Lovaniensem sine causa extractus est, vectusque ex Belgio contra Privilegia tam dictæ Academiæ, quam Ducatus Brabantiæ, idem Comes statim restituetur in libertatem & remittetur Antverpiam intra terminum trium mensium.

1579. „ LXX. Quilibet utriusque partis restituetur & revertetur „ in sua bona immobilia, non obstante quacumque alienatio- „ ne facta à tempore Pacificationis Gandavensis, atque etiam „ in bona mobilia non distracta vel alienata.

„ LXXI. Fiet etiam restitutio bonorum in Burgundia, Lu- „ xemburgo, Hollandia, Zelandia, aliisque locis, ubi Paci- „ ficatio Gandavensis non fuerit adimpleta, tam ecclesiasti- „ cis, Principi *Auraico*, quam omnibus aliis juxta dictam „ Pacificationem.

„ LXXII. Omnes naturales Belgii utriusque partis, liberè „ in Belgium poterunt reverti ibique habitare, ea lege ut „ præstent juramentum fidelitatis, tam Regi, quam Patriæ „ ac Ordinibus generalibus & particularibus ejus Provinciæ, „ in quam revertentur, atque adeo sese observaturos omnes „ articulos hujus pacis.

„ LXXIII. Pacificatio etiam Gandavensis, Edictum per- „ petuum decima septima Februarii, Millesimi quingentesimi „ septuagesimi septimi, Bruxellæ publicatum, Unio sive con- „ fœderatio Ordinum, ac aliæ securitates subsecutæ, in om- „ nibus aliis punctis & articulis observabuntur.

„ LXXIV. Excepto quod in iis Provinciis & locis ubi „ Religio quæ dicitur Reformata, confessio Augustana, vel „ Pax Religionis recepta est, omnia permanebunt in suo „ statu, secundum eamdem pacem Religionis, neque Reli- „ gionis causa ulla fiet inquisitio, idque donec per conven- „ tum (Ordinum) generalium aliter provisum fuerit, quem- „ admodum pro maximo bono & quiete Provinciarum re- „ spectivè videbitur.

„ LXXV. Gubernatio generalis Belgii manebit penes se- „ renissimum Dominum Archiducem *Matthiam*, iis conditio- „ nibus quas juravit; quem si contingat mori, vel forte sese „ aliò velit transferre, Regia Majestas non poterit com- „ mittere alium gubernatorem, nisi gratum Ordinibus, ex „ suis liberis aut consanguineis legitimis, qui tenebuntur „ jurare eosdem articulos & conditiones quibus receptus fuit „ Dictus Archidux.

„ LXXVI. Nulli imposterum admittantur ad gubernacula „ Provinciarum, civitatum, castorum & arcium, Capita- „ neatus ac Præfecturas militum, neque ad consilia Status,

„ Secretum

„ Secretum, aut Financiarum, aut alia officia magni momenti, 1579.
„ nisi naturales Belgii, idonei, & bona ibi habentes, quique
„ steterunt â partibus Ordinum, gratique sint tam Ordinibus
„ generalibus quam Provinciis particularibus ad quas mitten-
„ tur, ac alias, juxta Privilegia earum: qui primum, & an-
„ tequam admittentur, tenebuntur solemniter jurare hanc pa-
„ cem, & speciatim etiam observare Privilegia, Consuetudi-
„ nes, Jura, Usus generales & particulares Belgii, ac jureju-
„ rando promittent, si rescifcant aliquid tractari in ejus
„ damnum, quod eâ de re certiores facient Ordines genera-
„ les & particulares Provinciarum, quod ni fecerint pro
„ perjuris habendos.

„ LXXVII. Et quia Ordines sunt obligati serenissimæ Re-
„ ginæ Angliæ ob sinceram amicitiam, vicinitatem & auxi-
„ lium quod illis præstitit ad utilitatem publicam, ipsa com-
„ prehendetur reciprocè in hoc statu in confirmationem
„ antiquorum fœderum perpetuo observatorum inter Princi-
„ pes tam ejus regni, quam Belgii.

„ LXXVIII. Similiter comprehendentur in eodem tracta-
„ tu Illustrissimus Dux *Andegavensis*, Regis Christianissimi fra-
„ ter, tamquam defensor libertatis Belgii, cum recognitione
„ quam Ordines ipsi promiserunt proponere, quoniam tam
„ liberaliter ac heroicè operam navavit eorum defensioni
„ ac conservationi, uti etiam comprehendentur omnes alii
„ confœderati dictorum Ordinum.

„ LXXIX. Supplicabitur Suæ Sanctitati, sacræ Cæsareæ
„ Majestati, Regi Christianissimo, Reginæ Angliæ, Duci
„ *Andegavensi*, defensori libertatis Belgicæ, omnibus Prin-
„ cipibus Electoribus Germaniæ, Duci Juliacensi, tamquam
„ studiosis utilitatis, tranquillitatisque Reipublicæ Christia-
„ næ, ut ipsis placeat efficere, uti hic tractatus in omnibus
„ suis partibus compleatur, & inviolatè observetur. "

„ LXXX. Hic tractatus reciprocè jurejurando solemni su-
„ per sancta Evangelia præstito confirmabitur, & â Rege ap-
„ probabitur intra terminum trium mensium post conclusam
„ hanc pacem. "

LXXXI. Articuli hi Ordinum secundi non usque adeo â
prioribus visi sunt discrepare; nihil quoad Religionem &
Authoritatem Regiam conservandam propositum. Itaque

1579. *Dux De Terranova* nihil ad rem facere existimans, ulterius super eo disputationibus vel persuasionibus tempus terere, Cæsaris Commissariis sequens scriptum obtulit.

„ LXXXII. *Dux De Terranova* & Princeps *De Castel Vetrano* Regius Procurator, viso scripto Ordinum Belgii deputatorum, sibi jam pridem ad effectum manifestandæ voluntatis seu determinationis Suæ Majestatis Catholicæ vestrum omnium jussu communicato, nihilque minus pensi habens, quam occasione articulorum dicto scripto comprehensorum, in disceptationis arenam cum prædictis legatis descendere, seu tenorem illorum per viam solidæ objectionis sive reprehensionis enervare ac confutare, quin imò econtra omnino nihil sibi potius faciendum censens, quam disputationum frivolis ambagibus vitatis, plane ac simpliciter ob oculos ponere immensum amorem ac vere paternum affectum, quo Sua Majestas tamquam Princeps naturalis suapte indole clementissimus, afficitur erga suos subditos Belgicos, quos quidem ipsos, sicut vehementer cumprimis desiderat suis Legibus, Usibus, Moribusque ac Privilegiis antiquis, tam circa ea quæ concernunt sacrosanctam Religionem, ipsamque obedientiam sibi debitam, quam etiam justitiam, aliave politica, atque etiam commerciorum prosperitatem, splendori pristino restitutos videre: ita supradictus Dux nequaquam cunctandum ratus, quin ex parte Suæ Majestatis, ac nomine quo supra prorsus voluntarié ac liberaliter populo & Ordinibus offerat, concedat & largiatur, articulos ex ordine sequentes in quibus complexum iri arbitratur, universum illud quod à subditis bona mente præditis, ac propriam salutem sitientibus, honesté requiri, postulari, vel prætendi potest, plane sibi persuasum habens, populo, dictisque Ordinibus curæ futurum, quo videantur dictos articulos non tantum hilariter, verum etiam obedienter à dicta Sua Majestate tamquam naturali, ac supremo ipsorum Principe suscepisse, Gallico nihilominus scripto pro hujus præsentis negotii authographo habendo.

„ LXXXIII. Principio ne qua ad diffidendam animorum diffidentiam occasio seu fomes aliquo modo superstes relictus videri queat, atque eatenus ad universorum metum

„ scru-

„ scrupulosque tam natos quam nascituros, ex animis subdi- 1579.
„ torum plané ac radicitus evellendos, placet Suæ Majestati,
„ quod generalis utrimque oblivio omnium eorum quæ ab
„ exordio primorum motuum accidêre, instituatur, ita ut
„ eorum memoria perinde evanescat, sepultaque intereat,
„ ac si omnino non accidissent.

„ LXXXIV. Districté interdicens omnibus, non solum
„ Procuratoribus, Fiscis, Officiariis, verum etiam quibusvis
„ personis tum publicis tum privatis, cujuscumque ordinis,
„ conditionis, ac qualitatis fuerint, ne deinceps rerum qua-
„ rumlibet prædictarum occasione, ulli negotium facescere
„ præsumant, sive in judicio, sive extra judicium; neve
„ etiam minas spirantes sese mutuo provocent ad iracundiam,
„ verum econtra pacem & concordiam sibi unanimiter sin-
„ ceré & fraterne posthac colendam & observandam esse
„ noverint, & quidem sub pœna correctionis exempla-
„ ris, tamquam in perturbatores quietis ac boni publici
„ distringendæ.

„ LXXXV. Quibus proximum est, ut Rex Vasallis, sub-
„ ditisque suis serio promittat ac polliceatur, imposterum
„ servare ac manutenere, imo, (si opus videbitur) etiam de
„ integro confirmare omnia ac singula Jura, Usus, Consue-
„ tudines, Immunitates, Exemptiones, & Privilegia quarum-
„ libet Provinciarum, civitatum, oppidorum, communita-
„ tum, aliorumque privatorum omnium, tum in genere
„ tum in specie, prout iisdem usi fuere, ac fruebantur eo
„ tempore, quo Sua Majestas dictis Provinciis olim solemni-
„ ter inauguratus, eadem promisit, juravitque & sicubi for-
„ san ea ipsa Privilegia interea temporis ullam infractionem
„ seu violationem passa reperientur, nihil promptius erit,
„ quam ubi tale quid apparuerit, eadem rursus instaurare,
„ ac pristino vigori restituere.

„ LXXXVI. Et quamvis Rex olim (licet invitus) mo-
„ tuum tunc temporis exorientium occasione plané coactus
„ fuerit, varium militem extraneum, ad tuendam suam
„ authoritatem in Belgium inducere, tamen paterné respi-
„ ciens ad onera & gravamina subditorum inde resultantia,
„ omninò nihil alacrius præstiterit, quam ut statim à pace
„ promulgata, omnes ad unum milites extraneos utpote

„ Hispa-

1579. „ Hispanos, Italos, Germanos, Burgundos, Gallos, Anglos, Schotos, ac cæteros omnes Peregrinos, qui propter hosce motus utrimque accersiti reperirentur, citra moram Provinciis Belgicis jubeat excedere, & ut illorum loco in urbibus, arcibusque & castellis quæ ab omni memoria præsidium habuerunt, substituantur milites naturales, cæterum adstringendi jurejurando peculiari, prout infra latius dicetur.

„ LXXXVII. Quod verò attinet ad alios milites nequaquam extraneos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum subditorum, mandabit Sua Majestas, universum militem tam terra quam mari, illico post dictam promulgationem exauctorari, ac dimitti, ut nimirum deinceps sibi privatim vivant in tranquillitate, ordinarii statum præsidiis * (ut dictum est) retentis ac suffecturis.

* Patet legi debere: Ordinariis Statuum præsidiis &c.

„ LXXXVIII. Porro quia hac pace stabilita per discessum extraneorum, tamque eatenus armorum occasione quodammodo sublatâ, omnia sperentur quasi postliminio ad quietem reditura, utque eo magis fructu pacis omnes gaudeant, nihil tam ex usu publico judicatur, quam ut plebs citra omnem cunctationem redeat ad opificia mercatus & negotia pacis, quibus se, uxores, liberosque citra injuriam proximi honestè sustentare valeat, & proinde Sua Majestas tum ob causam prædictam, tum etiam ad evitanda inposterum vitia & incommoda, quæ plerumque otium, & animorum luxuriam comitari solent, mandabit ubivis locorum, arma poni, non minus ruri quam in oppidis, quibus ea tempore pacis nec foveri nec tractari consuevêre, idque omnino ad eum modum, quo olim factitatum, tam ante priores quam posteriores hasce turbas.

„ LXXXIX. Consequenter, ut tanto nimirum pinguius ac luculentius manifestetur orbi terrarum verè paternus Suæ Majestatis amor & affectus erga suum populum, occasione præsentis bèlli intestini, ac singulariter ob varietatem vectigalium, impositionum, subsidiorum, aliarumque exactionum & concussionum vehementer exorbitantium, adeo exhaustum, ut quod magis aggravet vix videatur deinceps ferre posse, placebit Suæ Majestati, ut ad congruam respirationem eorumdem subditorum, universæ

„ exactio-

„ exactiones, impositiones, cæteraque inusitata vectigalia 1579.
„ & onera præsentium turbarum occasione quomodolibet inducta, penitus cessent, & tollantur. Ita tamen, ut si quæ certorum onerum continuatio, adhuc fore ex usu publico judicabitur, simulatque per Ordines Statuum ejusmodi quid demonstratum fuerit, Sua Majestas haud gravatim se Ordinum consiliis juxta ac desiderio accommodabit.

„ XC. Præterea instaurabitur libertas commerciorum & transitus ubivis locorum per urbes, pagos, pontes, portus earumdem Provinciarum, non minus terra quam mari, perque fluvios & flumina, prout factitatum ante præsentes hosce tumultus, novis autem vectigalibus & impositionibus, absque Suæ Majestatis authoritate per hos motus via facti institutis, statim cessaturis.

„ XCI. Quoniam verò hoc potissimum agitur nunc, pax ut coeat bona, firma ac prorsus stabilis, quæ haberi nequit, nisi justa ac æqua sit, & par utriusque partis ratio habeatur, & ob id ne qua semina altercationum atque querelarum inter ejusdem Principis subditos relinquantur, Sua Majestas cupiens æquali favore ac benignitate omnes & singulos subditos, qui â cujuscumque partibus hactenus steterunt, deinceps prosequi, & promiscué, ut bonos fidelesque subditos omnes tractare, ubique * etiam primus articulus oblivionis generalis, mutuarum injuriarum præteritarum (in quo vera basis ac fundamentum solidæ pacis consistit) plenum effectum sortiatur, declarat eadem, & vult, omnes tam ecclesiasticas personas, quam sæculares recuperare pacificé bona sua (*tam*) mobilia quam immobilia, debita & actiones, iisque statim uti ac frui posse; in ea nimirum qualitate & statu, quo in præsentiarum ea ipsa reperientur idque omni dolo ac fraude semota, non obstante quavis alienatione facta in contrarium, & hoc tum in Burgundia, Luxemburgo, Hollandia, Zelandiaque, tum & in aliis quibuslibet Provinciis ac locis, non minus ad utilitatem ecclesiasticorum, quam Principis *Auraici*, & aliorum denique omnium. Nec obstat, quod „ dicta-

* *Lego*: utque etiam &c.

1579. „ dictarum Provinciarum binæ, utpote Burgundia & Luxemburgum, notorié sint exemptæ â dispositione tractatuum „ superiorum.

„ XCII. Similiter ob causas, rationesque prædictas, & „ ut ne quispiam debita consolatione carens, ullo damno „ injuriave affectum se jure conqueri possit, ipsa ratio dictat, „ & Sua Majestas omnino intendit, quod quilibet subditorum „ hinc inde etiam redintegretur, in suis honoribus, dignitatibus, beneficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus, „ & officiis plane prout olim ante dictos tumultus extiterit, „ exceptis tantum iis, quibus contra libertatem, juraque, „ ac Privilegia Patriæ de ulla functione fuisse prospectum „ demonstrabitur; proviso tamen, quod ejusmodi spoliati „ denuo redintegrandi, tenebuntur præstare juramentum „ cujus infra fit mentio, prout facturi quoque cæteri ad novas functiones & officia assumendi, revocando, cassando, „ abolendo, quidquid hinc inde factum, decretum, & pronuntiatum fuerit in contrarium.

„ XCIII. Et quia Sua Majestas in hac rerum facie, judicat „ ad securitatem subditorum haud vulgariter pertinere, ut „ omnes deinceps functiones & officia publica per solos naturales obeantur, etiam studiosé providebitur, ne quis imposterum admittatur ad ulla gubernacula Provinciarum, „ urbium, arcium & castellorum, nec in Capitaneum seu „ Ducem militum, nec ad Consilia rerum Status, Privatum, „ Financiarum, aliaque officia majoris momenti, præter naturales Patriæ, qui etiam ante receptionem solemniter jurabunt in hos articulos, eosque promittent fideliter, sincereque servare, sub pœna perjurii, & tamquam tales „ puniendi, in quâ re sola videtur consistere potissima securitas præsentis pacificationis adimplendæ, nec id solum, „ quin & ipsa vera quies & tranquillitas Publica, ut nec ab „ Ordinibus Statuum quidquam ulterius requiri, aut desiderari posse videatur.

XCIV. Insuper captivi utriusque partis omnes, qui ob „ dictos tumultus adhucdum detinentur, statim & absque „ ullo pretio relaxabuntur, nisi jam antea aliud conventum „ & solemniter stipulatum fuisse contigerit.

„ XCV. Quod vero attinet ad *Comitem Buranum*, sicut Sua „ Ma-

„ Majeſtas conſtituit plane de omnibus ſuis ſubditis in universum paterne provideri, ita quoque contentus eſt, eumdem Comitem, licet per tractatus præcedentes ſpecialiter exceptum & reſervatum, nihilomnius quanto citius fieri poterit, ſuæ libertati ac Patriæ reſtituere: quin imo & illi gubernationem Hollandiæ, Zelandiæ, ac Trajectenſis Provinciæ dare. 1579.

„ XCVI. Decreta verò, juxta ac diſpoſitiones & ordinationes, per Dominum Archiducem *Matthiam*, ſuoſque collaterales, & Ordines Statuum, à temporè ultimarum turbarum, ſub auſpiciis Majeſtatis Suæ emanata, tametſi notoriè conſtet, legitimæ facultatis defectu viribus nequaquam ſubſiſtere, tamen ſtudio promovendæ hujus Pacificationis, Sua Majeſtas conſentit, quod pro legitimis ac validis habeantur, ſuoſque debitos ſortiantur effectus, quoad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quæ ſolent eſſe poteſtatis ac diſpoſitionis ordinariæ illorum, qui tenent locum Gubernatoris dictarum Provinciarum, non autem in iis, quæ propriæ perſonæ Suæ Majeſtatis reſervantur, aut ſi quæ factæ ſunt, contra Jura, Privilegia, & Immunitates Patriæ, tam in generali quam in particulari, vel alioquin in illius injuriam ſeu detrimentum redundarint.

„ XCVII. Pariter etiam quarumlibet urbium & aliorum locorum magiſtratus ſeu officiarii, ſuis functionibus deſtituti, alia via & ratione, quam ordine juris legitimé ſervato, aut alias contra Privilegia dictarum urbium, aut præter ordinarios conſuetoſque modos, cum primis reſtituentur & redintegrabuntur in dignitates officiaque ſua, nec non ad eorum creationem futuris temporibus procedetur prout olim, & ſicut in Juribus, Moribus, & Privilegiis cujuſque Patriæ, urbis, & loci decet, ne cui facta toleretur injuria.

„ XCVIII. Quod vero concernit Religionem, quæ omnibus Principibus veré Chriſtianis debet eſſe commendatiſſima, haud poteſt Sua Majeſtas ullatenus præterire, quin veſtigiis Regum Catholicorum ſuorum majorum inſiſtendo, percupiat ac mandet, in Provinciis ſuis Patrimonialibus retineri, ſervarique Religionem Catholicam Apoſtolicam, Romanam, ab omni ævo non ſolum ibidem receptam, ve-

1579. „ rum etiam ſub qua earundem ſubditi olim tantopere floruerunt, & in qua tam dictam Suam Majeſtatem quàm cæteros ſuos prædeceſſores, olim Provinciis inauguratos ſolemni jurejurando in Principes ſupremos & naturales receptos fuiſſe, manifeſte conſtat.

„ Quæ quidem ſupradicta Religio, excluſa quavis alia, liberé, pacificé & abſque ullò impedimento ubivis locorum per univerſas ditiones Belgicas poſthac tradetur ac exercebitur, prout etiam Ordines Statuum Suæ Majeſtati, non minus quam ante turbas præſentes, frequentibus litteris ſe paſſuros & procuraturos addixêre, & ſicut etiam jam pridem ſcripſêre ad Suam Majeſtatem Imperialem, atque adeo quod abſque gravi nota, ne dicam confuſione univerſi ſtatus politici, haud poſſint in re tanti momenti propriis ſcriptis ulla ex parte contravenire.

„ XCIX. Enimvero tamen, ſi qui ſubditorum vel incolarum occaſione diverſitatis ſeu contentionis (proh dolor) ſuſcitatæ circa uniformitatem Religionis, vel alia quapiam tum ſimili tum diſſimili de cauſa dictis Provinciis quandoque excedere cupient, Sua Majeſtas permittet hoc cuilibet liberum fore, integro quadriennio ſubſequente, dummodo interea temporis â ſcandalis ac rerum perturbatione abſtineant: quo caſu etiam liberrimé fruentur omnibus ſuis bonis tam mobilibus quam immobilibus, juribus, actionibuſque, & poterunt ea ipſa qualiacumque fuerint etiam alio transferre, ſeu vendere, aut alienare, prout iis videbitur, imo & hoc amplius, ſi modo bona ſua retinere malint, etiam poterunt abſentes ad eorumdem bonorum adminiſtrationem & receptionem, in Provinciis ſibi eligere Quæſtores Catholicos, qualeſcumque volent, ac præterea quotieſcumque voluerint ad Provincias iterum redire, victuri tamen ritibus & moribus priſtinis, & ut perſonas Catholicas decet, eritque ejuſmodi reditus ac facultas bona adminiſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim ubi Paſtoribus, Officiatis, ac Magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient, talis intentio & voluntas ſignificata fuerit. Ex qua quidem Regia indulgentia nulli non perquam manifeſtum redditur, quod Sua Majeſtas nil minus quam bonorum confiſcationes, ruinam & perniciem ſuo-

„ rum

„ rum subditorum appetat, multo aut minus, quod rigore 1579.
„ superiorum placitorum ipsos perstringere constituerit, cum
„ vel etiam paratissimus sit, ea ipsa placita ex consilio Or-
„ dinum Status competenter temperare ac moderari.

„ C. Quod spectat ad authoritatem & obedientiam Suæ
„ Majestati à suis subditis omni jure divino & humano, ut
„ Principi naturali legitimo & supremo, debitam, illa cum-
„ primis restituetur & servabitur, qualis merito etiam de-
„ bet, qualisque olim servata est; ut recté nimirum admi-
„ nistretur justitia, subditi regantur in omni ratione, æqui-
„ tate, quiete & obedientia, idque ad eam formam mo-
„ dumque, quo factum est ab omni memoria, tam defuncti
„ Imperatoris *Caroli Quinti*, quam etiam Suæ Majestatis,
„ usque ad harum turbarum initium: sine cujus authoritatis
„ instauratione, ac subditorum obedientia impossibile est po-
„ pulum in unione, concordia, rectaque justitia, quiete,
„ ac tranquillitate continere.

„ CI. Superest de gubernaculis generalibus dictarum Pro-
„ vinciarum; quarum occasione Sua Majestas eliget Principem
„ consanguineum, qui quamvis rerum experientia pollens,
„ habeat dotes ac qualitates, ad ejus generis arduum munus
„ cumprimis necessarias, de quo seu qua subditi justam cau-
„ sam satisfactionis sint habituri. Gubernabunt autem cum
„ omni justitia & æquitate, præsertim verò secundum Usus,
„ Jura, Consuetudiues & Privilegia dictarum Provinciarum,
„ etiam comprehenso hoc præsentis reconciliationis edicto,
„ quod pariter tenebuntur promittere ac jurare.

„ CII. In cujus quidem generalis gubernationis potestate
„ citra ulteriorem hæsitationem, plene & integrè tradentur
„ omnes & singulæ civitates, urbes, arces, & alia loca, quæ
„ ab una alterave parte quocumque titulo aut prætextu in
„ præsentia tenentur, una cum patrimonio ad Suam Majesta-
„ tem pertinente, tormentisque bellicis, munitionibus, com-
„ meatibus, armis & navibus, ut nimirum de iis disponat,
„ sicut servitio Suæ Majestatis, simul & commodis ac secu-
„ ritati Provinciarum magis expedire arbitrabitur, & alias
„ prout fieri debet, factumque fuerit ante motus præsentes;
„ promittente nihilominus Sua Majestate, & quidem merè in
„ hujus reconciliationis gratiam, ut quod hactenus ex suo

1579. „ patrimonio seu populi subsidiis desumptum & collectum „ fuit, id ita collectum receptumque maneat, absque ulterio- „ re vexatione seu persecutione cuipiam mortalium eatenus „ inferenda, ita tamen ut imposterum ab ejusmodi detentio- „ nibus, occupationibus, & collectationibus desistatur.

„ CIII. Cura * tractatum Gandavensem & insecutam Unio- „ nem generalem Statuum, ipsumque Edictum perpetuum, „ omnes & singuli articuli ad amussim servabuntur, qui huic „ præsenti tractatui nequaquam repugnare comperientur.

„ CIV. Proviso tamen quod illico per Ordines Statuum re- „ nuntiabitur aliis omnibus fœderibus, pactis, mutuisque „ sponsionibus, contractis dictorum tumultuum tempore, tam „ intra quam extra Provinciam. Comprehendetur hoc tracta- „ tu Regina *Angliæ* & Dux *Andegavensis*.

„ CV. Et quia Sua Majestas omnibus modis optat, hunc „ ipsum tractatum perpetuo firmum ac stabilem esse, haud „ dubiè fuerit illi acceptissimum, quod Sua Sanctitas, tam- „ quam caput universalis Ecclesiæ, & Sua Cæsarea Majestas, „ tamquam intercessor, unà cum Principibus, & ad præsen- „ tis pacificationis negotium delegatis, serio requirantur, quo „ interveniant tamquam sponsores partium hinc inde, eo „ potissimum fine, quod omnia & singula in hoc tractatu „ comprehensa, sincerè, bonaque fide, & absque ulla con- „ troversia ad amussim posthac complebuntur, nec non re „ ipsa præstabuntur.

„ CVI. Postremo ut ne ad summæ firmitatis ac dictorum „ omnium revera solidum fundamentum quidquam defuisse „ videatur, haud gravabitur Sua Majestas omnia & singula „ supradicta non solum confirmare verbo Regio, quin imo „ & juramento solemni. Cujus rei litteræ suæ patentes (tam „ nominis subscriptæ †, quam sigilli impressione muniendæ, „ nec non in forma Edicti perpetui & irrevocabilis, insuper „ in utroque idiomate, tam Gallico quam Flandrico, ex- „ pediendæ) haud dubiè fidem facturæ sunt. Quæ quidem „ litteræ ad eum modum expeditæ, consequenter mandato „ Suæ Majestatis publicantur ‡, & in actis publicis Consi- „ liorum tam Supremorum quam Provincialium, ut moris „ est

† *Lege:* subscriptione.

‡ Publicabuntur.

* *Numquid legendum:* circa.

„ est, describendæ, posteris servient in monumentum Legis 1579.
„ perpetuæ.

„ CVII. Quocirca cum omnes & singuli supradicti articuli tantopere abundent justitia & æquitate, omnino persuasum est Suæ Majestati, non solum à vobis Illustrissimis Principibus ac Dominis Cæsaris delegatis, verum etiam ab orbe terrarum universo haud dubiè probandos fore, ac denique etiam Ordines Statuum, ipsosque subditos tam in genere quam in specie, nequaquam passuros ejusmodi luculentas ac verè Regales tantorum commodorum oblationes sibi & posteris suis excidere, potissimum quod emanarint ex pectore non minus candido, quam amore paterno, quo Sua Majestas prosequitur Belgicos suos subditos, à quibus tamen ipsius prædessores, tum etiam ipsemet, mirum dictu, quam rara ac verè ingenua obsequia olim perceperint, ut nec dubitet tempora propediem recursura, quibus tantumdem sibi ac successoribus deinceps præstandum fore, jure sperare poterit."

CVIII. Hæ *Ducis Terrænovani* conditiones, Legatis Ordinum non minus irrationabiles & duræ visæ sunt, quam antea eidem Duci fuerant illæ, quas jam bis Ordinum Legati in medium attulerant. Erant amborum voluntates ex diametro inter se contrariæ. Volebat Dux solum admitti in Religione exercitium Catholicum Romanum, Regique integram in Politicis debitam obedientiam, suamque manere authoritatem. Econtra alii ex præteritis conventibus ac præsenti rerum statu plurimum juris sibi acquisitum asserebant, quatenus & illis, qui diversam ab Romanâ Religionem profitebantur, liberum suæ professionis exercitium relinqueretur: & Rex solo Principis supremi ac Domini titulo contentus, cætera quæ ad munus gubernatoris Reipublicæ pertinerent, Ordinibus crederet, aut saltem socios ipsos secum in imperio habere non gravaretur. Nihil enim magis quam hoc, illorum mentis esse, ex binis illis articulis, quos proposuerant constabat. Quamobrem denuo ad contradictiones ac contestationes ventum. Allegabant disertè dicti Ordinum Legati, multa quæ sibi ex usu esse intelligerent. Respondit *Terrænovanus*; mediosque sese interposuêre commissarii Cæsaris. Tandem tam-

1579. tamquam intercessores hos, qui sequuntur, articulos partibus proposuère, & primum circa Politica. *

„ CIX. Quod Pacificatio anno septuagesimo sexto, die „ octavâ Novembris Gandavi inita & constituta, Unio quo- „ que Bruxellensis nona Januarii septuagesimi septimi sub- „ secuta, Edictum insuper perpetuum prima Februarii anno „ eodem publicatum, una cum approbatione Regia, salvis „ sequentibus articulis, servabuntur.

„ CX. Et quia præterea, quæ à tempore primorum mo- „ tuum acciderunt, post jam dictos tractatus Pacificationis „ Gandavensis, Unionis & Edicti perpetui, ultro citroque „ varia facta, dicta & admissa fuère, tam in generali, quam „ in particulari, hac quoque Pacificatione, non minus poste- „ riorum istorum factorum & dictorum, quam eorum quæ „ antea contigerint, perpetua oblivio constituatur, ita ut „ eorum non amplius fiat mentio, exprobratio, aut inquisitio, „ quasi ea numquam accidissent, idque sub pœna exemplaris „ correctionis, subditis contravenientibus tamquam perturba- „ toribus tranquillitatis publicæ, infligenda.

„ CXI. Rex Catholicus Vasallis subditisque suis servabit, „ manutenebit, & si opus videbitur, denuo confirmabit „ omnia & singula Jura, Usus, Consuetudines, Immunitates, „ Exemptiones, & Privilegia quarumlibet Provinciarum, „ civitatum, oppidorum, communitatum, aliorumque priva- „ torum omnium, tum in genere, tum in specie, quemad- „ modum in Edicto perpetuo articulo decimo, & cum Pro- „ vinciis Belgicis inauguratus fuit, promisit & juravit.

„ CXII. Omnes milites extranei, utpote Hispani, Itali, „ Germani, Burgundi, Angli, Schoti, & cæteri omnes „ peregrini, qui propter hosce motus utrimque accersiti sunt, „ Provinciis Belgicis ab hac pace promulgata, intra N. ter- „ minum, simul excedent & eodem tempore.

„ CXIII. Quod vero attinet ad alios milites non extra- „ neos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum sub- „ ditorum, mandabit Rex, universum militem tam terra „ quam mari eodem quoque tempore exauthorari & dimitti, „ ut nimirum deinceps sibi privatim vivant in tranquillitate, „ ordinariis tantum præsidiis retentis ac suffecturis.

„ CXIV. Sub-

* *Hos articulos omnes lingua Belgica exhibet* Gerardus Dumbar Analect. to. 3. a pag. 566.

„ CXIV. Subditi quoque & cives & incolæ omnes citra 1579.
„ cunctationem redeant ad mercaturas, opificia, & negotia
„ pacis, quibus se uxores liberosque citra injuriam proximi,
„ honeste sustentare valeant, & à publico armorum usu,
„ antea non consueto & pacis tempore non convenie nte,
„ desistant & abstineant.

„ CXV. Universæ exactiones, impositiones, cæteraque
„ inusitata vectigalia & onera, præsentium turbarum occa-
„ sione quomodolibet inducta, penitus cessent & tollantur. Ita
„ tamen ut si quæ certorum onerum continuatio adhuc fore
„ ex usu publico judicabitur, simul atque per Ordines Statu-
„ tum ejusmodi quid demonstratum fuerit, Rex haud grava-
„ tim se Ordinum consiliis juxta ac desiderio accommodabit.

„ CXVI. Præterea instaurabitur libertas commerciorum
„ & transitus ubivis locorum per urbes, pagos, pontes,
„ portus, earumdem Provinciarum, non minus terra quam
„ mari, perque fluvios & flumina prout factitatum ante præ-
„ sentes hosce tumultus, novis autem vectigalibus & impo-
„ sitionibus, absque Regis authoritate eatenus per hos mo-
„ tus de facto institutis, statim cessaturis.

„ CXVII. Et ne qua semina altercationum aut querelarum
„ relinquantur, omnes tam ecclesiasticæ personæ quam sæcu-
„ lares, tam intraneæ quam extraneæ, recuperabunt paci-
„ ficè bona sua mobilia extantia, & omnia immobilia, titu-
„ los, debita, & actiones, iisque statim uti, ac frui pot-
„ erunt, in eo nimirum statu ac qualitate, quibus inpræsen-
„ tiarum illa ipsa reperientur, idque omni dolo ac fraude
„ semotis, non obstante ulla hypothecatione, aut quavis alia
„ alienatione facta in contrarium, & hoc tum in Burgundia,
„ Luxemburgo, Hollandia, Zelandiaque, tum etiam in aliis
„ quibuslibet Provinciis & locis, non minus ad utilitatem
„ ecclesiasticorum, quam Principis *Auraici*, & aliorum deni-
„ que omnium.

„ CXVIII. Similiter quoque subditorum quilibet hinc
„ inde redintegrabitur in suis honoribus, dignitatibus, bene-
„ ficiis, gubernaculis, muneribus, functionibus, & officiis,
„ plane prout ab exordio horum motuum extiterit, exceptis
„ tantum iis, quibus contra libertatem Juraque ac Privilegia
„ Patriæ, de ulla provisione provisum fuisse demonstrabitur,

1579. „ proviso tamen quod ejusmodi spoliati denuo redintegrandi, „ tenebuntur præstare juramentum, cujus in proximo sequenti „ articulo fit mentio, prout facturi quoque cæteri ad novas „ functiones & officia imposterum cooptandi, revocando, „ cassando, & annullando, quidquid hinc inde factum, de- „ cretum, pronuntiatumque fuerit in contrarium.

„ CXIX. Nulli admittentur ad ulla gubernacula Provin- „ ciarum, civitatum, castrorum, & arcium, Capitaneatus & „ Præfecturas militum, nec ad Consilia rerum Status, Privatum „ Financiarum, aliaque officia majoris momenti, præter na- „ turales Patriæ, qui etiam ante receptionem, ultra *antiqua* „ & consueta juramenta, Regi tamquam eorum Principi „ naturali præstari solita, solemniter jurabunt in hos articu- „ los, eosque promittent fideliter, sincereque observare sub „ pœnâ perjurii, & tamquam tales puniendi.

„ CXX. Captivi utriusque partis omnes, qui ob dictos „ tumultus adhuc detinentur, statim & absque ullo pretio „ relaxabuntur, nî jam de eo aliud fuerit conventum & „ concordatum.

„ CXXI. *Comes Buranus* suæ libertati ac Patriæ restitue- „ tur quam citissimé fieri poterit. In difficultatibus Prin- „ cipem *Auraicum* concernentibus reconciliandis, post ple- „ niorem earum informationem, omnis diligentia adhibebitur.

„ CXXII. Decreta, dispositiones, & ordinationes per Do- „ minum Archiducem *Matthiam*, suosque collaterales, & „ Ordines Statuum, à tempore ultimarum turbarum nomine „ Regis emanatæ, pro legitimis & validis habebuntur, suos- „ que debitos sortientur effectus quoad beneficia, dignitates, „ officia, aut alias quaspiam res, quæ solent esse potestatis „ ac dispositionis ordinariæ illorum, qui tenent locum gu- „ bernatoris dictarum Provinciarum; non autem in iis, quæ „ propriæ personæ Regis reservantur, aut si quæ facta sunt „ contra Jura, Privilegia & Immunitates patrias, tam in ge- „ nerali quam in particulari, alioquin etiam in ullius inju- „ riam, seu detrimentum redundarint.

„ CXXIII. Pariter etiam quarumlibet urbium & aliorum „ locorum, magistratus seu officiarii suis functionibus desti- „ tuti, alia via ac ratione quam juris ordine legitime ser- „ vato, aut alias contra Privilegia dictarum urbium, ac

„ præter

„ præter ordinarios consuetosque modos, cumprimis resti- 1579.
„ tuentur & redintegrabuntur in dignitates, officiaque sua,
„ nec non ad earum creationem futuris temporibus procede-
„ tur prout olim, & sicut ex Juribus, & Privilegiis, cujusque
„ Patriæ, urbis & loci decet, ne cui facta toleretur injuria.

„ CXXIV. Authoritas & obedientia Regia à subditis cum-
„ primis restituetur & servabitur qualis merito, juxta præ-
„ scriptum divini & humani juris, nec non Privilegia, Usus,
„ & Consuetudines patrias esse debet, qualisque olim servata
„ est, ut recte nimirum administretur justitia, subditi regan-
„ tur in omni ratione & æquitate, quiete, & obedientia.
„ Idque ad eam formam modumque quo factum est ab omni
„ memoria, tam defuncti Imperatoris *Caroli Quinti*, ejusdem
„ prædecessoris, quam etiam Regis tempore usque ad harum
„ turbarum initia, etiam cum observatione dictorum supra
„ tractatuum, simul & præsentis, sine cujus authoritatis
„ instauratione ac subditorum obedientia, nequaquam possi-
„ bile est, populum in unione, concordiâ, rectaque justi[illegible]
„ quiete, ac tranquillitate continere.

„ CXXV. Superest de gubernaculis generalibus dictarum
„ Provinciarum, quarum occasione Rex eliget Principem de
„ Sanguine, qui quæve rerum experientia pollens, habeat
„ dotes & qualitates, ad ejus generis arduum munus cum-
„ primis necessarias, & de quo, seu qua, subditi justam cau-
„ sam satisfactionis sint habituri. Gubernabit autem cum
„ omni justitia & æquitate, præsertim vero secundum Usus,
„ Consuetudines & Privilegia dictarum Provinciarum, etiam
„ comprehenso hoc præsenti reconciliationis edicto, quod
„ tenebitur promittere & jurare.

„ CXXVI. In cujus quidem Gubernatoris generalis manus
„ citra ulteriorem hæsitationem, plane & integre tradentur,
„ omnes & singulæ civitates, urbes, arces, atque alia loca,
„ quæ ab una alterave parte, quocumque titulo ac prætextu
„ inpræsentiarum tenentur, una cum patrimonio ad Regem
„ pertinente, tormentisque bellicis, munitionibus, com-
„ meatibus, armis & navibus, ut nimirum ea loca quæ ab
„ omni memoria præsidium habuerint, consilio Regii sena-
„ tus Consilii Status, naturalibus Belgii, astringendis ju-
„ rejurando, quod ultra antiqua & consueta juramenta,

1579. „ Regi tamquam eorum Principi naturali præstare soli-
„ ta, hos articulos fideliter servabunt, custodienda com-
„ mittat, aliasve de illis disponat sicuti servitio Regis,
„ simul & commodis ac securitati Provinciarum magis
„ expedire arbitrabitur, & alias uti fieri decet factumque
„ fuit ante hosce motus. Permittente nihilominus Rege, &
„ hoc quidem in hujus reconciliationis gratiam, ut quod
„ hactenus ex ejus patrimonio seu populi subsidiis collectum
„ & consumptum est, collectum receptumque maneat, abs-
„ que ulteriore persecutione seu vexatione cuipiam morta-
„ lium inferenda, ita tamen ut imposterum ab ejusmodi de-
„ tentionibus, occupationibus & collectationibus desistatur.

„ CXXVII. Pacificatione Gandavensi, Unione generali
„ Statuum, & Edicto perpetuo Bruxellensi, supra ab initio
„ positis, salvis, Ordines Statuum renuntiabunt aliis omnibus
„ fœderibus, pactis, mutuisque sponsionibus contractis occa-
„ sione dictorum tumultuum tam intra quam extra Provincias.

„ CXXVIII. Comprehendentur hoc tractatu Regina *An-*
„ *gliæ* & Dux *Andegavensis*.

„ CXXIX. De cæteris concernentibus expeditionem, con-
„ firmationem, publicationem, perpetuamque ac firmam ob-
„ servationem hujus Pacificationis postea agetur, cum omnia
„ fuerint concordata & conclusa.

Articuli de Religione.

„ CXXX. QUæ concernunt Religionem, quæ omnibus
„ Principibus verè Christianis jure debet
„ esse commendatissima, haud potest Rex ullatenus præterire,
„ quin vestigiis Regum Catholicorum suorum majorum in-
„ hærendo, percupiat ac mandet, Provinciis suis patrimo-
„ nialibus, retineri, observarique Religionem Catholicam,
„ Apostolicam, Romanam, ab omni ævo non solum ibidem
„ receptam, verum etiam sub qua earumdem Provinciarum
„ subditi, olim tantopere floruêre, & in qua tam dictum
„ Regem, quam cæteros suos prædecessores olim Provinciis
„ inauguratos, & mediante solemni jurejurando in Principes
„ suos naturales receptos fuisse manifestè constat, quæ qui-
„ dem

„ dem supradicta Religio, exclusâ quavis alia liberè & pa- 1579.
„ cificè, & absque ullo impedimento, ubivis locorum per
„ universas ditiones Belgicas posthac tradetur & exercebi-
„ tur, prout etiam Ordines jam antea seipsos in Unione gene-
„ rali mutuò ac solemniter obligarunt, & in Edicto quoque
„ perpetuo ac litteris frequentibus, tam post, quam ante
„ turbas præsentes, se passuros ac procuraturos addixerunt,
„ & sicut etiam jam pridem scripsere ad Sacram Majestatem
„ Imperialem, usque adeo, ut absque gravi nota, & ne di-
„ catur confusione, universi Status Politici, haud possint in re
„ tanti momenti, propriis scriptis ulla ex parte contravenire.

„ CXXXI. Subditis verò, qui in Provinciis Belgicis in hac
„ tractatione comprehensis à Catholicâ Religione recesse-
„ runt, Rex Catholicus ad præsentem Belgii statum respi-
„ ciens, per Regium suum mandatum se concessurum offert,
„ uti in dictis Provinciis manere, ibique absque coërcitione
„ & molestia, occasione placitorum Religionis sibi inferenda,
„ per quatuor annorum spatium vivere possint, & valeant,
„ nisi cum consilio Ordinum, legitimè ac debitè in loco
„ tuto, ubi suffragia libera esse possint, & valeant, per Re-
„ gem seu ejus Gubernatorem generalem congregatorum,
„ aliter super hujusmodi termini limitatione statutum fuerit,
„ quo termino elapso, nisi ad dictam Catholicam, Romanam
„ Religionem redierint, omnino de Belgii Provinciis recede-
„ re, & alio domicilium transferre, ac vivere teneantur;
„ proviso tamen quod interea temporis ejusmodi subditi à
„ scandalis & rerum perturbatione, & omni usu ac exerci-
„ tio alterius Religionis, quam Catholicæ Romanæ, prorsus
„ abstineant, & interim liberrimè fruentur omnibus suis bonis
„ tam mobilibus, quam immobilibus, juribus, actionibusque
„ & poterunt ea ipsa, qualiacumque fuerint etiam alio trans-
„ ferre, seu vendere aut alienare, prout iis videbitur; &
„ quatenus bona sua retinere malint, poterunt etiam absen-
„ tes ad eorum bonorum administrationem & receptionem
„ in Provinciis sibi eligere quæstores Catholicos, qualescum-
„ que volent; præterea quotiescumque voluerint ad Provin-
„ cias iterum redire, victuri tamen Catholicè iisque ritibus
„ ac moribus, quos personas Catholicas decet, eritque hujus-
„ modi reditus ac facultas bona fide permissus statim atque

1579. „ Pastoribus, Officiatis, & Magistratibus locorum, ad quæ „ redire cupient, talis intentio & voluntas significata fuit.

„ CXXXII Ex qua quidem Regali indulgentia, nulli non „ perquam manifestum redditur, quod Rex nihil minus quam „ bonorum confiscationes, ruinam ac perniciem suorum sub- „ ditorum appetat, nec etiam quod rigore superiorum pla- „ citorum ipsos perstringere constituerit, cum paratissimus „ quoque sit ea ipsa placita, cum consilio Ordinum Statuum „ competenter temperare, ac moderare, omniaque facere, „ quæ ad Dei optimi maximi cultum, Provinciarumque quie- „ tem ac tranquillitatem pertinent, ac benignum, clemen- „ tissimum, Christianumque Principem decet."

CXXXIII. Rejecêre Legati hosce à Cæsaris Commissariis propositos articulos, prout etiam antea illos *Ducis Terranovani*, utpote qui cum iis ipsis omnino convenirent, nihilque remedii Belgium vexantia * in se continerent, multaque iterum iisdem Commissariis super eo scriptis proposuêre, ita ut tandem Commissarii, secundo hos articulos sequentes proponere decreverint.

„ CXXXIV. Primum, Pacificatio anno millesimo, quin- „ gentesimo, septuagesimo sexto, die octava Novembris „ Gandavi inita & instituta; Unio quoque Bruxellis nona „ Januarii, millesimi quingentesimi, septuagesimi septimi, „ subsecuta; Edictum insuper perpetuum Bruxellis decima „ septima Februarii anno eodem publicatum, unà cum ap- „ probatione Regia, in omnibus suis punctis servabuntur, & „ executioni mandabuntur.

„ CXXXV. Et quia præterea quæ à tempore primorum mo- „ tuum acciderunt, post jam dictos tractatus Pacificationis „ Gandavensis, Unionis, & Edicti perpetui ultro, citroque „ varia facta & admissa fuêre, tam in generali quam in par- „ ticulari, hoc præsenti quoque pacificatione non minus „ posteriorum istorum factorum & dictorum, & eorum quæ „ ante contigerunt perpetua oblivio constituatur, ita ut eorum „ nulla amplius fiat mentio, exprobratio, aut inquisitio; quasi „ ea numquam acciderint, idque sub pœna exemplaris corre- ctionis

* *Ita scriptum reperi.*

„ ctionis subditis contraveniendibus tamquam perturbatori- 1579.
„ bus tranquillitatis publicæ infligenda.

„ CXXXVI. Rex Catholicus Vasallis subditisque suis ser-
„ vabit, manutenebit, & si opus videbitur, etiam de integro
„ confirmabit omnia & singula Jura, Usus, Consuetudines,
„ Immunitates, Exemptiones, & Privilegia quarumlibet Pro-
„ vinciarum, civitatum, oppidorum communitatum, aliorum-
„ que privatorum omnium, tum in genere, tum in specie,
„ quemadmodum in Edicto perpetuo, articulo decimo, &
„ cum Provinciis Belgicis inauguratus fuit, promisit & juravit.

„ CXXXVII. Omnes milites extranei, utpote Hispani, Itali,
„ Germani, Galli, Burgundi, Angli, Schoti, & cæteri
„ omnes Peregrini, qui propter hosce motus utrimque accer-
„ siti sunt, Provinciis Belgicis ab hac pace promulgata,
„ intra terminum communi consensu constituendum, simul
„ excedent, & eodem tempore.

„ CXXXVIII. Quod verò attinet ad alios milites non ex-
„ traneos, etiam ad plenam exonerationem afflictorum sub-
„ ditorum, mandabit Rex universum militem, tam terra
„ quam mari, eodem quoque tempore exauthorari & dimitti,
„ ut nimirum deinceps sibi privatim vivant in tranquillitate,
„ ordinariis tantum præsidiis retentis ac suffecturis, ut sub-
„ diti quoque, cives & incolæ omnes, citra cunctationem
„ redeant ad mercaturam, opificia, & negotia Pacis, quibus
„ se, uxores, liberosque citra injuriam proximi honestè su-
„ stentare valeant, & à publico armorum usu, & pacis tem-
„ pore non convenienti, desistant & abstineant.

„ CXXXIX. Universæ exactiones, impositiones, cætera-
„ que inusitata vectigalia & onera præsentium turbarum occa-
„ sione quomodolibet inducta, penitus cessabunt, & tollen-
„ tur, ita tamen ut si quæ certorum onerum continuatio
„ adhuc fore ex usu publico judicabitur, simul atque per
„ Ordines Statuum ejusmodi quid demonstratum fuerit, Rex
„ haud gravatim se Ordinum consiliis juxta ac desiderio
„ accommodabit.

„ CXL. Præterea instaurabitur libertas commerciorum &
„ transitus ubivis locorum per urbes, pagos, portus, ea-
„ rumdem Provinciarum, non minus terra quam mari, per-
„ que fluvios & flumina, prout factitatum ante præsentes

„ hosce

1579. „ hoſce tumultus: novis autem vectigalibus atque impoſitio-
„ nibus, abſque Regis authoritate eatenus per hos motus
„ de facto inſtitutis, ſtatim ceſſaturis.

„ CXLI. Et ne qua ſemina altercationum aut querelarum
„ relinquantur, omnes eccleſiaſtici, nec non omnes ſæcula-
„ res, tam extranei quam intranei, recuperabunt pacificè
„ bona ſua ſæcularia & eccleſiaſtica reſpectivè, mobilia ex-
„ tantia, & omnia immobilia, titulos, debita, & actiones,
„ iiſque ſtatim uti ac frui poterunt, in eo nimirum ſtatu ac
„ qualitate, quibus inpræſentiarum illa ipſa reperientur, id-
„ que omni dolo ac fraude ſemotis, non obſtante ulla Hy-
„ pothecatione, aut quavis alienatione à tempore Pacifica-
„ tionis Gandavenſis facta in contrarium, quæ verò ante
„ Pacificationem Gandavenſem acciderunt, ejuſdem diſpoſi-
„ tioni relinquantur.

„ CXLII. Similiter quoque ſubditorum quilibet etiam re-
„ dintegrabuntur in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficiis,
„ gubernaculis, muneribus, functionibus & officiis, plane
„ uti tempore Edicti perpetui (illis qui ante Edictum *conti-*
„ *gêre*, ejuſdem diſpoſitioni relictis) extiterit, exceptis tan-
„ tum iis, quibus contra libertatem, Juraque ac Privilegia
„ Patriæ de ulla functione proſpectum fuiſſe demonſtrabi-
„ tur, proviſo tamen, quod ejuſmodi ſpoliati denuo redin-
„ tegrandi, tenebuntur præſtare jusjurandum cujus in proxi-
„ mo articulo fit mentio, prout facturi quoque ſunt cæteri
„ ad novas functiones & officia impoſterum cooptandi, re-
„ vocando, ceſſando, & annullando quidquid hinc inde
„ factum, decretum, pronuntiatum fuerit in contrarium.

„ CXLIII. Nulli admittentur ad ulla gubernacula Provin-
„ ciarum, civitatum, caſtrorum, atque arcium, Capitanea-
„ tus aut Præfecturas militum, nec non ad Conſilia rerum
„ Status, Privatum, Financiarum, ſub generalibus guberna-
„ culis comprehenſarum, qui etiam ante receptionem, ultra
„ antiqua & conſueta juramenta, Regi tamquam eorum
„ Principi naturali præſtare ſolita, in hos articulos Regi
„ & Ordinibus ſolemniter jurabunt, eoſque promittent fide-
„ liter ſincereque ſervare ſub pœnâ perjurii, & tamquam
„ tales puniendi.

„ CXLIV. Captivi utriuſque partis omnes, qui ob *dictos*
„ tumul-

„ tumultus adhucdum detinentur, ſtatim abſque ullo pretio 1579.
„ relaxabuntur, niſi antea de eo aliud inter eos fuerit con-
„ ventum & concordatum.

„ CXLV. *Comes Buranus* ſuæ libertati & Patriæ infra tres
„ menſes, poſtquam Princeps *Auraicus*, ea quæ cum ipſo
„ tractabuntur, impleverit, reſtituetur.

„ CXLVI. Decreta, diſpoſitiones, ordinationes, per
„ Dominum Archiducem *Matthiam* ſuoſque collaterales, &
„ Ordines Statuum, à tempore ultimarum turbarum, no-
„ mine Regis emanatæ, pro legitimis & validis habebuntur,
„ ſuoſque debitos ſortientur effectus. Quoad beneficia,
„ dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quæ ſolent
„ eſſe poteſtatis aut diſpoſitionis ordinariæ, illorum qui te-
„ nent locum Gubernatoris dictarum Provinciarum, non au-
„ tem in iis quæ propriæ perſonæ Regis reſervantur, aut ſi
„ quæ facta ſint contra Jura, Privilegia, & Immunitates Pa-
„ triæ tam in generali quam in particulari, vel alioqui in
„ ullius injuriam, vel detrimentum redundarint.

„ CXLVII. Parum * etiam quarumlibet urbium & alio- *lego*: Pariter.
„ rum locorum magiſtratus ſeu officiales, ſuis functionibus
„ deſtituti alia via ac ratione, quam juris ordine legitimè
„ ſervato, aut alias contra Privilegia dictarum urbium, aut
„ præter ordinarios conſuetoſque modos, cumprimis reſti-
„ tuentur & redintegrabuntur, in dignitates officiaque ſua,
„ nec non ad eorum creationem futuris temporibus procedetur,
„ prout olim, & ſicut ex Juribus, Moribus, Privilegiis, cujuſque
„ Patriæ, urbis, & loci decet, ne cui facta toleretur injuria.

„ CXLVIII. Authoritas & obedientia Regia à ſubditis cum-
„ primis reſtituetur & ſervabitur, qualis merito juxta præ-
„ ſcriptum divini & humani juris, nec non Privilegia, Uſus,
„ & Conſuetudines Patrias, & per Pacificationem Ganda-
„ venſem, Unionemque ſubſecutam, Edictum perpetuum &
„ præſentem tractatum eſſe debet, qualiſque olim ſervata eſt,
„ ut rectè nimirum adminiſtretur juſtitia, ſubditi regantur
„ in omni ratione, æquitate, quiete, & obedientia, idque
„ ad eam formam, modumque quo factum eſt ab omni me-
„ moria, tam defuncti Imperatoris *Caroli quinti*, ejuſque præ-
„ deceſſorum, quam etiam Regis tempore, uſque ad harum
„ turbarum initia, ſine cujus inſtauratione ac ſubditorum

1579. „ obedientia, nequaquam possibile est populum in unione, „ concordia, rectaque justitia, quiete, ac tranquillitate continere.

„ CXLIX. Superest de gubernaculis generalibus dictarum „ Provinciarum, quarum occasione Rex eliget Principem de „ Sanguine, qui, quæve, rerum experientia pollens, habeat „ dotes & qualitates ad ejus generis arduum munus cumprimis necessarias, & de quo, seu qua, subditi justam causam „ satisfactionis sint habituri. Gubernabit autem cum omni „ justitia & æquitate, præsertim verò secundum Usus, Jura, „ Consuetudines, & Privilegia dictarum Provinciarum, etiam „ comprehensis Pacificationibus supradictis, & hoc præsenti reconciliationis edicto, quod tenebuntur promittere „ & jurare.

„ CL. In cujus quidem Gubernatoris generalis manus, „ citra ulteriorem hæsitationem planè ac integrè tradentur „ omnes & singulæ civitates, urbes, arces, atque alia loca, „ quæ ab una alterave parte, quocumque titulo aut prætextu „ tenentur, una cum patrimonio ad Regem pertinente, tormentisque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis ac „ navibus, ut nimirum ea loca, quæ ab omni tempore præsidium habuerunt, consilio Consilii Status, naturalibus Belgicis, astringendis jurejurando, quo, ultra antiqua & consueta juramenta Regi tamquam eorum Principi naturali „ præstari solita, de his articulis observandis, Regi & Ordinibus sese obligabunt, custodienda committat, aliasque „ de illis disponat, sicuti servitio Regis & commodis, ac „ securitati Provinciarum, magis expedire arbitrabitur, & alias „ prout fieri decet, factumque fuit ante motus præcedentes.

„ CLI. Permittente nihilominus Rege (& quidem merè „ in hujus reconciliationis gratiam) ut quod hactenus ex ejus „ patrimonio, seu populi subsidiis, desumptum & collectum „ fuit, id ita collectum receptumque maneat, absque ulteriori persecutione seu vexatione cuique mortalium inferenda, ita tamen ut inposterum ab ejusmodi detentionibus, „ occupationibus, & collectationibus desistatur.

„ CLII. Pacificatione Gandavensi, Unione generali Statuum, Edicto perpetuo Bruxellensi supra ab initio positis, salvis, Ordines Statuum renuntiabunt aliis omnibus „ fœderibus, pactis, mutuisque sponsionibus contractis occasio-

„ ne

„ ne dictorum tumultuum, tam intra quam extra Provincias. 1579.
„ CLIII. Comprehendetur hoc tractatu Regina Angliæ, „ & Dux Andegavensis.

„ CLIV. De cæteris concernentibus expeditionem, con- „ firmationem, publicationem, perpetuamque & firmam ob- „ servationem hujus Pacificationis, postea agendum erit, „ cum omnia fuerint concordata & conclusa.

Articuli Religionis.

„ CLV. QUæ concernunt Religionem, quæ omnibus Prin- „ cipibus verè Christianis debet esse commen- „ datissima, haud potest Rex ullatenus præterire, quin „ vestigiis Regum Catholicorum, suorum majorum, inhæ- „ rendo, percupiat ac mandet in Provinciis suis Patrimonia- „ libus retineri, servarique Religionem Catholicam, Aposto- „ licam, Romanam, ab omni ævo non solum ibidem receptam, „ verum etiam sub qua earumdem Provinciarum subditi olim „ tantopere floruère, & in qua tam dictum Regem, quam „ cæteros suos prædecessores, olim Provinciis inauguratos, „ & mediante solemni jurejurando in Principes suos natura- „ les receptos fuisse, manifestè constat, quæ quidem supra- „ dicta Religio, exclusa quavis alia, liberè, & pacificè, & „ absque ullo impedimento ubivis locorum per universas „ ditiones Belgicas posthac tradetur & exercebitur, prout „ etiam Ordines jam antea se ipsos in Unione generali mutuo „ ac solemniter obligarunt, & in Edicto quoque perpetuo „ ac litteris frequentibus, tam post quam ante turbas præ- „ sentes, se passuros ac procuraturos addixerunt, & sicut „ etiam jam pridem scripsere ad Sacram Majestatem Imperia- „ lem, usque adeo, ut absque gravi nota, & ne dicatur „ confusione universi Status politici, haud possint in re tanti „ momenti propriis scriptis ulla ex parte contravenire.

„ CLVI. Quod verò attinet ad Hollandiam, Zelandiam „ & oppidum Bommel, dispositioni Pacificationis Gandaven- „ sis relinquitur, ita tamen, quod interea temporis in iis „ civitatibus & locis dictarum Provinciarum Religio Catho- „ lica restituetur, in quibus tempore dicti tractatus ibidem „ exercebatur.

1579. „ CLVII. Subditis, qui in reliquis Provinciis Belgicis in „ hac tractatione comprehensis, à Catholica Romana Eccle„ sia recesserunt, Rex Catholicus ad præsentem Belgii Sta„ tum respiciens, per Regium suum Commissarium concedet, „ ut iis liceat in Provinciis istis sine aliqua coërcitione aut „ molestia, occasione Placitorum Religionis eo usque suspen„ dendorum degere, & manere, donec consilio Ordinum le„ gitimè ac debitè in loco tuto, ubi suffragia libera esse „ queant, per Regem vel ejus Gubernatorem Generalem „ congregandorum, aliter dispositum fuerit super Placitorum „ moderatione, proviso tamen, quod interea temporis ejus„ modi subditi à scandalis ac rerum perturbatione, ac omni „ usu & exercitio alterius quam Catholicæ Romanæ Religio„ nis, prorsus abstineant; & interim etiam liberrimè fruen„ tur omnibus suis bonis tam mobilibus quam immobilibus, „ juribus, actionibusque, & poterunt ea ipsa, qualiacum„ que fuerint, etiam alio transferre seu vendere aut alienare „ prout iis videbitur, & quatenus bona sua retinere malint, „ poterunt etiam absentes, ad eorumdem bonorum admini„ strationem & receptionem, in Provinciis sibi eligere quæ„ stores Catholicos, quoscumque volent. Præterea quoties„ cumque voluerint ad Provincias iterum redire, victuri „ tamen Catholicè iisque ritibus ac moribus quos personas „ Catholicas decet, eritque ejusmodi reditus & facultas „ bona administrandi per se, cuilibet bona fide permissus, „ statimque Pastoribus, Officiatis & Magistratibus loco„ rum ad quæ redire cupient, talis intentio ac voluntas „ significata fuit.

„ CLVIII. Ex quâ quidem Regali indulgentia, nulli non „ perquam manifestum redditur, quod Rex nihil minus „ quam bonorum confiscationes, ruinam, ac perniciem suo„ rum subditorum appetat, nec etiam quod rigore superio„ rum placitorum ipsos perstringere constituerit, cum para„ tissimus etiam sit ea ipsa Placita cum consilio Ordinum „ Statuum competenter temperare ac moderari, omniaque „ facere, quæ ad Dei optimi maximi cultum, Provincia„ rumque quietem ac tranquillitatem pertinent, & benignum, „ clementissimum, Christianumque Principem decent."

CLIX. Ad hos secundos Cæsaris Commissariorum articulos mitius

mitius respondente *, & quod plus aliis desiderio Ordinum respondérent, verbis & scripto confessi sunt: haud tamen acceptatos Ordinibus transmisêre, ut quid de iis sibi videretur rescriberent; persistentes in eo semper ut induciæ fierent. In quarum denegatione diu persisterat *Terræ Novæ Dux*: sciebat enim eam solummodo ob causam id tantopere urgeri, ut periculo eximeretur Trajectum obsidione cinctum, quodque haud minori compendio, si vellent Ordines, Pax, quâm induciæ, fieri posset, ita ut hæ viderentur infructuosæ, nihilominus tandem inducias fieri consensit, sed certis conditionibus, quæ non placuêre. 1579.

CLX. Cæterum Ordines visis dictorum Cæsaris Commissariorum secundis articulis, exemplar eorumdem singulis Provinciis transmitti curarunt, ut unaquæque, quid de iis sentiret, significaret, quo principio in longum res trahi cœpta. Quamobrem solliciti dicti Commissarii, ipseque etiam *Terrænovanus Dux* ad Archiducem *Matthiam* & Ordines, ipsasque Provincias particulares scripsêre †. Scripsit similiter ad Ordines

* *Ita vitiosè legitur in ms.*

† Hic nimis leviter transilit auctor: qui post adducta acta integra partium, exhibita in Conventu Coloniensi, merito sane addidisset literas a *Commissariis Cæsareis*, atque a *Duce Terranova scriptas ad Ordines Hollandiæ ac Zelandiæ*, *ipsasque alias provincias particulares*. Utrasque reperi apud *Gerardum Dumbar*, diligentissimum illum Reip. Daventriensis actuarium, & de re literaria bene meritum virum, cujus tômum alterum *Daventriæ illustratæ* tamdiu § desiderari non satis patienter fero. Igitur in ejus *Analectorum tomo* 3. *a pag.* 576. leguntur hæ quæ sequuntur literæ:

§ Hæc scribo die 2. Decemb. 1740.

Sacræ Cæsareæ Majestatis ad negotium Belgicæ pacificationis Deputati Commissarii.

Reverendi, Generosi, Nobiles, Spectabiles & Prudentes.

„ Nemini obscurum esse arbitramur, quanto studio quantis-
„ que molestiis & laboribus hoc onus Belgicæ Pacificationis,
„ a Sacra Cæsarea Majestate nobis impositum, hucusque pro-
„ secuti fuerimus, neque a quoquam in malam partem accipi
„ vel posse vel debere, si longiori vestra cæterarumque Pro-

 „ vin-

1579. nes Imperator ipse, sed nullo successu. Excusabant Ordines dilationem, ob multitudinem Provinciarum, earumque distan-

„ vinciarum & Civitatum (ad quas jam dudum articuli Paci-
„ ficationis, omnium judicio tam æqui & tolerabiles, deci-
„ ma octava Julii a Nobis, Legatis Ordinum exhibiti, vobis
„ procul dubio communicati, postremò verò a nobis sub data
*L. cum. „ quinta hujus denuo transmissi) protracta mora, enim *
„ magno nostro nostrorumque incommodo, frustra hic tem-
„ pus terere non levi afficiamur tædio.

„ Quamobrem vos iterum hisce nostris literis monere vo-
„ lumus, prout monemus & hortamur, ut hanc optimam
„ vestræ salutis, Reipublicæ quoque vestræ tranquillitatis, &
** L. velitis. „ pacis perpetuæ stabiliendæ occasionem vero ** vobis cordi
„ esse, & nec ullo vel diffidentiæ, vel sinistræ alicujus per-
„ suasionis affectu mentes & animos vestros ita fascinari vel
„ obumbrari patiamini, quo præsentem vobis ultro obla-
† Oblatam. „ tum † tamque jucundam quietis & fælicitatis vestræ opor-
„ tunitatem vobis præripi permittatis.

„ Et quia veremur, ne frequentiores illæ Antverpienses
„ turbæ impedimento sint, & in futurum esse possint, quo
„ minus res hæc tam ardua, debita celeritate expediatur, ob
„ id vos serio hortandos duximus, quod ulteriori quavis mora
„ remota, etiam nobis huc Coloniam, cujuslibet alterius
„ Provinciæ vel Civitatis longiori prolongatione non attenta,
„ super ante memoratis (*&*) vobis transmissis Pacificationis
„ articulis vestram resolutionem & sententiam, uti speramus
„ huic negotio convenientem, in forma authentica quam pri-
„ mùm, aut saltem intra spacium trium septimanarum a data
„ præsentium computandarum, renunciari curetis: hoc ipso
„ facietis rem inprimis vobis vestræque patriæ salutarem, Cæ-
„ sareæ Majestati & nobis gratam. Datum Coloniæ 29. Aug.
„ anno 1579.

„ *Jacobus Archiepiscopus Trevirensis.*
„ *Geberdus.*
„ *Julius Episcopus Wirteb.*
„ *Otto Henricus Comes in Swartzenburch.*
„ *Werner Heer zu Gimnich.* "

„ Vermoegende, Edele, Erentfeste, Wyse
„ ende Voorsienige Heeren.

„ Als ick wel getrouwelick overdencke van wat importan-
„ tien ende hoe groote segeninge des Heeren altoes ende by
„ alle

stantias. Interim & hoc petebant, curarent Commissarii, uti Rex liberalius quoad Religionem & Politiam cum ipsis ageret: 1579.

„ alle redelycke Ondersaeten is geachtet geweest den goede „ vaste vrede ofte versoenninghe, besonder als die wordt beraemt tusschen Ondersaeten ende heures Prince, van olders „ tot olders onoverdenckelyck heur angebooren Furst ende „ Landtheer, soo en can ick my niet genoeg verwonderen „ van de slappigheyt, jae sobere begeerte in desen tegen„ woordigen vredehandel, soo by sommige ter avonture mis„ gunners der gemeene ruste en welvaeren schynt voorge„ went te werden. Het is nu weinich dan ses seven ofte „ daer ontrent weecken geleden, dat die Churfursten und „ andere Key. Commissarien alhier binnen Collen ter goeder „ meynunge vergadert, vollencomentlick aen beiden syden „ onderrecht synde van de waerhaftige staet ende gelegent„ heit des Landes, soo wal int generael als particulier, heb„ ben in qualiteit als vroome, oprechte ende redelycke Mid„ delaers nae haer conscientie ende hoogwyse verstant schrif„ telyck vervaetet ende opgerichtet sekere punten en articu„ len, tot den voorgemelten vreede ende versoeninghe sich „ ongetwyvelt streckende. Ende hoe wal deselve doenmaels „ syn standes voets ter handen gestelt an de Gedeputeerden „ by de Staeten to Antwerpen vergaedert, alhier onlancx „ totten vredehandel afgeverdigt: soo en is nochtans tot de„ sen jegenwoordigen dach toe gants geen nut woordt daer „ op gevolcht noch toe voorschyn ghecommen, waer door „ ick dan, in aenschouw nemende, dat die voorz. Key. „ Commissarien sich dagelyks vorderen om van hier te ver„ trecken, ende omme alle ommewege, oock dilatien, die „ tot Antwerpen souden moegen voorvallen, te schuwen, „ nootwendich ben geoorsaeckt, boven myn voorgaende brie„ ven, den XIII. deses lopenden maents aen U geschreven, „ noch wederomme seer vrundtlick mits desen U te vermae„ nen, dat ghy alle misvertrouwen, swaericheyt van herten, „ dat ingeven van onruste geesten, mitsgaders alle andere „ onbetamelick achterdencken, stoutelick ende vrymoedich „ afflaende ende verby gaende, wilt binnen drie weecken „ ten langsten nae datum van desen, t'sy deur uwe Gedepu„ teerden met vullencommen macht, ofte anders door U „ schriftlyck antwoordt, sonder des noodich sy d'eene nae „ die anderen toe wachten, oock alhier toe Collen erschy„ nen, omme deur middelen van syn Key. Mats. verorden-

„ te

1579. ret : serio dicentes, credere se, nisi hoc fiat, Provincias haudquaquam prædictos articulos acceptaturas. Quod cum signum esset evidens, non obstantibus speciosis verbis, quibus in scriptis suis erga Regem utebantur, frustra disputari, ni quidquid vellent plenè concederetur, eoque magis, quod Legatos suos ab initio imperfectis admodum mandatis, nihil sincerum conficiendæ Pacis desiderium sapientibus, Coloniam misissent ; iisque imperfectionibus, quamquam hoc sæpius ab Commissariis Regioque Procuratore serio fuisset petitum, aum-

„ te Commissarien U wederomme te versoenen ende vereeni-
„ gen met syn Con. Mat. die van Godt den Almechtigen U
„ gestelt is tot een natuyrlick Prince, Heere, en Hooft:
„ anders van U niet begeerende, dan in ruste ende euwige
„ vrede U sachtmoedelicken ende eendrachtelicken te regie-
„ ren tot Godes eeren ende U eygen walvarende salicheit;
„ mits wechnemende alle bitterheit des oorloges, ende daeren-
„ boven seer mildelicken U vergunnende alle t'geene wes
„ eenichsins dienlyck sal syn, omme als een goedertieren
„ ende genadich Heer U te vertroesten, ende in alles wes
„ moegelick U te samen, soo wel die minste als die meeste,
„ behoorlicke satisfactie te geven. Des moeget ghy wel
„ vastelyck betrouwen, ende gewisselicken to laeten voor-
„ staen, dat die geene die U anders soecken wys te maec-
„ ken, off van die gelegentheit der gemeene saecke seer
„ qualick syn geinformeert; off mitter herten U niet en mee-
„ nen. Hier mede seer gunstelick my recommanderende in
„ alle U goede gratie. Ende begeerende door brenger van
„ desen sonder vertreck eenich antwoort, om te weten waer
„ nae ick my voortaen sal hebben te reguleren, ende wes
„ goedes van wegen syne May. ik van U sal hebben te ver-
„ wachten. Geschreven vuyt Collen den eersten Septem-
„ bris 1579.

Uwer aller gantz geneicht ende goetgunstlicken vrundt
Carolus ab Arragonia
Dux de Terra Nova.

Subjicit hisce *Clar. Dumbar* Transisalanorum responsa ad propositos pacis articulos, nec non ad epistolam Cæsareorum Commissariorum, sed his nihil est opus, cùm *Tassius* mox infra N. CLXIV. adferat generale Ordinum responsum.

numquam ſatisfacere voluiſſent: unde haud dubium erat colligere, ad evitandam Imperatoris totiuſque Imperii malevolentiam, potius quam ad pacem revera conficiendam, tractationem iniiſſe, eaque ſpe, ut variis argumentis toto tractationis tempore cautè, etiamſi humiliter propoſitis, poſſent ſub finem pacis non confectæ, culpam apud complures in Regem conjicere. 1579.

CLXI. Dicti Cæſaris Commiſſarii tandem tædio affecti, poſtquam bis terminum limitatum reſponſioni abſque fructu conſtituiſſent, tandem poſt trium menſium moram tractationi finem impoſuêre, ditioneſque ſuas verſus reverſi ſunt. Uti etiam diſceſſit *Terræ Novæ Dux*, deluſis univerſum per orbem omnibus, qui ex hac tractatione boni aliquid ſperabant, non tamen ſine inſigni *Auraici* emolumento, utpote, qui ex hujus tractationis defectu, in Regem, quamvis falsò, conjecta culpa, non parum occultis ſuis intentionibus firmitudinis, ac roboris addidit: nullo verò alio Regis fructu, quam quod Sylvæducenſis civitas, paternis piiſque Regis indulgentiis commota, ex eo tempore à partibus ſuis ſtare conſtituit. Fuêre etiam ex Legatis Ordinum quidam, qui ex hujus tractationis ſucceſſu, non parum ſibi, ſuiſque rebus commodum prudenter compararunt. Abbates enim *Divæ Getrudæ* Lovanii, ac *Marolenſis*, quorum Abbatiæ in Regia erant poteſtate, perſuadere ſibi ſivêre à *Terrænovano* ac *Funckio*, ut jam deinceps etiam Regias partes ſequerentur, ob quod non ſolùm, Abbatiæ dictæ eis reſtituæ, ſed & inter rerum Status Conſiliarios aggregati ſunt.

CLXII. Dux præterea *Arſchotanus*, cujus fere omnia bona, etiam jam tunc reconciliatis cum Rege Artheſiis, eorumque ſociis, in Regia erant poteſtate, & ipſe cum filio ſe reconciliavit, ut etiam fecit *Gaſpar Schetus*, qui omnes poſtea ad *Parmenſem* profecti, omni ab eo benevolentia accepti & tractati ſunt.

CLXIII. Cæterùm ut nihil reticatur eorum, quæ contigerunt; quamvis cæteris expoſitis, quod jam ſupereſt parum ad rem faciat, venit tandem poſt conventus diſſolutionem, ac Cæſareorum, Regiumque Legatorum diſceſſum, excepto *Comite de Swartzenburg*, reſponſum Ordinum, ad eos articu-

1579. los jam diu ante à prædictis Cæsareis Legatis propositos (*quod*) sequitur.

„ CLXIV. Primùm, Pacificatio, anno millesimo, quin„ gentesimo, septuagesimo sexto, die octava Novembris „ Gandavi inita & instituta, Unio quoque Bruxellensis, nona „ Januarii millesimi quingentesimi septimi subsecuta, Edictum „ insuper perpetuum Bruxellis decima septima Februarii „ anno eodem publicatum, unà cum approbatione Regia, „ salvis iis quæ in sequentibus articulis mutata aut aliter sta„ tuta inveniuntur; in omnibus suis punctis & articulis „ servabuntur.

„ CLXV. Et quia præterea, quæ à tempore primorum „ motuum acciderant, post jam dictos tractatus Pacis Gan„ davensis, Unionis & Edicti perpetui, ultro citroque varia „ facta, dicta, & amissa fuère, tam in generali quam in „ particulari, hac præsenti quoque Pacificatione non minus „ posteriorum istorum factorum & dictorum, quocumque „ modo & loco commissorum, sive demolitionem castrorum „ & munitionem spectent, sive quidvis aliud quam eorum, „ quæ antea contigerunt, perpetua oblivio constituatur, ita „ ut eorum nulla amplius fiat mentio, exprobratio, aut in„ quisitio, neque per Fiscales, Officiales publicos, neque „ per alios cujuscumque conditionis fuerint, quasi ea num„ quam accidissent, idque sub pœna exemplaris correctionis, „ contravenientibus tamquam perturbatoribus tranquillitatis „ publicæ infligenda, ad quem finem & ad majorem securi„ tatem omnes sententiæ, decreta, præscriptiones, & arresta „ occasione dictarum turbarum prolata seu facta, tam in his „ quam aliis ditionibus Majestati Suæ subditis, erunt cassa & „ irrita, & è publicis registris (*seu*) protocollis expurgabun„ tur & delebuntur: neque castra aliqua restaurabuntur, aut „ de integro ædificabuntur per Majestatem Suam, aut ejus „ successores, ullo unquam tempore.

„ CLXVI. Rex Catholicus, ejusque successores, Vasallis, „ subditisque servabunt, manutenebunt, & si opus videbitur „ de integro confirmabunt, & per omnes imposterum Gu„ bernatores tam generales quam particulares, inviolabiliter „ observari curabunt, cum præsenti tractatu, omnia & sin-

„ *gula*

„ gula Jura, Usus, Consuetudines, Immunitates, Exemptio- 1579.
„ tiones & Privilegia quarumlibet Ditionum, Civitatum, Op-
„ pidorum, Communitatum, aliorumque privatorum omnium,
„ tum in specie, tum in genere.

„ CLXVII. Omnes Belgii milites extranei, tam pedites
„ quam equites, Hispani, Itali, Burgundi, Albani, Galli,
„ Germani, cæterique omnes peregrini, sive (*post*) præsen-
„ tes motus huc venerint, sive antea accersiti fuerint, intra
„ quindecim dies post publicatam pacem, egredientur civi-
„ tates & arces, & intra viginti dies Burgundiâ, nec rever-
„ tentur ipsi, nec alii, nisi ex causa externi belli, aut gene-
„ raliter alterius necessitatis, Ordinibus cognita & approbata.
„ Et tenebuntur dicti milites in discessu ex civitatibus oppi-
„ dis, & castellis relinquere omnem commeatum, provisio-
„ nem, tormenta & munitiones bellicas in illis inventas, &
„ eductas, evectas, translatasque restituere, & prima opportu-
„ nitate reponere in locis, unde allatæ evectave fuerint, &
„ nihil eorum efferre, sed omnia remanebunt ad usum & tute-
„ lam locorum, secundum dispositionem inferius sequentem.

„ CLXVIII. Et pro majori securitate dicti articuli, Gu-
„ bernatores & Ordines tam generales quam particula-
„ res, . Luxemburgi & Burgundi, jurabuntomnem observa-
„ tionem præsentis tractatus, nec permittent, nec patien-
„ tur umquam, reditum vel transitum aliquorum extra-
„ neorum militum, in damnum ac præjudicium istarum
„ Regionum, in cujus confirmationem exhibebunt publicum
„ documentum. Ordines vicissim curabunt mutua commercia
„ dictis Provinciis redintegrare, & cum omni securate servari.

„ CLXIX. Eodem tempore quo dicti exteri discedent,
„ Arthesienses (&) eorum belli consortes, reddent cum
„ commeatu & munitionibus, Civitates, Arces, & loca ab
„ ipsis in aliis ditionibus occupata, detenta, seu in eorum
„ potestate existentia. Vicissim eodem modo & tempore re-
„ stituentur omnia loca, quæ Ordines aliarum Provinciarum,
„ in ipsorum ditionibus occupant aut detinent, & ad plenio-
„ rem exonerationem subditorum, inducendamque majorem
„ confidentiam & amicitiam, utraque pars revocabit & con-
„ tinebit omnem suum militem intra proprios suæ ditionis
„ limites, constitutis utrimque commissariis ad designatio-

1579. „ nem locorum in quibus hinc inde degent, ſpatio menſis aut „ ſex hebdomadarum, ut interea pecuniâ ſolutioni ſtipendii „ neceſſaria confectâ, omnes eodem tempore dimittantur.

„ CLXX. Et ut mutua ditionum concordia ſit magis „ diuturna ac firma, Ordines Artheſienſium eorumque con- „ ſortes, præſtabunt cautionem de non dando exteris tran- „ ſitum ad interiores ditiones, ſimilem illi de qua in ſuperiori „ articulo reſpectu Luxemburgenſium & Burgundionum „ dictum eſt. Viciſſim Ordines aliarum ditionum, ad eamdem „ cautionem Luxemburgenſibus, Burgundis, Artheſienſibus, „ eorumque conſortibus præſtandam tenebuntur, proviſo „ tamen, quod ſi præter dictos exteros, aliqui Regii milites „ adhuc inveniantur, qui partibus Artheſienſium & conſor- „ tium non acceſſerint, ii exauthorabuntur & dimittentur „ eodem tempore, quo exibunt exteri: & civitates, caſtra, „ atque arces quibus exibunt, reſtituentur Ordinibus cujuſ- „ que Provinciæ: ea lege & conditione quod (ut ſecurius „ revertantur incolæ, & liberiorem uſum commerciorum „ ſuorum habere queant) remanebunt exoneratæ & liberæ „ ab omni milite, niſi ſint tranſitus intrandi, quibus ante hos „ tumultus & antiqua conſuetudine præſidia eſſe conſueve- „ runt, quibus providebitur, prout inferius.

„ CLXXI. Quantnm ad exactiones, impoſitiones, cætera- „ que vectigalia & onera præſentium turbarum occaſione „ inducta, attinet, quandoquidem conſtat ditiones, occaſione „ præſentium turbarum ac præcedentium onerum, magno „ ære alieno prægravari, ita ut periculum ſit, ne ſubditi „ peregrè proficiſcentes detineantur, & mercatorum com- „ mercia impediantur, niſi provideatur; Rex Ordinibus „ permittet eo modo proſpicere, quoad exonerationem ſub- „ ditorum, libertatem, & ampliationem commerciorum ju- „ dicabunt expedire, approbatis omnibus conſtitutionibus, „ redituum, penſionum, & aliarum obligationum & ſecuri- „ tatum hactenus per Ordines factis.

„ CLXXII. Et ne qua ſemina altercationum aut querela- „ rum relinquantur, omnes eccleſiaſtici, nec non Illuſtriſſimus „ Princeps *Auraicus*, aliique omnes ſæculares, tam intranei, „ quam extranei, recuperabunt pacificè omnia immobilia ſua „ bona & Ecc.ª iiſque ſive in Burgundia, Luxemburgo,

„ Hol-

„ Hollandia, Zelandia five alio quovis loco fitis ftatim uti 1579.
„ ac frui poterunt, eo nimirum ftatu ac qualitate, quibus
„ inpræfentiarum illa ipfa reperientur, idque omni dolo ac
„ fraude remotis : non obftante ulla Hypotecatione, aut
„ quavis alienatione à tempore Pacis Gandavenfis facta in
„ contrarium ; falvis his quæ in Capitulis, de Religionis
„ exercitio difponentibus, inferius fubjicientur. Similiter
„ reftituentur liberæ poffeffioni omnium mobilium, titulo-
„ rum, actionum & debitorum non alienatorum.

„ CLXXIII. Quæ vero ante Pacem Gandavenfem accide-
„ runt, ejufdem difpofitioni relinquuntur, quemadmodum
„ etiam difpofitioni XV, XVI. articulorum ejufdem Pacifica-
„ tionis Gandavenfis relinquuntur reditus & onera, quibus
„ dicta bona immobilia gravantur ufque ad natalitia Domini
„ proximè fequentia.

„ CLXXIV. Similiter quoque fubditorum quilibet hinc
„ inde redintegrabuntur in fuis honoribus, dignitatibus &
„ beneficiis Ecclefiafticis, novis Epifcopatibus, omnibus
„ dignitatum ac beneficiorum incorporationibus ceffaturis,
„ & in perpetuum abolendis. Similiter recuperabunt guber-
„ nationes, officia, & functiones publicas adhuc aliis non
„ collatas, nifi malint moderata compenfatione effe contenti.
„ Illis verò quorum officia & functiones aliis jam funt col-
„ latæ, æqualibus fiet compenfatio intra quatuor menfes, poft
„ pacem publicatam, difcernenda & ftatuenda per commif-
„ farios hinc inde committendos, ne in ipfo Pacificationis
„ principio, & fine priorum tumultuum, nova turbarum
„ nafcatur occafio; provifo tamen quod ejufmodi denuo re-
„ dintegrandi tenebuntur præftare jusjurandum, cujus in fe-
„ quenti articulo fit mentio, prout futuri quoque cæteri ad
„ novas functiones & officia impofterum affumendi, revo-
„ cando, caffando, & annullando, quidquid hinc inde fa-
„ ctum, decretum, pronuntiatumque fuerit.

„ CLXXV. Nulli admittentur ad Confilia rerum Status,
„ Privatum, Financiarum, aliaque officia majoris momenti,
„ & univerfitatem refpicientia, nifi grati Ordinibus genera-
„ libus, nec ad gubernacula Provinciarum, Civitatum, Ca-
„ ftrorum, & Arcium, Capitaneatus aut Præfecturas militum

1579. „ præsidialium, Status & officia principalia, singulas Pro-
„ vincias concernentia, nisi grati Provinciis, in quibus dicta
„ officia exercebuntur. Omnes autem supra dicti, sive ad
„ officia universalia, sive alia officia assumendi, erunt
„ naturales Provinciarum, bene qualificati secundum Privi-
„ legia, qui etiam ante receptionem solemniter jurabunt Regi
„ & Ordinibus fidelitatem & observationem istorum articu-
„ lorum, promittentque fideliter & sincere revelare Ordini-
„ bus cujusque ditionis, si quæ intellexerint contra honorem,
„ utilitatem, aut tranquillitatem earumdem tractari, sub pœna
„ perjurii, & destitutione functionis & officii.

„ CLXXVI. Captivi utriusque partis, qui ob dictos tu-
„ multus adhuc detinentur, statim & absque ullo pretio
„ relaxabuntur, nisi jam antea aliud de eo fuerit conventum
„ & accordatum.

„ CLXXVII. *Comes Buranus* suæ libertati & Patriæ resti-
„ tuetur intra tres menses, à die publicatæ hujus Pacificationis.

„ CLXXVIII. Decreta, Dispositiones, & Ordinationes
„ per Serenissimum Archiducem *Matthiam*, suosque collate-
„ rales, & Ordines Statuum, à tempore ultimarum turba-
„ rum emanatæ, tàm ante separationem quarumdam ditio-
„ num, quam post, legitimè & validè habebuntur, suosque
„ debitos sortientur effectus, quoad Beneficia, Dignitates,
„ Officia, aut alias res quasqumque, quæ solent esse pote-
„ statis aut dispositionis ordinariæ illorum qui tenent locum
„ Gubernatoris dictarum Provinciarum.

„ CLXXIX. Et insuper ad preces dictorum Ordinum Rex
„ Catholicus ratas habebit dispositiones factas, etiam de iis,
„ quæ propriæ personæ suæ reservantur, idque pro hac vice
„ dumtaxat, & salvis iis, quæ per hunc tractatum aliter
„ sunt disposita.

„ CLXXX. Ad creationem Magistratuum, aliorumque par-
„ ticularium Officialium, in civitatibus & aliis locis, pro-
„ cedetur futuris temporibus prout olim, & sicut ex Juribus,
„ Privilegiis cujusque Patriæ, urbis, & loci decet.

„ CLXXXI. Authoritas & obedientia Regi cumprimis
„ restituetur & servabitur, qualis merito secundum præ-
„ scriptum Divini & Humani juris, nec non Privilegia, Usus,

„ &

„ & Consuetudines Patrias, & Pacificationem Gandavensem, 1579.
„ Unionemque subsecutam, Edictum perpetuum, & præ-
„ sentem tractatum esse debet.

„ CLXXXII. Ad Regimen & Gubernacula dictarum Provinciarum Rex eliget Principem de Sanguine suo legitimo, „ Statibus gratum, qui, quæve rerum experientia pollens, „ habeat dotes & qualitates, ad ejus generis arduum munus „ cumprimis necessarias, & de quo seu qua, subditi justam „ causam satisfactionis sint habituri. Gubernabit autem in omni „ justitia & æquitate præsertim secundum Usus, Jura, Consuetudines, Privilegia dictarum ditionum, etiam comprehensis Pacificationibus supradictis, & hoc præsentis reconciliationis Edicto, quod tenebitur promittere & jurare. „ Et quoniam Serenissimus Archidux *Matthias* in maximis „ istis tumultibus moderatissimè se gessit, cupiunt & supplicant Ordines, ut Majestas Sua eumdem Archiducem vel „ continuare, vel de integro committere dignetur, sub obligatione & jurejurando prædictis.

„ CLXXXIII. Civitates & urbes, arces, tormenta bellica, „ munitiones, commeatus, arma, & naves aliaque omnia „ Hollandiam & Zelandiam, & confœderatos respicientia, „ relinquentur dispositioni Gandavensis Pacis, per alias vero „ ditiones in potestate dictorum Ordinum existentes, servabuntur & administrabuntur per eos, quibus officia Gubernatorum, Capitaneorum, & aliorum officiatorum per dictum „ Serenissimum Archiducem, & Ordines commissa sunt, præstito jurejurando Regi & Statibus, de quo in nono articulo „ superius est actum. Et civitates, castra, ex quibus Hispani „ & alii exteri excedent, aliaque officia, quæ in imposterum vacabunt, committentur naturalibus harum ditionum „ qualificatis, secundum Privilegia, & Ordinibus cujusque „ Patriæ gratis, qui antequam suscipiant dictarum civitatum „ castrorum & arcium gubernacula atque munitionum custodiam, jurabunt jusjurandum in nono articulo superius propositum, donec super iis ex consensu Ordinum generalium „ solemniter congregatorum aliter fuerit dispositum. Interim „ verò statim in manus dicti Gubernatoris, Patrimonium, „ aliaque bona ad Regem pertinentia tradentur.

„ CLXXXIV. Permittente nihilominus Rege, & quidem

„ merè

1579. „ merè in hujus reconciliationis gratiam, ut quod hactenus „ ex ejus Patrimonio seu populi subsidiis desumtum & col- „ lectum fuit, id ita collectum receptumque maneat, ita „ tamen ut imposterum ab hujusmodi detentionibus & oc- „ cupationibus desistatur.

„ CLXXXV. Ordines renuntiabunt omnibus fœderibus, „ pactisque cum exteris, occasione dictorum tumultuum „ initis, exceptis his, quæ cum Serenissima Regina *Angliæ*, „ & Duce *Alanzonio* tractata sunt.

„ CLXXXVI. Comprehendetur hoc tractatu dicta Regi- „ na, Dux *Alanzonius*, omnesque Principes, & alii cujus- „ cumque conditionis fuerint, qui Ordinibus quoquo modo „ favorem aut auxilium præstiterunt.

CLXXXVII. Et quoniam propter commercia subditorum „ cum vicinis, diversam Religionem observantibus, diutur- „ nam Suæ Majestatis absentiam, & tumultus subsecutos, „ tanta in Religione mutatio orta sit, ut sine evidenti dis- „ crimine majorum periculorum, res ad pristinum statum „ reduci non possit, Rex ad supplices preces subditorum „ suorum, & ne intestina dissidia cum majori periculo Re- „ ligionis Romanæ augeantur, tolerabit tam Religionis Re- „ formatæ, quam Confessionis Augustanæ exercitia in civi- „ tatibus & locis in quibus nunc publice observantur. Vi- „ cissim Ordines in omnibus civitatibus & locis supradictis, „ curabunt statim publicata pace restaurari exercitium Re- „ ligionis Catholicæ Romanæ, propositis pactis æqualibus „ inviolabiliter observandis. Præterea post pacem publica- „ tam & dimissum utrimque militem, rebusque pacatis, Or- „ dines convenient & præsentibus Commissariis Regiis da- „ bunt operam, saltem reducere usum dictæ Religionis Re- „ formatæ ad certas civitates & loca, ut cuique Provinciæ „ convenire videbitur. Hollandis & Zelandis, eorumque „ confœderatis, nihilominus manentibus in terminis Pacifi- „ cationis Gandavensis. Studebunt quoque Ordines, ut „ etiam per Hollandiam & Zelandiam aliquibus locis usus „ Religionis Catholicæ Romanæ recipiatur, donec progressu „ temporis per ulteriorem conventum plenius videatur, si in „ priori congressu omnia absolvi non possint. “

CLXXXVIII. De cæteris concernentibus expeditionem, confir-

confirmationem, publicationem, perpetuamque & firmam 1579.
observationem hujus Pacificationis, postea agendum erit, cum fuerint concordata & conclusa.

CLXXXIX. Erat Ordinum responsum mitiori quidem stylo conscriptum, sed tamen cum in punctis Religionis, authoritatisque Regiæ non ita videretur desiderio ac menti Regis accommodatum, ut merito alliceret legatos ex itinere Coloniam reverti, iter quod jam susceperant, prosecuti sunt. Itaque quod eousque infectum extiterat, infectum & postea mansit, omnisque ulterior de pace tractatio evanuit.

CXC. Restat nunc quid Arthesiensibus, Hanoniensibus, Insulanis, Duacensibus, ac Orchiensibus super reconciliatione cum Rege ineunda, quò ante eos inclinare diximus, acciderit, enarrare.

CXCI. Tractarunt earumdem Provinciarum Commissarii Atrebati cum prædictis Commissariis Regiis, eo tandem res utrimque deducta, ut dictæ Provinciæ miserint ad Principem *Parmensem*, adhucdum in castris Maestrichtensibus agentem, ac in obsidione illa occupatum, Dominum *De Capres* *, Reverendum Dominum *Joannem Zarazini* Divi *Vasti* Abbatem †, aliosque plures deputatos, qui ibi quod reliquum esset perficerent.

CXCII. Hos *Parmensis* splendidè exceptos Vitetii ‡ per aliquot dies, qua maxima potuit benevolentia prosecutus est, Regiis aliquot ministris etiam deputatis, quibuscum de absolvenda reconciliatione continuo agerent. Accidit verò dum in eo laboratur, *Parmensem* magno illo morbo (de quo supra) corripi. Partes itaque, ne mors, quæ metuebatur, rebus jam feliciter eo deductis etiam esset exitio, zelo publici boni pulsi, tanta festinatione usi sunt, ut in ipsa ægritudine potuerit Princeps articulis reconciliationis subscribere, eosque jurejurando confirmare, dilata tamen decisione quarumdam difficultatum non adeo magni momenti, in alterum conventum deputatorum utriusque partis, qui brevi montibus Hanoniæ esset babendus, uti & postea fuit habitus, ubi cum omnia

* Odoardus de Bournonville Baro de Capres.
† Io. Sarazin Sancti Vedasti Abbas apud Atrebates.
‡ *Lege*: Viseti.

1579. omnia communi omnium gaudio limitata & conclusa fuissent, tandem de omnibus hoc confectum ac promulgatum Regium Edictum.

Articuli pacis & reconciliationis provinciarum Arthesiæ & Hannoniæ.

„ CXCIII. PHILIPPUS Dei gratiâ Rex Castellæ, Le-
„ gionis, Arragoniæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Majori-
„ cæ, Minoricæ, Sardiniæ, Insularum Indiarum, & con-
„ tinentis maris Oceani, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,
„ Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Gel-
„ driæ, Mediolani, Comes De Habsburg, Flandriæ, Arthesiæ,
„ Burgundiæ, Palatinus & Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ,
„ Namurci, Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sacri
„ Imperii, Dominus Frisiæ, Mechliniæ, & civitatum, ditio-
„ numque Transinsulanæ, Groeningiæ, Dominator in Asia
„ & Africa, omnibus has præsentes visuris salutem.

„ Cum post introitum nostri quondam fratris *Joannis Au-*
„ *striaci*, tunc temporis nostri Gubernatoris ac Capitanei
„ generalis apud Belgas, in arcem Namurcensem, multæ
„ ortæ fuerint discordiæ inter illum, Ordinesque generales,
„ eæque nullo modo componi potuerint, eamque ob causam,
„ immenso nostro dolore, grave & crudele bellum inde natum
„ fuerit, maxima cum destructione multorum nostrorum sub-
„ ditorum, volentes paterno ac boni Principis officio uti
„ semper solliciti, post hosce ultimos tumultus, vias, modos-
„ que eos sopiendi quærere, & tandem per charissimum
„ nostrum Nepotem *Parmæ* ac *Placentiæ* Principem, nostrum
„ in dictis ditionibus Gubernatorem ac Capitaneum genera-
„ lem, cum Provinciis Arthesiæ, Hanoniæ, Insulis, Duaco,
„ & Orchia ad eas in prædictum finem missis ac delegatis,
„ Reverendo in Deo Patre charo ac fideli nostro *Matthæo*
„ *Moulart* episcopo Atrebatensi, *Joanne de Noircarmes*, da-
„ pifero nostro, & turmæ custodiæ corporis nostri locum
„ tenente, ac *Guilielmo de Vasseur* Domino *De Valsion* *, of-
„ ferentes illis observationem Pacificationis Gandavensis,
„ Unionis subsecutæ, & Edicti perpetui, ut jam ante no-
„ stro nomine factum fuerat; per litteras scriptas duodecima
„ Martii præteriti in nostra civitate Antverpiensi deputatis
„ cæterarum Provinciarum, quas conditiones ipsi neglexêre
„ ac sinistrè sunt interpretati; sed prædictæ Provinciæ, Ar-
„ thesia, Hannonia, Insula, Duacum, & Orchia melius de

* *Apud Stradam & Borrium lego*: Walhuonii, *Walbougne*, *Walbuon.*

„ nostra

„ nostra mente judicantes, eas acceptarint, earumque de- 1579.
„ putati aliquos conceperint articulos, quibus ad bonam re-
„ conciliationem pervenire queant, superque iis tam prolixè
„ fuerit disputatum inter dictos dicti nostri Nepotis dictarum-
„ que Provinciarum deputatos, ut conclusi fuerint decima
„ tertia mensis Maii ultimi, dictisque in articulis facta eorum
„ exhibitione dicto nostro Nepoti in castris Maestrichtensi-
„ bus, inventæ fuerint aliquot obscuritates & difficultates,
„ quarum ob causam fuerit ibi conventum, deputarentur
„ denuo ab utraque parte Commissarii, ad difficultates ex-
„ plicandas ac componendas, atque etiam referretur eorum
„ ratificatio, nec non jusjurandum, quod tunc temporis,
„ nempe vigesima nona Junii ultimi, supra dictis articulis
„ præstiterat, dictus noster Nepos *Princeps Parmensis*, illeque
„ in eum finem Montium miserit nostrum charum ac fidelem
„ Cognatum *Comitem De Mansfelt*, nobilem Baronem *De
„ Heldrinich*, Equitem nostri Ordinis aurei Velleris; rerum
„ Status Consiliarium, nec non Gubernatorem ac Præfectum
„ generalem nostri Ducatus Luxemburgensis, Comitatusque
„ De Chiny, ac Marichalcum supremum nostri exercitus;
„ nostros charos ac fideles Equites auratos *Joannem De Noyel-
„ les*, Dominum *De Rossignol*, rerum bellicarum Consiliarium;
„ & *Adrianum De Gomicourt*, Dominum ejusdemque loci, Nobi-
„ lem nostræ familiæ; *Joannem De Vendeville*, & *Antonium Houst*,
„ Utriusque Juris Doctores, Consiliarios, Magistrosque libello-
„ rum nostri Consilii Privati; simul cum *Georgio De Vestendorp*
„ Consiliarium nostri Consilii in Frisiâ; qui cum egissent in
„ dicta civitate, cum valde charo ac fideli nostro *Roberto
„ De Melun*, Marchione *De Richebourch*, Seneschalco Han-
„ noniæ & Vicecomite Gandavensi & Gubernatore ac Præ-
„ fecto generali nostri Comitatus Arthesiæ, oppidique ac
„ ditionis Hesdinensis, nec non cum charis nostris Deputatis
„ dicti Comitatus Arthesiensis, nempe Reverendo in Deo
„ Patre *Joanne Zarazini* Prælato ecclesiæ ac Abbatiæ Divi
„ *Vasti*; Magistro *Joanne De Goulastre* Juris Licentiato, Ca-
„ nonico ecclesiæ Divæ Virginis Atrebati; *Francisco Dou-
„ gnies* * Equite aurato Domino *De Beaurepar* & *Beau-
„ mont*;

* *Lege*: D'Oignyes.

1579. „ *mont; Ludovico De la Plancke*, nobili Domino *De la Conte*; „ *Jacobo de Piperre* Juris licentiato, ſcabino noſtræ civitatis „ Atrebatenſis; & *Antonio Aubron* etiam Juris licentiato, „ noſtræ civitatis Audomarenſis præcipuo Conſiliario; noſtro „ charo ac perfideli cognato Comite *Philippo De Lalaing*, „ Gubernatore & Præfecto generali, magnoque Baillio Comitatus noſtri Hannoniæ; chariſque noſtris Deputatis „ dictæ ditionis Reverendis in Deo Patribus, *Jacobo Froye* (1) „ Abbate Divi Petri *De Hanon*; *Antonio Verdinan* (2) Abbate „ Divæ Mariæ *De Vicogene*; *Lancelloto De Peyſant* (3) nobili Domino *De La Haye*; *Nicolao Dezandas* (4) Equite „ aurato, Domino De *Heule*, hæreditario noſtro Piſtore „ Hannonienſi; *Philippo De Formeau*, Domino *De Hyonchef*; „ *Laurentio Momſart* ſecundo ſcabino noſtræ civitatis Montenſis, *Ludovico Corbeau*)5) *Jacobo De La Croix* (6) Domino *De Caumont* dictæ civitatis Conſiliario; & magiſtro „ *Franciſco Gualtier* Juris licentiato primo Conſiliario, nec „ non Penſionario dictæ civitatis; noſtro percharo ac fideli „ *Maximiliano Vilani* (7) Barone *De Raſſingien* Gubernatore „ ac præfecto generali civitatum & ditionum noſtrarum „ Inſulæ, Duaci ac Orchiæ; *Adriano De Oignies* Equite aurato, Domino *De Villerval*; noſtriſque charis ac bene dilectis dictarum civitatum ac ditionum *Florentio Van der Haere* (8) Canonico Divi Petri Inſulenſis; *Rolando De Vicq* „ (9); nobili Magiſtro *Claudio Miroult* Juris licentiato; „ *Euſtachio Daouſti* (10) Nobili Domino *De Juncellis Francieres*,

(1) V. Gall. Chriſt. to. 3. a p. 399.
(2) *Antonius Vermans* Abbas Viconienſis (*Vicogne*) Ord. præmons.
(3) *Lege*: Perſant.
(4) *Nicolas de Landas*, Chevalier, Seig. de *Heule*, panetier hereditaire du Haynaut.
(5) *Loys Corpaut*, *tweede Schepen der Stede van Berghen*. Borrius lib. 13. fol. 138. col. 1.
(6) *Jaques de la Croix*, *Heere van Gallevelle* &c. Borrius ibid.
(7) *Lege*: Vilain.
(8) *Floris van den Keere*, Canonick &c. Borr. ibid.
(9) *Roelant de Vicque*, Bailiu van *Warin*, ibid.
(10) *Euſtache d'Aouſt*, Heere van *Jecumelle Franchoys*. Ibid.

„ *cieres*, primo scabinorum Duacensium; *Philippo Broede* * 1579.
„ Juris licentiato ejusdem civitatis Consiliario, aliisque eorum
„ sociis congregatis in dicta civitate Montensi: interque se
„ omnino convenerint super dictis obscuritatibus ac difficul-
„ tatibus; Notum facimus, quod prædictis omnibus consi-
„ deratis, &. habito super eo dicti nostri Nepotis *Principis*
„ *Parmensis* sententia ac voto, nec non Consiliariorum re-
„ rum Status ac Consilii Privati apud eum agentium, ordi-
„ navimus & mandavimus, ordinamus ac mandamus secun-
„ dùm dictos articulos ita decisos, nostro, nostrorumque
„ successorum nomine, in formam edicti perpetui ac irre-
„ vocabilis punctos §, articulosque hos sequentes. *§ Ita plane in ms.*

„ CXCIV. Principio decernimus, ut, tractatus Pacifica-
„ tionis Gandavensis, Unio, Edictum perpetuum, & rati-
„ ficatio ex nostra parte subsecuta, maneant in sua vi & pleno
„ robore, utque reipsa in omnibus suis punctis & articulis
„ effectui mandentur.

„ CXCV. Et ut melius restituatur confidentia nostrorum
„ subditorum, & mutetur in bonam unionem & concordiam
„ ad honorem Dei, conservationem Religionis Catholicæ,
„ Apostolicæ, Romanæ; obedientiæ nobis debitæ, simul
„ etiam pro utilitate & tranquillitate nostrarum ditionum,
„ concessimus & concedimus oblivionem perpetuam utrimque
„ omnium eorum, quæ possunt esse dicta vel facta, quocum-
„ que modo, ratione, aut casu à tempore primorum mo-
„ tuum, eorumque ob causam; ita ut nulli judicum, aut
„ Procuratorum fisci vel aliis, liceat deinceps alicui ea ex-
„ probrare, vel in quemquam eamdem ob causam inquirere,
„ haud secus, ac si numquam accidissent; ordinando, ut in
„ hunc finem omnes sententiæ, decreta & arresta pronuntia-
„ ta, tam in his ditionibus, quam quibuscumque aliis sub
„ nostra jurisdictione sitis, causâ motuum præteritorum,
„ aboleantur & extinguantur radicitus ex Registris ad exo-
„ nerationem ac absolutionem omnium eorum, qui adhæse-
„ runt uni aut alteri parti contrahentium, in quem finem
„ interdiximus &, inhibuimus omnibus indifferenter, cujus-
„ cumque gradus, qualitatis, aut conditionis, ne quid expro-
„ brent

* *Philips Broids* &c. Ibid.

1579. „ brent sibi mutuo occasione præteritorum. In qua tamen „ oblivione non sunt comprehensi communes hostes nostri, „ & dictarum reconciliatarum Provinciarum Banditi, Re- „ legati, vel in jus vocati, quod conspiraverint in aliquam „ civitatem.

„ CXCVI. Ratum quoque habuimus, ratumque habemus „ quidquid in dictis Provinciis reconciliatis provisum, colla- „ tum, & concessum est à Fratre, Nepote nostro Archiduce „ *Matthia*, Ordinibus, ac Consilio Status, quousque scilicet „ potestas ordinaria nostrorum Gubernatorum & locum te- „ nentium generalium in Belgio sese in hunc diem extendit. „ Et quantum attinet ad provisiones nobis speciatim reser- „ vatas, ob sollicitationes & preces eorumdem Ordinum, „ eas solummodo hac vice similiter confirmavimus, nisi nobis „ constiterit personas eas, quibus provisio facta sit, non esse „ Catholicas, ac ut decet qualificatas, ad obtinendum dictas „ Provisiones eaque munera exercenda; proviso, nisi re- „ pugnet Pacificationi Gandavensi, Unioni, Edicto perpe- „ tuo, Juribus, Privilegiis & Libertatibus Provinciarum, „ tam in genere quam in specie; nihilominus reservatis om- „ nibus provisionibus quæ forte factæ erunt decima septima „ Maji ultimo elapsi, quæ habebuntur pro nullis; non com- „ prehensis etiam provisionibus Consiliorum Status, Privati „ & Financiarum.

„ CXCVII. Neque inquirimus vel inquiri curabimus in „ quemquam ob demolitionem Arcium & Castellorum, eæque „ Arces & Castella non poterunt denuo ædificari in Provin- „ ciis reconciliatis, nec nova extrui, sine expresso consensu „ Statuum cujusque Provinciæ.

„ CXCVIII. Item concedimus, statuimus, & ordinamus, „ ut omnes & singuli nostri milites Hispani, Itali, Albani, „ Burgundiones, & alii quicumque extranei, non grati Stati- „ bus, hunc præsentem tractatum acceptantibus, discedant „ ex nostris inferioribus ditionibus, sive Belgio, præsertim „ ex Ducatu Luxemburgensi intra sex hebdomadas proximas „ ab harum publicatione, aut citius, si corpus exercitus de „ quo infra dicetur, prius confici ac erigi queat, & quæ ad „ discessum illorum requiruntur. Certè & in omnem eventum „ discedant infra dictas sex hebdomadas (quandoquidem dicti

„ Status

„ Status promiserint nobis, diligentissimè cum delegatis 1579.
„ nostris omni fraude remotâ curaturos, uti dictus exercitus
„ paratus sit, in diem exterorum discessui præfinitum) &
„ intra sex alteras hebdomadas sequentes ex Comitatu Burgundiæ, ita ut revertendi ad dictas inferiores Provincias
„ aut Belgium, ipsis potestas adimatur, aut ut alii eo induci
„ possint, quamdiu extraneo bello caremus, & generaliter
„ nisi opus sit ac urgeat necessitas prædictis Statibus nota,
„ nec non ab iis approbata; quemadmodum etiam Status
„ curabunt educi omnes Anglos, Gallos, Scotos, & alios
„ extraneos, in quos imperium ac authoritatem habent.

„ CXCIX. Dicti quoque milites Hispani, Germani, Itali,
„ Burgundiones, & alii quicumque, ubi ex arcibus & oppidis exierint, debebunt in iis relinquere omnem commeatum; & quantum ad tormenta bellica ex arcibus sumpta,
„ reddentur & restituentur prima opportunitate in locum
„ unde extracta fuère, præclusa omni licentia ea avehendi
„ extra Provincias, easque arces & oppida cum dicto commeatu & munitionibus ibidem existentibus, committemus:
„ illas quidem, quæ sunt sub Gubernatione Hannoniæ, infra
„ viginti dies à publicatione hujus tractatus, reliqua verò
„ ubicumque sita sint, infra alios viginti proximos, personis
„ indigenis inferiorum Provinciarum sive Belgii qualificatis
„ juxta earumdem Privilegia, ac gratis Statibus Provinciarum
„ reconciliatarum respectivè.

„ CC. Quo tempore discessus ac abitus prædictorum extraneorum pendente, nos una cum dictis Provinciis, nostris
„ sumptibus ac expensis, conficiemus corpus quoddam exercitus ex indigenis Provinciarum & aliis gratis nobis, ac
„ iisdem Provinciis, ea tamen conditione, quod prædictæ
„ Provinciæ juvabunt nos suo subsidio juxta articulum vigesimum subsequentem, ad conservandam Religionem
„ Catholicam Romanam, & debitam nobis obedientiam,
„ juxta formam Pacificationis Gandavensis, Unionis, Edicti
„ perpetui & hujus præsentis tractatus, in omnibus suis
„ articulis.

„ CCI. Mandamus quoque Statibus, Gubernatoribus tam
„ generalibus quam particularibus, Consiliis, & Magistratibus
„ Luxemburgicis aut Burgundicis, conservare, & non pati

„ dimi-

1579. „ diminui aut infringi ulla in re Edictum perpetuum, & „ hunc tractatum in ullis suis punctis & articulis, nec per- „ mittere ullis militibus ingressum aut transitum in præjudi- „ cium harum Provinciarum, & de his omnibus præstare „ jusjurandum, nec non instrumentum publicum & suffi- „ ciens; quemadmodum etiam Status reciprocè ex sua parte fa- „ cient debitum suum officium ad eumdem finem, ut commercia „ & communicationes sint tuta & libera inter dictas Provincias, „ omni cum securitate prout fuère temporibus præteritis.

„ CCII. Omnes Captivi utrimque liberentur statim post „ promulgationem præsentium, quatenus erunt in ipsorum „ potestate, sine ullo redemptionis pretio.

„ CCIII. Quantum ad bona detenta, arrestata, & con- „ tracta hinc inde à Pacificatione Gandavensi, tam in infe- „ rioribus nostris Provinciis, quam in Burgundia, quilibet „ redibit statim ad bona sua immobilia, prout etiam ad „ mobilia quatenus non fuerint alienata authoritate & man- „ dato judiciali, vel per magistratus ad id coactos tumultu „ populari, in quibus comprehendentur bona captivorum „ detentorum à Gandavensibus & aliis suæ factionis. Et „ quoad reditus & onera super iisdem bonis, observabuntur „ ea quæ disposita sunt decimo quarto & sexto articulis Pa- „ cificationis Gandavensis, habito respectu ad diem nativita- „ tis Divi *Joannis Baptistæ* anni millesimi quingentesimi sep- „ tuagesimi noni.

„ CCIV. Manutenuimus & etiam manutenemus omnes „ Gubernatores modernos Provinciarum, Urbium, Loco- „ rum, & Castellorum reconciliatorum qui constituti fuère „ ante discessum quondam nostri dilectissimi ac charissimi „ Fratris Domini *Joannis Austriaci* ad oppidum Namurcense, „ uti etiam alios illos, quibus provisum est de Gubernationibus „ vacantibus per mortem. Sed quantum ad Gubernationes „ provisas per modum provisionis, propter captivitatem & „ detentionem quorumdam Dominorum, hoc tantummodo „ usque ad restitutionem & reditum dictorum Dominorum „ captivorum, ita tamen, ut si dicti Captivi moriantur, „ tunc provideatur juxta articulum decimum octavum. Pro- „ mittimus præterea nullos eorum semovere, quatenus secuti „ fuerint partes Ordinum temporibus horum motuum, ac

„ defen-

„ defenderint Religionem Catholicam, Romanam, juxta formam Pacificationis Gandavensis, Unionis insecutæ & Edicti perpetui, nec faciant posthac quidpiam in præjudicium hujus tractatus ac reconciliationis. 1579.

„ CCV. Quin etiam ad majorem securitatem ordinavimus & ordinamus juxta tenorem undecimi articuli Edicti perpetui, ut Status Provinciarum reconciliatarum, omnes constituti in dignitatibus, Gubernatores, Magistratus, cives & incolæ civitatum & pagorum, ubi erunt præsidiarii milites, & incolæ civitatum ac pagorum ubi non est præsidium, alii denique omnes in aliqua functione, munere, vel officio militari aut alio versantes, præstent jusjurandum, se observaturos Religionem Catholicam Romanam, nec non debitam obedientiam juxta dictam Pacificationem Gandavensem, Unionem subsecutam, Edictum perpetuum, & hunc præsentem tractatum, & quod non recipient, mutabunt vel admittent respectivè præsidium, inscio Gubernatore generali, Provinciali, & Consilio cujusque Provinciæ, sic quidem ut necessitate repentina ac gravi urgente, Provincialis Gubernator provideat locis, ubi solet esse præsidium militare, ac milites, sint nobis devincti juramento, nobisque militent in qualibet Provincia.

„ CCVI. Promittimus quoque non gravare nec gravari permittere, civitates aut agros dictarum Provinciarum reconciliatarum aliquo milite extraneo, nisi incolæ id expetant, belli aut periculi alicujus causa, ut solitum sit ibidem esse ab omni tempore præsidium, quo casu erit indigenis Belgii Statibus respectivè gratis.

„ CCVII. Volumus ac statuimus, ut in omnibus civitatibus & pagis, ubi Magistratus renovati sunt extraordinariè ab exordio motuum, restituantur in integrum, juxta Consuetudines & Privilegia cujusque loci, observato tempore quondam inclytæ & gloriosæ memoriæ Imperatoris *Caroli* Domini & Patris nostri: denique ut res ita constituantur, uti dictis Magistratibus sua constet authoritas, illisque pareatur uti decet, ne in nova recidatur denuo pericula.

„ CCVIII. Promittimus etiam quod semper committemus Gubernationi Belgii Principem nostri Sanguinis, qui, quæve habeat dotes & qualitates ad tam arduum munus necessa-

1579. „ rias, & de quo vel qua subditi justam causam satisfactionis sint habituri, ac prorsus contentos se præbere debeant. „ Gubernabit equidem cum omni justitia & æquitate, secundum Jura & Consuetudines dictarum Provinciarum, jurabitque solemniter se conservaturum Pacificationem Gandavensem, Unionem subsecutam, Edictum perpetuum, & hunc præsentem tractatum in omnibus suis punctis & articulis, & speciatim Religionem Catholicam Romanam ac debitam nobis obedientiam; quin etiam certiores faciemus Status ante creationem dicti Gubernatoris, qualem eligere ad id munus constituamus. Cùm verò nobis nihil sit tam in votis, quam procurare nostrorum subditorum quietem & securitatem, volumus ut Princeps *Permensis* nepos noster, omni officio & industria promoveat & executioni mandet discessum externorum, ac restitutionem locorum, & sic eodem tempore admittatur & recipiatur in Gubernatorem Belgii ad tempus sex mensium, observatis solemnitatibus consuetis. Ac pro majori satisfactione Statuum, recipiat in demesticos indigenas Provinciarum, & quam paucissimos exteros; quoque magis eis gratificemus, cupimus ut numerus eorumdem famulorum exterorum, non excedat viginti quinque aut triginta, quibus præterea exteris nulla dabitur administratio negotiorum publicorum harum Provinciarum; habebit tamen dictus Princeps talem corporis custodiam, qualem præcedentes Gubernatores, Principes nostri Sanguinis habere consueverunt, Archeorum nempe & Hallebardorum * indigenarum ad id qualificatorum; cum quo nepote nostro dicti Status ex hoc tempore habebunt mutuam communicationem, eique significabunt omnia quæ agentur & pertinebunt ad executionem ejusdem tractatus, & quæ inde dependent; fient quoque omnia edicta, mandata, & provisiones per nos & nostro solummodo nomine, finitisque prædictis sex mensibus, si non constituerimus ipsum Principem *Parmensem* in Belgii Gubernatorem, aut alium qui qualitatibus supradictis prææditus sit, eadem Gubernatio (ne quis tumultus aut confusio oriatur) administrabitur per Consilium Status interea dum exspectatur dicta nova provisio.

„ CCIX.

* *Archiers en Hellebardiers.*

„ CCIX. Quod quidem Consilium Status constituetur à „ nobis ex duodecim viris nostro arbitrio eligendis, tam „ proceribus ex nobilibus, quam togatis, ut fuit moris, na- „ turalibus harum Provinciarum, ex quibus duæ tertiæ par- „ tes gratæ sint Ordinibus dictarum Provinciarum & adhæse- „ rint ipsorum partibus ab exordio motuum usque ad finem, „ quarum duarum tertiarum partium quinque habebunt à „ nobis commissionem more solito, & tres reliqui simplicem „ provisionem pro termino trium mensium, quibus elapsis „ poterimus eos (si ita nobis videtur) continuare, aut eli- „ gere & constituere alios qualificatos, ut supra, ut locus „ apertus relinquatur Provinciis ab hac reconciliandis. 1579.

„ CCX. Ex sententia verò & conclusione majoris partis di- „ ctorum Consiliariorum, qui tenebuntur præstare idipsum „ jusjurandum, quod jam antea diximus, omnia expedien- „ tur ut tempore dicti Domini & Patris nostri *Caroli* Impera- „ toris, & peculiari nota signabuntur ab uno dictorum Con- „ siliariorum, ut obviam eatur malis sæpius deprehensis.

„ CCXI. Omnibus Gubernationibus quas deinceps ad sex „ usque annos continget vacare in dictis Provinciis reconci- „ liatis, præcipuè Præfecturis militum admovebimus natu- „ rales nostrarum inferiorum Provinciarum, aut extraneos, „ tam unos quam alteros Statibus Provinciarum respectivè „ gratos, idoneos, & qualificatos secundum earum Privilegia.

„ CCXII. Quantum verò ad Consilia nostra, Secretum, „ Financiarum, & alia omnia magni momenti, attinet, simi- „ liter administrari curabimus per naturales dictarum Pro- „ vinciarum, aut certè alios non naturales dictis Statibus „ gratos & acceptos, qui antequam recipiantur, tenebuntur „ jurare solemniter in verba hujus tractatus, & jurejurando „ promittere, si quando deprehendant quidquam in ejus præ- „ judicium agi ac tentari, de eo facere certiores Status Pro- „ vinciarum, sub pœna perjurii & infamiæ.

„ CCXIII. Ratas etiam habuimus ratasque habemus omnes „ constitutiones redituum annuorum, pensiones, & alias „ obligationes, securitates & impositiones, quas dicti Status „ ex consensu singularum Provinciarum constituerunt & con- „ traxerunt, constituent & contrahent in eorum commodum, „ qui illis auxilio fuerunt, vel pecuniam numerarunt ad sol-

1579. „ venda debita contracta causa belli, & motuum præterito-
„ rum, juxta articulum decimum octavum Edicti perpetui.

„ CCXIV. Nec onerabuntur deinceps ullis gabellis, con-
„ tributionibus, & impositionibus aliter, aut alia forma &
„ ratione, quam onerabantur tempore & imperio quondam
„ Domini & Patris nostri *Caroli Quinti*, & ex consensu Sta-
„ tuum cujusque Provinciæ respectivè.

„ CCXV. Omnia & singula Privilegia, Usus, & Con-
„ suetudines tam in genere, quam in specie, observabuntur,
„ & si quæ violata sunt reparabuntur, inque integrum
„ restituentur.

„ CCVI. Dictæ Provinciæ reconciliatæ tenebuntur *jura-*
„ *re* * omnibus obligationibus & fœderibus factis à principio
„ mutationum & motuum præteritorum.

„ CCXVII. Et quia Status sentiunt se obligatos charissi-
„ mæ Sorori nostræ Serenissimæ Reginæ *Angliæ*, & Illustris-
„ simo *Andegavensium* Duci, Regis Christianissimi Fratri, ob
„ suppetias ab iisdem acceptas, mittemus ad eos intra duos
„ menses proximos, qui præstent nostro nomine omnia hu-
„ manitatis officia, continuabiturque confœderatio & pristina
„ amicitia, cum dicta Sorore nostra reciprocè,

„ CCXVIII. Et ad augendum affectum & benevolentiam
„ quam Principes debent subditis, & écontra subditi magis
„ inclinent ad venerationem & debitam obedientiam Principi
„ suo naturali præstandam, dicti Status à nobis humillimè
„ petierunt, & supplicarunt, ut prima occasione & primo quo-
„ que tempore mittamus in Belgium unum ex liberis nostris,
„ quem verisimile sit nobis successurum in nostras Provin-
„ cias, uti ibi educetur (&) instituatur juxta morem ipsa-
„ rum, in omni pietate & virtute, qua in re habebimus eam
„ quam oportet rationem.

„ CCXIX. Consentimus etiam, ut omnes Provinciæ, Ca-
„ stellaniæ, Civitates & personæ Particulares nostri Belgii,
„ qui volent reconciliari nobiscum, juxta formam & condi-
„ tiones hujus præsentis tractatus, à nobis ad id admittantur,
„ fruituri eodem beneficio quo Dictæ nostræ Provinciæ re-
„ conciliatæ, modo voluntariè eo descendant intra tres men-
„ ses post verum discessum Hispanorum ex toto Belgio.

CCXX.

* *Lege*: renuntiare.

„ CCXX. Concessimus quoque & concedimus dictis Statibus, ut possint supplicare Suæ Sanctitati, nostro charissimo & dilectissimo Fratri Nepoti & Cognato Imperatori, Archiepiscopis Coloniensi, & Trevirensi, nec non Duci Cliviæ, tamquam zelosis boni & tranquillitatis Reipublicæ Christianæ, ut placeat iis operam dare, uti tractatus iste in omnibus suis punctis ad effectus perducatur, adimpleatur, & sine ulla violatione observetur. 1579.

„ CCXXI. Si vero in executione & effectu hujus pacificationis ejusdemque dependentiis, oriatur aliqua difficultas & controversia definienda post ejus publicationem: nos Status dictarum Provinciarum reconciliatarum deputabimus respectivè commissarios, qui omnia componant & executioni mandent. Interea hoc observandum est, quod per verba (grata Statibus) posita in multis articulis hujus tractatus, non excludentur naturales Belgii, qui adhæserunt uni aut alteri parti contrahentium.

„ CCXXII. Ut autem omnia & singula puncta & articuli suprascripti, facti & conclusi in dicta nostra civitate Atrebatensi, decima septima Maji ultimi præteriti; in nostro oppido Montensi duodecima Septembris anni millesimi septuagesimi noni supra quingentesimi, bene & sincere observentur, compleantur & executioni mandentur, & ut omnia iisdem articulis contenta, sint rata, firma, perpetuo manentia & inviolabilia, jussimus hunc præsentem tractatum subsignari per nostrum charissimum & fidelem cognatum *Comitem De Mansfelt*, & alios delegatos nostros supra nominatos ex una parte, ac per Gubernatores ac delegatos dictarum Provinciarum & aliorum confœderatorum ex altera, promittentes rata habere omnia litteris nostris præsentibus, in debita & consueta forma infra tres menses. Datum in nostro oppido Montensi duodecima dicti mensis Septembris anno millesimo, quingentesimo septuagesimo nono".

CCXXIII. His itaque conclusis, misêre dictæ Provinciæ contrahentes Regem versus Dominum *De Blangerval* nobilem suum Domesticum ad sollicitandam Suæ Majestatis approbationem & confirmationem, de cujus reditu postea.

CCXXIV. Declaratum fuit supra, quod Dominus *De la*

 Motthe

1579. *Motthe* Regi ſe reconciliaret. Ille vero eodem fere tempore, quo dicta pacificatio Atrebati conſtruitur, Domino *De Montigny*, ut cum copiis, quibus contra inſultus Gandavenſium utebatur, idem faceret, feliciter perſuaſit; qua de re ab utraque parte confectum & à Rege poſtea approbatum fuit, hoc quod ſequitur inſtrumentum.

„ CCXXV. Ego *Emanuel De la Laing*, Baro *De Mon-*
„ *tigny*, confiteor & affirmo, me hodie ſextâ Aprilis, Anno
„ Milleſimo, quingenteſimo nono, conveniſſe cum Domino
„ *De la Motte* Gubernatore Gravelingæ, miniſtro Regio,
„ præſentibus & intervenientibus Reverendiſſimo Epiſcopo
„ Atrebatenſi, Domino Barone *De Selles*, & Domino *De Val-*
„ *ſion*, tam meo, quam Domini *De Heſe*, cujus ſpeciale man-
„ datum ad id habeo, nec non Præfectorum, Capitaneorum,
„ officiariorum, omnium denique militum pedeſtrium &
„ equeſtrium, qui abhinc ſeptem aut octo, millium peditum,
„ ac quadringentorum equitum cum aliquot captivis inſer-
„ viêre Suæ Majeſtati, ſub forma ſequentis jurisjurandi. Sci-
„ licet, quod juramus ac promittimus, tueri ac conſervare
„ Religionem, Catholicam, Apoſtolicam, Romanam, &
„ præſtari Regi debitam obedientiam ſecundum tenorem Pa-
„ cificationis Gandavenſis, Unionis ſubſecutæ, Edictique
„ perpetui; facturoſque hoc fideliter in omnes, & contra
„ omnes, ſtareque manſui * locum tenentis & Præfecti ge-
„ neralis qualem illi placuerit conſtituere, gratum Provinciis
„ unitis & uniendis, ad obſervationem dictorum punctorum.
„ Si tamen acciderit Suam Majeſtatem non ſatisfacere dictis
„ Provinciis, nec dimittere omnes Hiſpanos, Italos, Alba-
„ nos, Burgundiones, alioſque milites non gratos dictis
„ Provinciis, intra temporis ſpatium quod fuerit inter eum
„ & Provincias decretum, eo caſu nullatenus erimus obligati
„ & aſtricti hiſce ſtare promiſſis, uti etiam aliquo bellico
„ munere fungi, donec Hiſpani, cæterique exteri ex hiſce
„ Regionibus exceſſerint, quod ipſum jusjurandum curabi-
„ mus præſtari ab omnibus noſtris militibus, & juxta illius
„ tenorem conſtituemus in manus Suæ Majeſtatis Meniam,
„ Caſtel-

* Nihil aliud ex male conſutis caracteribus in MS. detegere potui.

„ Castellum, cæteraque omnia loca quæ in nostra sunt potestate, ut de iis fiat, quod magis in ejus rem fuerit, & ut solvantur dictis militibus stipendia eis debita, parationesque reddantur inservire Suæ Majestati. Ego *Valentinus De Pardieu* Dominus *De la Motte*, gubernator Gravelingæ promitto ac spondeo nomine Suæ Majestatis, quod solvam tradique faciam prædicto Domino *De Montigny* centum nonaginta quinque millia florenorum, scilicet quadraginta quinque millia parata pecunia, altera quadraginta quina millia florenorum sexta Maji, & quod reliquum sexta Junii proximé subsequentis. Et dummodo hoc fiat, ego Dominus *De Montigny* promitto alere dictos milites mense Aprili & Majo, & prima Junii exhibere eos, ut per Regios Commissarios publicé recensiti inscribantur Regis stipendio, quos ego Dominus *De la Motte* promitto receptum admissumque iri, illisque decima quinta Junii solutum iri unius mensis stipendium. In quorum fidem subscripsi has præsentes, easque signari feci meo sigillo, præsentibus Domino *Vicecomite Gandavensi*, * Gubernatore ac Capitaneo generali Arthesiæ, Domino *De Capres*, Gubernatore civitatis Atrebatensis, & Domino *De Allieures* præfecto legionis peditum. Actum in abbatia Montis sancti *Eloy*, supradicto die & anno. Erat subscriptum, *Valentinus De Pardieu* Dominus *De la Motte*. Et sigillum ex cera rubra; mansitque istud instrumentum penes Dominum *De Montigny*, aliudque ejusdem tenoris subscriptum, *De Montigny*, penes Dominum *De la Motte*. Fuitque haud dubié rebus Regiis hæc *Montignii* cum suis copiis reconciliatio longé commodissima. 1579.

CCXXVI. Dum adhuc vacabatur obsidioni Trajectensi, incidit Dominus *De Naves* in febrim acutam ac pestilentialem, qui ad exactiorem curationem delatus Leodium infra paucos dies ibi obiit. *Parmensis* autem posteaquam *Tassio* jam sæpius nominato, munus annonæ provisionis supremum, quod per dictam mortem vacabat, liberaliter elargitus est, qui & illud subiit, totasque novem menses, qua debuit fide ac

* *Nempe*: Roberto de Melun, Vice-comite Gandavensi, Marchione de Richebourg, & fratre Principis d'Espinoy.

1579. ac ſedulitate adminiſtravit, donec prædicta reconciliatio Artheſienſis (in qua tamen major quàm ulla aliorum ejus ſpectata fuerat opera) ad felicem finem fuiſſet perducta. Quod vix acciderat, cum ſubitio ambitio & lucri ſpes inter reconciliatos, Dominum *De Baureper* Artheſienſem eò duxit, ut eo prætextu, quod *Taſſius*, tamquam Hiſpanis addictus, non eſſet Ordinibus gratus, eamque ob cauſam, etiam ipſe è Belgio unà cum extraneis excedere deberet, cautè ac induſtriè dictum munus ſupremum rei frumentariæ *Taſſio* collatum ambire cœperit, qua in re paulatim plurimis invidis, ergaque *Taſſium* malè affectis, adjuvantibus, ita profecit, ut tandem & ipſe diſcedere juſſus, & poſt ejus diſceſſum in *Beauperium* id munus fuerit collatum. Necdum enim caterva Rebellium, ſatis ſibi in *Taſſium* præteritis inſultibus injuriiſque ſatisfeciſſe videbatur, niſi inſuper & hoc furosè vellent, ut omnibus ſuis commoditatibus quæ jam amplæ, multoque ſuo labore acquiſitæ erant (cum munus illud quod per vim ei abſtulerant, non minus quatuor millibus aureorum annuè valeret) ſpoliatus, tamquam exul patria, in qua erat natus & educatus, contra ipſum reconciliationis tenorem ejectus, peregrè cum uxore etiam ſuſtentare cogeretur; crudeliter & inhumanè profecto nimium. Verùm cum neceſſe videretur quacumque fieri poſſet via, rebelles ad ſalutis viam reducere, & Rex peculiare privatumque *Taſſii* negotium negligere, & ipſe *Taſſius* publicum privato anteponens invidorum conatibus cedere coactus eſt. Itaque tempore diſceſſus exterorum & ipſe, ſatis amplo à *Parmenſi* donatus commeatu, Belgium reliquit.

CCXXVII. Dum *Permenſis* Maeſtrichti exſpectat, quid Rex de prædicta reconciliatione per ipſum confecta, ulterius fieri jubeat, redeat Blangervallius *, peſtes ibi per multos menſes ſæviit, ille tamen nulla habita nec proprii nec totius aulæ incommodi & periculi ratione, conſtanter eo in loco conſtitit, nullaque ratione adduci potuit, ut alio ſe transferret. Tunc etiam Mechlinia opera Patris *Petri Monachi* Dominicani viri fortis, & ſupra modum erga Religionem ipſum-

* *Hic plura videntur deeſſe, quamvis in mſ. nulla ſit lacuna.*

ipsumque Regem affecti, qui plurimum apud cives valebat, partibus Regiis se addixit, designatus ibi Gubernator Dominus *De Rossignol*, attamen haud diu post malevoli intus existentes, hæresi, ac *Auraico* faventes, auxilio externo adjuti, occiso Gubernatore, ac dicto Monacho, fortiter pugnantibus, tandem civitatem in *Auraici* potestatem redegerunt. 1579.

CCXXVIII. Cæterum inter Politica Maestrichti gesta, unum non indignè hîc inseretur, & quæ *Auraici* post multos eosque fœdos labores fuerit intentio, posteritati ad institutionem innotescat. Exempla enim tamquam vivæ imagines merito in mortalium animis ita aliquando operantur, ut ad vitanda vitia, virtutemque sequendam ac imitandam, non parvi sint momenti. *Auraicus*, maximæ apud Belgas (ut alibi dictum) authoritatis vasallus, hæresi ab incunabulis imbutus, perspicacis, vafri, atque artificiosi admodum ingenii, magnarum rerum obstinatè appetens, nec blandimentis attrahi, nec promissis allici, nec minis terreri, nec armis ita umquam vexari potuit, ut magna illa, quæ animo conceperat deponeret, fixusque in suo fine, atque cum adipiscendum quibuscumque posset modis per fas & nefas audacter non tenderet; unde accidit, & ipsos subditos Regios, qui ipsius imperio sese submiserant, ducis exemplo ad tantam animorum obstinationem & pervicaciam paulatim pervenire, ut nec erga eos ulla umquam benevolentiæ Regiæ demonstratio quidquam valuerit. Potis enim erat cum suis hæreticis, quibuscumque videbat in subditis (quorum tamen ad ea usque tempora, major pars fidem Catholicam, Apostolicam, Romanam profitebatur) aliquid oriri inclinationis sese cum Rege reconciliandi, hoc ita subvertere, vanumque reddere, ut facillimè refrigesceret eorumdem intentio, constanterque semper in rebellione persisterent. Ita ut jam pro certo haberetur, Regi nullam umquam subditos ad obsequium revocandi spem superesse, nisi è medio tolleretur ille qui tam immensas Reipublicæ miserias, nutrire ac sustentare solus credebatur. Erat jam à tempore *Albani*, crimine læsæ Majestatis Divinæ ac humanæ convictus *Auriacus*, ac sententia juridicè lata in ejus vitam ac bona, sed cum ad manus non esset sententiæ executio, quantum ad vitam numquam ad effectum duci potuerat, nec jam

1579. posse duci aliquo modo erat verisimile. Itaque ad ultimum publicæ scilicet proscriptionis præmio corroboratum modum; quo impossibilitati executionis justitiæ licitè apud omnes Respublicas caveri consuetum, tandem ventum est, publicoque Regis edicto divulgatum, licere unicuique quisvis ille esset, *Auraicum* jam proscriptum persequi, atque vita & bonis exuere (namque bona ante hoc edictum nomine Regis fisco non fuerant addicta) eumque vivum comprehendere, aut morte afficere, prout commodius fieri posset, liberando egregiè Rempublicam à peste illa maxima, qua incolumi, nil nisi certissimus ejus interitus tandem subsequi poterat. Utque præter zelum boni publici magis adhuc aliquis ad opus hoc virile accenderetur, constituitur executori præmium viginti quinque millium aureorum, præterea & hoc promissum, eum qui hoc facinus aggrederetur; quidquid quovis modo deliquisset, nullo plane delicto excepto, absolutum iri, & si ad rem exequendam aliquos sibi adjunxisset, his etiam satisfieri promissum, nec non omnibus delictis exemptos, liberatosque fore, uti etiam, si ignobiles essent, eos omnes nobilitandos. Declarati præterea hoc ipso edicto, perduelles & hostes publici, privatique bonis & nobilitate omnes, qui perseverarent dehærere *Auraico*, eumque juvarent aut re aut consilio, directè aut indirectè, data permissione & licentia, ut eos omnes eorumque bona (exceptis quæ jam fisco erant applicata) quivis sibi posset vendicare, dummodo tantum constaret proprietarios cum *Auraico* directè vel indirectè aliquo modo tractasse, uti ècontra cautum, condonari omnino omnibus, qui dictum *Auraicum* hactenus secuti fuissent, quidquid deliquerint, ac dari, ac concedi beneficium tractatus Montibus cum Arthesiensibus confecti, vel ejus qui Coloniæ fuerat oblatus, prout magis ei placeret, dummodo intra mensem *Auraicum* deserant, seseque ad partes Regias reducant. Quibus mediis sperabat Rex posse Reipublicæ à peculiari ab *Auraico* impedimento periculo caveri, & si non omnes saltem plurimos ex cæteris ad suas partes reduci: sed longè alius quam Rex sperabat ejus rei fuit eventus.

Proscriptio Principis Au-

CCXXIX. Hæc enim præscriptio, quamvis justissimis de causis emanata, apud Belgas tamen inconsueta, primaque faciè

facie inhumana ac crudelis viſa, commiſerationis non averſionis effectum in omnium animis generans, unumquemque potius erga *Auraicum* confirmavit, ac corroboravit, maléque denuo Rex accidere cœpit *, ita ut nec tunc, nec poſtea (cùm dicta præſcriptionis via, uti alibi dicetur, *Auraicus* è medio eſſet ſublatus) nil apud Hollandos, Zelandos, alioſque qui in vita *Auriaco* adhæſerant, odii, ac averſionis in Regem, obſtinationiſque contra eum, umquam nec tantillum quidem fuerit remiſſum, ſed potius ea omnia accenſa, aucta, atque exacerbata.

1579. *riaci, quòd res eſſet Belgis inſueta, rebus Regiis damnoſa fuit.*

* *Hic rurſus peccat ſermo. Sed ita lego in mſ. Quid ſi legeretur*: maleque denuo Rex audire cœpit?

CCXXX. Supereſt & aliud ſcitu non indignum: Confecta Artheſienſi pace venit Maeſtrichtum *Parmenſem* viſitatum *Comes De la Laing*, atque una *Joannes Carlier* civitatis Montenſis Graphiarius, vir admodum Catholicus, & qui magnam in componenda ea pace navarat operam. Is libello ſupplice rogavit *Parmenſem*, ut dignaretur conferre genero cuidam ſuo officium quoddam, quod vacabat in Comitatus Flandriæ ditione, utque poſt ſuum diſceſſum petitio non traderetur oblivioni (uti perſæpè in ſimilibus rebus ſolet accidere) rogavit *Taſſium*, qui tunc aliqua authoritate apud *Parmenſem* valebat, ut rem quantum poſſet promoveret. Reverſus Montes, idipſum per litteras *Taſſio* commendavit, nil ulterius ſignificans, quam ſeſe commodè domum rediiſſe, quibus litteris cum *Taſſius* (uti decebat) reſpondiſſet idem quod antea, ſcilicet facturum ſe quod poſſet: accidit, veredarium in itinere cum litteris ab hoſtibus captum, Antverpiam ad *Auraicum* deduci, unde ille exiſtimans ſeſe nactum opportunam occaſionem, dictæ Pacificationis negotium novis difficultatibus involvendi, ac forſitan omnino ſubvertendi, conſcribi curavit alias litteras, totidem litteris quot interceptæ conſtabant, ita compoſitas, ut qui eas legeret comprehendere cogeretur maximas contra Regem, *Taſſium* & *Carlerium*, ſecreto ordiri conſpirationes; eratque tam artificioſé *Taſſii* expreſſus typus, ſolitaque ejus ſubſcriptio tam apté depicta, ut prima facie utrumque inter ſe nihil omnino differre diceres, nec non ſigillum à veris litteris abſtractum, tam artificioſè ad falſas illas applicatum, ut nullus eſſet, qui primum ** aſpectu fraudem detegere poſſe videretur. Has *Lalainio* † Montium miſere, ſub ſpecie amicitiæ, & tam-

Artificioſus dolus Auriaci.

** *Lego*: primo.

† *Suppl*: Gubernatori.

1579. tamquam commiseratione ducti, quod tam crassé decipi se finerent, ac perfidos paucorum animos incauti non intelligerent, serio unumquemque exhortantes, sibi tempestivè caverent, fortiterque Rempublicam â tam evidenti ac certo periculo liberarent. Sperabat *Auraicus* via hac populum Montensem facile adduci posse, ut novas contra Regem amplectens diffidentias ad tumultum rediret, eorumque exemplo alii idem facerent, resque sic tumultuose ad abnegationem initæ reconciliationis adduci posse. Sed quamvis non ex omni sententia succesisset stratagema, revera tamen parum abfuit, quin magna inde Regi nascerentur incommoda. *Lalainius* enim instabilis adhuc in recenti reconciliatione, & forsitan haud libenter eam complexus, visis litteris protinus ad furias rediit, Magistratuique litteræ communicatæ, universoque populo innotuit, brevi ita tumultuatum, ut *Carlerius* quamquam egregiæ apud omnes opinionis, deque civitate optimè meritus esset, in vincula statim conjectus, strictè examinatus, perque multos dies summopere vexatus fuerit. Scripsit enim *Parmensi* illico *Lalainius*, *Tassium* supra modum criminatus, petensque uti debitas pœnas lueret. Ille verò qui sciebat falsa esse quæ Antverpia pro veris afferebantur, modò veritate convinceretur, pœnis quas mereretur sese submisit, petitumque à *Lalaino*, uti mitteret ipsasmet litteras quibus missis facta comparatio characteris *Tassii* ibi præsentis, nec non propriæ ejus subscriptionis, utrumque à peritis scriptoribus accuraté examinatum ac consideratum fuit, eoque modo fraus plane detecta, tandem tumultuantes ad quietem reducens, quid artificii apud *Auraicum* & suos militaret, apertè docuit; *Lalainiumque* & quosvis alios merito admonere debuit, fidem similibus haud quaquam nisi matura admodum consideratione umquam adhibendam.

CCXXXI. Toto illo tempore quo *Blangervallii* * reditus exspectatur, in re bellica nihil memorabile gestum, præterquam quod cum aliquot copiis, sese Regii opposuerint quibusdam incommodis atque periculis, quæ minabantur hostes ad fines Geldriæ, eaque præventione quidquid in animo habebant facile impeditum. Advenerat jam annus octuagesimus, tandemque venit *Hangervallius* cum plena Regis super-

* *Strada hunc appellat* Philippum du Chathlet Blangelvallium, *qui inter regios ephebos fuerat in Hispania.*

super Arthesiensi tractatu confirmatione. Itaque statim de 1579. discessu Hispanorum serio agi cœptum, constituiturque eorum ductor ac supremus in itinere Præfectus *Octavius Gonzaga*, cumque jam cætera etiam ad iter necessaria essent, parata, decima octava Martii ex agro Maestrichtensi recta Luxemburgum ad Lotharingiæ fines contenderunt. *Parmensis* eo ipso die Namurcum profectus est, & ipse inde nulla interposita mora Arlonium venit, discedentibus valedicturus. Quibus rebus peractis Hispani prima Aprilis itineri, Italiam versus se commisère, spe * vero Namurcum reversus, inde Montium profectus est, ubi multo cum applausu receptus, muneri suo supremo vacare perrexit.

* *Lege*: ipse.



1580.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS,

Commentariorum de Tumultibus Belgicis.

LIBER SEXTUS.

I. AUthor quamvis res bellicas se absente gestas pro visis prosequi non possit, nilque crudelius umquam, quam quod sibi accidere potuerit, eaque ejectio è Belgio ac commoditatum injusta privatio, sola malevolorum invidia ac avaritia instigante, tantaque ingratitudo qua contra eum, qui inter præcipuos prædictæ Pacificationis constructores facile primus extiterat, usi sunt, eumdem ab omni ulteriori Belgii memoria & recordatione removere deberent; nihilominus posteritatis utilitati potius quam vindictæ studens, cùm sextum hunc commentarium reliquis adjungere statuisset de Belgicis aliquid & ibi postea successibus ex aliorum relatu acceptis miscere non injucundum lectori fore existimavit. Est enim qualiscumque curiosi scriptoris rerum præteritarum commentatio utilis ac lectu non indigna. Inspicietur enim non minus à suo cum uxore ex Belgio, quam Hispanorum dicessu, non eadem tamen via, quæ illi sed per Galliam, ut ita citius ad Regem perveniret.

II. Ibant eo etiam *Funckius* * & *Laloius* ** ille ut Consilio rerum Belgicarum loco *Hopperi* qui decesserat præesset, hic verò ut munus Secretarii loco *Denterii* † obiret: cum quibus alioque quodam *Bustamante* nomine, qui in exercitu supremi Prevosti (ut vocant) officium egerat, & ipse in Hispaniam se recipiebat, ex Arlonio prima Aprilis, anni millesimi ‡ per Lotharingiæ fines, Campaniam & Briam, quam Galli vulgo vocant, Lutetiam ac Aureliam sese contulit, atque inde *fluvio* Ligori Nantum cum cæteris delatus est, commoda ac jucunda revera navigatione, non tamen sine periculo. Hugonotti enim eodem ferè tempore iterum arma arripuerant, atque

* *Joannes Fonckius* præp. B. M. Ultrajecti, Consiliarius in Consilio Privato. *V. Catalog. meum.*

** Antonius de Laloo.

† Arnoldus Dennetieres.

‡ *Supple*: quingentesimi octuagesimi.

atque aliquot Regia loca ab illo itinere non multum distantia 1582.
occuparant, unde excursiones in damnum proficiscentium meritò metuebantur. Dux *Andegavensis*, Rex * Galliæ Frater, cum Legatis Belgarum rebellium, jam tunc de fœdere cum illis ineundo, ad occupandum Belgii Imperium, Burdigali secreto convenerat, secum habens nobilem Belgam Dominum *De Rinssart*, qui proficiscentes optimè norat, in monasterio quodam dicto *Borgueil* flumini vicino tunc temporis agebat. Unde cum de proficiscentium transitu certior fieri cito posset, non sine periculo detentionis (quamvis haberent Regium diploma, salvum conductum vulgò) iter prosequi poterant, uti etiam statim apparuit: cum omni in pago *Pontdesel* † vulgo dicto, qui est in ipso flumine, non amplius media leuca a civitate *Andegavensi* distans, unam noctem mansissent, ac postero die summo mane, jam navigium ad iter suum prosequendum peterent, misit ad illas Dominus *De Nery*, qui ibi præfectum agebat, vetuitque nomine prædicti Ducis, ne ulterius progrederentur, sed ibi consisterent, donec discedendi venia concederetur. Obediêre serena admodum fronte, prout in similibus ad adimendam omnem suspicionem maximè convenit. Sed eorum duo, nempe *Tassius* & *Laloius* è vestigio Præfectum adiêre, exhibitoque Regio diplomate, quare detinerentur ex eo quæsiêre. Ad quæ ille, cupere Ducem, quod exteri erant, scire quinam essent, & quo tenderent. Respondent *Tassius* & *Laloius*, tres eorum Belgas, unum Hispanum esse, omnesque (*ob*) particularia, propriaque negotia in Hispaniam proficisci. Mirari denique, quod cùm habeant regium diploma, nihilque quod molestiam afferret in itinere egissent, sese contra jus gentium contineri, tantumque Principem promittere viatores bona fide transeuntes, tam indignè infestari: paratos omnes dicere qui essent, imò si Dux velit, ad eum ituros, & si qua in re ipsi inservire queant, liberè imperet, seseque libenter imperata facturos: atqui hoc sciret detentionem, maximum ipsis posse afficere incommodum, præcipuè cum secundi tunc flarent venti, qui semel mutati incertum quando iterum faverent: unde fieri posset eos Nanti dies inutili sumptu detentos iri, quamobrem Ducem

† *Lege*: Pont de Cé. *Nom d'une petite Ville de France, située dans l'Anjou, a une lieuë d'Angers vers le midy.* PonsSaii, pontes Ceii, *ou* Cæsaris. *Dict. de Trevoux.*

* *Lege*: Regis.

1580. Ducem inixè rogare ut ipsis libertatem proficiscendi reddat; nec non præfectum, ut id ab eo quam celerrimè fieri queat impetret. Quo sermone ita tandem est permotus, ut citrà omnem suspicionem qui essent excusato domino, operam in eo quod petebatur promiserit. Egêre præterea cum locum tenente ejusdem præfecti. Erat *Tassio* equus satis generosus, innotueratque proficiscentibus, eumdem à præfecto summopere expeti. Itaque ipsis visum communibus sumptibus, præfectum equum esse donandum *, quod cum intelligeret locum tenens, Præfectus exinde liberationi detentorum omnino studuit. Venit ad eos ut nomina & cognomina declararent. *Fonckius* & *Laloius* sua latino idiomate expressa facile incognita reddidere: *Tassius* assumpto cognomine materno, & ipse sese incognitum reddidit: Hispanus vero quamvis verum ac proprium suum nomen ederet, nil tamen inde sibi periculi timebat. His ita intellectis misit festinanter locum tenentem Ducem versus, indicans illos quos detineri jusserat, privatos esse homines, qui in Hispaniam ob privata tantum negotia tendebant, ita ut æquum non esset ultrà detineri. Brevi sic egit ut absque ulteriori cunctatione ac inquisitione, libera discedendi potestas data fuerit; qua obtenta cùm continuò solvissent, secundo postea die *Nantum* feliciter appulerunt: non immerito læti quod Scyllam illam evasissent, cum cogniti in majora pericula atque incommoda facilè incidere potuissent, prout haud ita diu accidit *Joanni Navarroto* Hispano, exercitus Belgii supremo quæstori (vulgo *Contador*) qui etiam eumdem in finem quo illi Nantum petens, eodem in loco ejusdemque præfecti jussu detentus, post longas molestias, libertatisque sollicitationes, tandem ex morte vita privatus est †. Conduxêre statim pretio satis magno *Tassius* & *Bustamantus* navigium quo in Hispaniam veherentur, uti etiam alii duo fecêre, quantaque fieri potuit celeritate, quæ ad navigationem essent necessaria provideri curarunt. Sed accidit post aliquot dies in hisce rebus parandis consumptos, cum jam schaphis ad dicta navigia ad ripam pagi cujusdam, quatuor & ultra Nantum amplius miliaribus in anchoris stantia, tenderent, auram quæ eousque prosperè flarat in contrariam esse versam. Itaque cum nollent Nantum redire in præsentia, in dicto pago mansêre exspectaturi, donec idonea

* *Lege*: præfecto equum esse donandum. *Vel*: præfectum equo.

† *Ita reperi vitiosam hanc & depravatam locutionem.*

idonea afforet tempeſtas. Erat locus quidam *Montagutus* vulgò dictus ſeptem leucis inde diſtans, in altera fluminis ripa, ex illis quos occupatos ab Hugonottis ſupra diximus, ubi cum ex malevoli cujuſdam relatione innotuiſſet exteros quoſdam cum equis & ſarcinis in Hiſpaniam navigaturos, in dicto pago per contrarios ventos detineri, continuo complures ex *Montaguto* prædæ avidi, ad eos expoliandos animum vertere; quod quidem ignorabant proficiſcentes tunc temporis cùm ibi eſſent. Sed certum fuiſſe poſtea publicè innotuit, fuitque tanta erga eos etiamſi indignos Dei omnipotentis gratia, ut eo ipſo die quo *Montagutenſes* ipſos invadere conſtituerant, ut jam in altera fluminis ripa ad id parati erant, ſubito atque inopinatè ſecundus ad navigandum ventus flare cœperit, ita ut illis inſpectantibus mari ſeſe committerent, navigatione tam proſpera uſi, ut non amplius triginta ſex horis, vel circiter, in via conſumptis ſalvi *Laretum* appulerint: læti poſtea, cum ſciviſſent ſeſe tam feliciter tam hoc ſecundum quam primum periculum evaſiſſe. *Lareto* quo quiſque voluit, quamque commodiſſimè potuit iter inſtituêre. *Taſſius* autem cum recto itinere Madritum, ubi aula Regia teneri conſueta, tenderet, tandem vigeſima nona Maji eo feliciter pervenit. 1580.

III. Contulerat ſe jam tunc *Philippus Badagoſum* *, quod eſt ad fines Luzitaniæ, haud ita magnum oppidum, ut inde armis contra *Luzitanos* ageret. Cujus belli hæc fuit origo. *Sebaſtianus* Portugalliæ Rex optimæ indolis, ſed vaſti admodum ingenii juvenis, bellique omnino rudis, cum diu *Mulieymbaza* †, *Zariſi* Regis fratris exulis, atque ad ipſum profugi perſuaſionibus reſtitiſſet, tandem eo ſe adduci ſivit, ut decreverit bellum *Zariſo* inferre, Regnumque *Marocum*, quod eſt in Africa invadere, idque tanta animi obſtinatione, ut nullatenus à quoquam, nedum ipſius *Philippi* avunculi ſui, monitis dimoveri ab inſtituto potuerit. Itaque cum jam omnia ad expeditionem eſſent parata, anno milleſimo quingenteſino, ſeptuageſimo octavo menſe Junio ex *Uliſibona* in Africam trajecit, ubi cum haud diu moratus eſſet, comparuit cum

* Badajox, *ville d'Eſpagne dans l'Eſtramadoure, ſur la Guadiane.* Pax Auguſta. *On ecrit auſſy* Badajoz. *Dict de Trevoux.*

† *V. Spondan. ad an.* 1578. *a N. VIII.* qui citat AA. *de bello ac regni ſucceſſione ſcribentes.*

1580. cum suo exercitu *Zarifus*, cum quo confligere non dubitavit; prout fecit valde quidem fortiter, sed cum *Mauri* numero militum longè excederent, tandem victores evasère, ac quinto die Augusti *Sebastiani* exercitum ad internecionem cecidere, ipse etiam in conflictu occubuit. Clades haud dubiè Reipublicæ Christianæ lachrymosa., *Lusitanis* autem longè funestissima, vel potius exitialis, uti postea apparuit, cum mortuo * successorum, Hispanorum imperium subire quamvis inviti coacti sunt. Erat Sebastianus Principis *Joannis*, ex *Joanna Philippi* Hispaniarum Regis sorore filius, necdum matrimonio junctus, quapropter Regnum ad *Henricum Emanuelis* proavi sui fratrem, jure hæreditario necessario devolvebatur. Iste vero Princeps piissimus & admodum senex ac valetudinarius, cùm Presbyter Cardinalis esset, etiamsi nullus ex suo stemmate superesset, qui post eum justus Regni hæres esse posset, certoque constaret maxima eam ob causam Regno imminere pericula, haudquaquam de matrimonio ineundo cogitare voluit; nec potuit. Itaque brevem quam post adeptum imperium vitam habuit, totam eam in id præcipuè impendens, ut successorem designando, dissentiones, rixas ac bella futura præcaveret, *Antonium, Ludovici Joannis* tertii, Regis fratris sui filium notum †, quodque eam ob causam non esset capax successionis, publico instrumento declaravit. Erant qui legitimis rationibus Regnum petebant, *Philippus secundus*, Hispaniarum Rex, tamque ‡ filius *Isabellæ* filiæ primogenitæ *Emanuelis* proavi prædicti *Sebastiani*; nec non *Maria* ac *Catharina Eduardi* fratris dicti *Joannis tertii* filiæ, quarum natu major nupserat *Alexandro Farnesio* Principi Parmensi; altera Duci *Bargancio*; præterea *Catharina* etiam *De Medicis*, *Henrici secundi* Francorum Regis uxor vidua, quæ originem ex Comitibus quondam Boloniæ allegans, asserebat hæredem unicam ejusdem ditionis, trecentis & plus ante annis *Alphonso* Portugalliæ Regi tertio nuptam, quamvis postea repudiatam ob filiam ex eo conceptam, regnum illud ad suos successores, quorum ipsa erat ultima, legitimè devolutum; eosque Reges, qui ab eo tempore Portugalliam possedissent, injustè ac indebitè illam possedisse, quorum omnium jura, atque actiones, etiamsi diligenter examinasset *Henricus*, tamen morte præventus, antequam certi quid quoad successionem

Clades Sebastiani Regis, & successio Regni.

* *Adde*: ultimo, *prout ex sequentibus apparet.*

† L. nothum.

‡ L. tamquam.

sionem statuere potuisset, quatuor nominatos reliquit Regni Gubernatores, qui post suum obitum, quod possent quieti Regni providerent, sed nihil profuit: Lusitani enim nil minus audire poterant, nihilque sibi durius accidere posse pertinaciter profitebantur, quam *Castellanorum* quibuscum antiquitus eis fuerat, eratque etiam tunc temporis maxima simultas, ingensque odium, imperio subjici. Itaque nullus ferè extitit, qui neglecto *Philippo*, *Antonio* quamvis illegitimo non faveret. Nec *Philippus* etiam umquam, sive litteris sive legationum officiis, sive donis ac promissis, aliisque benignis viis modisque, quibus diu & multoties publicè ac privatim erat usus, efficere potuit ut jus suum quod pro certo & indubitato habebat, quiete admitterent, unde tandem coactus sibi non deesse, ad arma animum vertit, data cura *Petro à Medicis*, *Cosmi* Florentiæ Magni Ducis filio, uti cum bissenis peditum Italorum millibus in Hispaniam se transferret, & Comiti *Hieronymo De Lodron*, ut sena millia Germanorum peditum eo duceret, compositis præterea in suo regno tantis Hispanorum pedestribus ac equestribus copiis, tantoque tormentorum bellicorum, cæterarumque rerum ad bellum gerendum necessariarum apparatu, ut Regium planè exercitum sub finem mensis Maji prope *Badagosium* in ipsis finibus Portugalliæ in unum coëgerit. Cumque tempestivè ac maturè considerasset expeditionem tam arduam haud injuria præsentiam suam postulare, aut saltem summopere expedire se non longe abesse, ad occasiones quæ occurrere possent captandas, ac indies melius explorandum quod esset agendum, *Badagosii* consistere statuit. Denique ut erat in ejusmodi rebus agendis solidè doctus educto Duce *Albano* ex *Uzedi* oppidulo, distante septem miliaribus Madrito (ubi eum ob conjugium *Frederici* filii & neglectam voluntatem Regiam, nec non ob injuriam ab eodem *Frederico* Regiæ aulæ illatam, per aliquod tempus captivum detinuerat) summum exercitûs præfectum esse voluit, ac . . . . Junii Lusitaniam invadere jussit, quod tanta diligentia effecit, ut *Villa-viciosa*, Ducum *Bargantiæ* ordinaria sede, facile in potestatem suam redacta, ad oppidum maritimum *Zetubal* vulgo dictum, *Albanus* cum exercitu brevi penetraverit, eoque per deditio- 1580.

1580. nem capto, ac sufficienti præsidio imposito, qua potuit celeritate multis triremibus aliisque navigiis quæ præsto erant, imposito exercitu *Ulixibonam* versus navigans, eam in partem quæ ad levam spectat, militem omnemque bellicum apparatum feliciter exposuit. *Antonius* nullibi umquam *Albano* restitit, Regiisque armis sese opposuit, sed sese locarat ante id oppidum cum exercitu satis copioso, sed tantum constructo ex tyronibus militibusque belli omnino imperitis; quamobrem diu subsistere non valuit, quin arte ac virtute Regii exercitus omnino succumberet, ipseque tandem fuga manus hostium evasit, qui non cæsi fuga quoque salutem quæsiêre; *Albanus Ulixibona* est potitus, totumque Lusitaniæ Regnum trium mensium spatio *Philippo* acquisivit: fuitque admiranda in hoc bello *Antonii* obstinatio ac imprudentia. Resciveratque enim diu antea quid via armorum moliretur *Philippus*, & quid posset; tam negligenter tamen ad bellum se præpararat, ut cum ad rem eventum esset, non habuerit quo resisteret. Estque hoc magis adhuc mirandum, quod non sedecim ante diebus, quàm *Albanus* ex *Badagosseno* agro discederet, in oppido *Santaren* vulgo dicto, Regem se à populo aliisque sequacibus accalamari permiserit, cum res postea consecutæ satis docuerint, nihil eum illo actu tam intempestivo aliud egisse, quam sibiipsi desperationem perpetuam comparare & *Philippi* animum ab omni reconciliatione alienum reddere. Idque ille propositum tam tenaciter amplexus est, ut quamvis post aliquot annos cum ipse in Gallia ageret, *Philippus* mitigatus à reconciliatione non abhorreret, maluerit tamen occasione neglectâ, post multa adhuc in *Philippum* Gallorum auxilio tentata, tandem Lutetiæ Parisiorum solo vano Regis titulo contentus, miserè vivendo perire.

IV. *Tassius* relicta Madriti uxore, *Badagosium* eo ipso die quo *Albanus* itineri se commiserat, ad res suas agendas pervenit, & postquam debitam osculandi manus Regias præstasset reverentiam, haud diu moram traxit, quin illum ad exercitum mittere designarent; sed quo minus id muneris subiret, constanter se excusavit: quamvis enim Regi inservire esset paratus, operæ tamen eousque Regi per ipsum præstitæ, expulsioque illa inhumana Belgica qua contra eum

usi

usi erant, amplius quid favoris Regii non immerito postulare ac mereri videbantur. Accidit præterea eum in febrim tertianam incidere, cujus curationi dum studiosè incumbit, venit ex Gallia Veredarius (*Correos* * vulgo vocant) nuntiatum *Joannem à Vargas* nobilem Hispanum qui ibi per aliquod tempus Legatum Regis Catholici egerat, obiisse. Erat apprimè necessarium ei muneri citra dilationem provideri. Itaque Rex quæritans quisnam huic muneri esset idoneus, tandem *Tassium* elegit, jussitque ut qua posset celeritate in Galliam se transferret. Ille autem quamvis nondum à febri convaluisset, duodecima tamen Augusti *Badagosium* relinquens, Madritum rediit, ibi expectaturus litteras credentiales (ut vocant) aliasque scriptas instructiones, quas moris est illis exhiberi, qui ad similia delegantur, ut quæ sibi sint agenda sciant, rerumque directionem melius intelligant. Cæterum vix Madritum attigerat, cum subito in aliud maximum incommodum incidit. Contigit eo anno quibusdam in Regionibus morbum quemdam pestilentiam ex quadam aëris intemperie & corruptione natum, infinitos mortales nova quadam atque insolita ægritudine affligere. Hic ortum habuit apud Sequanos, unde in Galliam translatus, atque indies progrediens, tandem etiam in Hispaniam pervenit, nec ante extingui potuit, quam cum illo regno peragrato, ac Portugallia ad mare usque volutum, quo ulterius terrestri itinere tenderet, vimque suam exerceret, & non invenit, vocabatur vulgo Catharrus, afferebat dolorem capitis, ingentem tussim, & vehementi febri affecta corpora affligebat, & ut quisquam minus prospera utebatur valetudine, ita majori periculo subjiciebatur. Vix erat Madriti quisquam qui non furorem morbi experiretur, ita ut per aliquot dies vix ullus esset qui annonam cæteraque ad victum necessaria importaret. Quæ in primo morbi ortu cura adhibebatur, erat venæ sectio, sed postea docente experientia, alia certiora utilioraque remedia inventa. Cæterum quamvis molestus, non tamen erat incurabilis, verùm tam periculosus, ut Madriti quindecim dierum spatio, super quatuor millia hominum absumpserit, parumque abfuit, quin & *Tassium* raperet. Accidere præterea & alia duo incommoda, quæ sæpius profectionem in longum traxêre. Incidit Rex *Badagosii* in febrim pestilentialem (*Ta-*

1580.

*Correo, *Hispanicè.* Courrier, *Gallicè.*

Catharrus anni 1580.

1580. *vardillum* † Hispani vocant) cumque jam periculum evasisset, ipsa enim Regina eodem modo correpta, jam gravida vi morbi extincta est, quorum tam insignium incommodorum interventu, cum rebus publicis tam cito vacare non posset, haud prius quam sub finem Octobris, ea quæ ad profectum erant necessaria, *Tassio* tradita, quibus acceptis nona Novembris *Madritum* relinquens, *Bilbaum* cum familia profectus est, ibique necessario moratus donec secunda faveret aura, tandem decima quinta Decembris mari se commisit, & postquam quatriduum impetuosissimis ac admodum periculosis tempestatibus navigasset, *Vannum* olim *Venetum*, quod est Britanniæ portus, incolumis appulit, atque inde qua potuit dissimulatione ac celeritate, ob pericula Ducis *Andegavensis*, jam Regis Catholici certi hostis, *Blesos*, ubi tunc temporis agebat Rex Christianissimus tendens, ad pagum quemdam ibi vicinum ultimo die anni octuagesimi feliciter pervenit, ibique se continuit donec ei domus in civitate destinaretur ubi habitare posset, qua facile impetrata confestim sese eo contulit. Discesserat paulo ante Rex ad *Sanctum Germanum* (que est inter alias non procul Lutetia, Regia Domus) ierat, ut curationi certi morbi, quo laborabat,

VACAT

•

exactè extra Aulæ turbam, strepitumque vacaret. Aula interea temporis *Blesis* manserat, & Regina Mater cum Regia uxore (cujus in Gallia epithetum *Regina Regnans*) *Chenonceau* quæ est paulo ultra *Amborsum* speciosissima Reginæ ejusdem domus, recreandi animi causa tunc agebat, quocum paulo post profectus esset *Tassius*, ubi Reginæ Matri, penes quam totius erat Regni gubernaculum, litteras credenditias (ut vocant) quas attulerat traderet, eaque ambabus Reginis coram significaret, quæ ulterius in mandatis habebat, idque plenè præstitisset,

† Tabardillo. *Pourpre. Sorte de maladie qui consiste a avoir le corps plein de taches bleuës, ou noiratres, qui viennent d'une fievre maligne.* Dict. de Franc. Sobrino.

ſtitiſſet, omnique eum Reginæ humanitate eſſent proſecutæ, jam illo actu (ut moris) factus miniſter publicus, ſtatim *Bleſos* reverſus legationi ſuæ quanta potuit cura ac diligentia deinceps vacare cœpit. 1580.

V. Acciderunt anno octuageſimo in Belgio ea quæ ſequuntur. *Malcontenti* quos Flandris ſeſe oppoſuiſſe ſupra diximus, duodecima Martii Cortracum occuparunt. *Mechlinia* menſe ſequenti Archi-Ducis *Matthiæ* juſſu Ordinibus, aliquot civium interfectis, occiſoque Domino *Lupo* * Ordinis Dominicani, forti atque admodum zeloſo presbytero, Dominoque *De Roſſignol* Gubernatore recuperata fuit. *Lanoïnis* ** ille Brito capitur à Malcontentis propre Tornacum, cæſis ac fugatis quindecim peditum ſignis, quæ ſecum habebat, captaque octava Junii ab Ordinibus Dieſta. Eodemque menſe Regiæ aliquot copiæ Friſiam verſus tendentes, *Hollachio* duobus & viginti vexillis peditum & copioſo equitum numero prope Noveſium obviam factæ, cæſis plus mille quadringentis, eumdem profligarunt. *Haſius* præterea ſolitæ haud immemor perfidiæ, nulla alia motus cauſa *Parmenſem* Montibus trucidare ſecum obſtinatè decrevit, idque hoc ſtratagemate effici poſſe ſperabat. Volebat legionem ſuam Walonorum certo die circa muros civitatis proficiſcendo ſtationem verſus ducere, ad eamque viſendam *Parmenſem* amice invitare, atque ita per militem ſibi ſimilem ad ſcelus præparatum, quod in animo habebat exequi: ſed detecta tempeſtive perfidia, & de eo queſtus *Parmenſis* cum Marchione *De Robaix* Domino *De Montigny*, aliiſque, quorum fidei ſe commiſerat, illi ſeſe purgando ab omni mala ſuſpicione † *Haſium*, quantumvis parentem ‡ captivum *Quennoyum* duci curarunt, unde delata cauſa ad ipſos Ordines, cum illi *Haſium* exactè examinare curaſſent, ipſe inſuper delictum confiteretur, tandem publico omnium judicio jure damnatus, capite plexus, pœnas intentati facinoris luit.

** La Noue ductor copiarum fœderatorum Ordinum. V. Borrium lib. 15. fol. 206. vſo. col. 2.

† Guilielmus Homanus HeſiiDominus.

‡ *Id eſt* cognatum. *Gallis*, parent. *Hiſpanis*, pariente.

VI. *Taſſius*

* Petrus Lupus, *idem ille qui ſupra citatur lib. 5. n. CCXXVII. non ordinis Dominicani, ſed Carmelitani, Conventus Thenenſis profeſſus ac presbyter fuit; S. T. D. Lovanienſis, ac Provincialis Germaniæ inferioris. De quo Vide* Sanderi Chorograp. Brab. tom. 2. p. 230. novæ edit. Item Val. Andr. Biblioth. Belg.

1580. VI. *Tassius* haud diu *Blesis* constiterat, cum multa directè contra *Philippum* intentari certo cognovit. Permiserat jam ante ejus adventum Rex, *Carettum* quemdam Lusitanum nobilem, trecentos è Gallia educere milites, eosque navigiis impositos in subsidium *Antonio* miserat, qui tamen cum eò appulissent, remque perditam cognovissent, in Galliam reversi sunt: Dux præterea *Andegavensis* jam cum Belgicis Rebellibus strictè confœderatus, bellicis apparatibus, quibus illi urgente necessitate præsto esse posset, vacare decreverat: idque hac occasione incœpit. *Inchius* * qui perfidia militum, *Liquium* ** ex arce Cameracensi ejecerat, quamvis vidisset confectam Pacificationem trium dictarum Provinciarum, certoque cognovisset discessum Hispanorum, noluit se tamen eidem reconciliationi adjungere, vicinaque Gallia fretus, ubi certo sciebat inventurum (*se*) semper quando necesse esset, securum azylum, Rebellibus adhærere perseveraverat. Quod cum *Parmensis* jam suo muneri *Nontii* vacans cognovisset, etiamsi non haberet exercitum satis validum, nec alia ad oppugnationem tantæ civitatis necessaria, nihilo tamen minus ex relatione illorum, qui certo affirmabant, posse per aliquot castella opportunis in locis constructa, civitatem ad tantum annonæ penuriam brevi adduci, ut de deditione agere cogeretur; ea exstrui curarat, satisque jam civitatem premere cœperat, & si perseverare potuisset, tandem voto potiri non dubitabat. Quod cum animadverteret *Inchius* rebus suis diffidens ac desperans, nec non cæteris Rebellibus instigantibus, Duci Gallo sese & civitatem tradere decrevit, quæ cum Duci futura esset maximi momenti acquisitio, diligenter supradictos bellicos apparatus promovere perrexit, jamque copiosum militem pedestrem & equestrem contrahere cœperat.

* Balduinus Gavrius, Inchii Dominus.

** Philippus Recourt Baro de Liques.

VII. De quibus rebus certior factus *Tassius*, continuo cum Rege jam *Blesos* reverso, Reginaque matre, quibus potuit rationibus ac persuasionibus agere cœpit, uti fratrem ac filium de instituto (prout jure pacis aliaque ob amicitiæ bellicique auxilii in summa necessitate, plus semel maximo Gallici Regni emolumento, à suo Rege præstita beneficia, omnino tenebantur) retraherent. Ad hoc illi, quidquid ageret Dux, contra voluntatem amborum fieri: nihil ipsis magis curæ aut cordi esse, quàm pacem cum *Philippo* cognato

ac

ac genero, optimè de Gallia merito, conservare: seseque 1580.
facturos quod possent in Duce â cœptis divertendo: asseverare tamen eo esse ingenio juvenem, eumque libertatis atque inobedientiæ gradum attigisse, ut non semper vel Fratris vel Matris monitis mandatisque acquiesceret, imo eo audaciæ progressum, ut & contra ipsum Regem amplexis Hugenottorum partibus, aliquoties sese extollere ausus fuerit. Eratque revera ejusdem ingenium tale, tamque ambitiosum. Itaque cinctus semper ille plurimis ejusdem farinæ domesticis ac sequacibus, velis remisque ut dicitur, nulla umquam habita debiti ac honesti ratione, ad id solum quod in rem suam esse putabat, obstinatè tendebat. Scripsère tamen ad eum Frater, Materque, atque misère qui Regis nomine juberent desistere: ivit & ipsa Mater. Quibus publicis ac extrinsecis bonæ voluntatis demonstrationibus, abundé *Tassio* volebant esse satisfactum; sed an hæc omnino sincerè, merito dubitabatur, quamvis enim certum esset *Henricum* â rebus bellicis abhorrere, nihilque magis expetere quàm Regno in deliciis quiete frui, ita tamen malum fratris genium reformidabat, ut crederetur lætari secreto, quod sese externis implicaret motibus, quatenus eis amplexis, sese ac Regnum â tumultibus belloque eximeret. Denique Mater idipsum appetens, inceperat & aliunde prædictæ Portugalliæ successionis causa, occulto in *Philippum* incendi odio: unde Dux nec serio commonitus, nec impeditus, utrumque negligens, *Cameracum* tempestivé misit Dominum *De Baligny*, cum expeditis aliquot copiis, qui *Inchium* consolaretur, ac constantem in fide retineret. Ipse verò cum jam adventasset æstas anni millesimi, quingentesimi, octuagesimi primi, translataque esset Aula Regia *Blesis Lutetiam Parisiorum*, in Picardia non contemnendum habuit exercitum, quo cum Cameracum versùs movens facile civitatem (recipiente se *Valentianam* * *Parmense*) ab obsidione liberasset, amicéque per *Inchium* in civitatem introductus, cum paucos ibi dies substitisset, absoluto civitatis arcisque dominio potiri volens, quodam die visendi prætextu, tam ingenti nobilium numero comitatus arcem ingressus est, ut ejecto præsidio, in Gallorum potestatem redacta fuerit, pauloque post obsessa civitate *Cambresi* vulgo dicta, cum & ea

Officia simulata Reginæ Matris & Regis Franciæ ad Ducem Andegavensem a rebus Belgicis abstrahendum, & quæ simulationis causa.

* *Valenciennes* Valencenæ.

Dux Andegavensis Cameracum occupat. Et qui Regi suo resistendo eam urbem tradidit, occiditur.

1580. ea victori deditione cessisset, brevi omne *Cameracense* dominium sibi vindicavit, relicto solummodo *Inchio* nudo ac simplici Gubernatoris titulo, quem Gallus magna honorum, beneficiorumque spe allectum consolabatur: ob perfidiam tamen qua contra Principem ac Dominum usus erat, merito, sic fuit castigatus, ut tandem ex Gubernatore factus servus, in militari quadam actione extra civitatem qua accurrerat, incertum ab rustico, an ab amico Gallo sclopeto ictus perierit.

Rex Franciæ alterum componit exercitum, aliò intendens quàm edicebat.

VIII. Rex ac Regina Mater constructo jam Ducis exercitu, & ipsi confecère alium satis copiosum, cui præfecère Dominum *De Pegillart*, eo consilio ut proficiscente Duce à tergo eum insequeretur: cumque *Tassius* quorsum hæc fierent, ab eis quæreret, hunc expeditioni dedere colorem: sese cùm scirent quam inquietus ac malè affectus erga Regem esset, voluisse se præcavere, ne voto potitus contra Galliam arma verteret, sed hisce excusationibus certius judicatum à multis eo stratagemate usos fuisse, ut propinquo auxilio confisus, securius quod in animo habebat exequeretur; idque ipsum postea pro certo habitum, cùm Mater juris Portugallici titulo dominium *Cameracense* sibi applicavit. Biduo antequam Dux *Cameracum* attingeret, misit Vicecomitem *Turonensem* * cum turma equitum, ut civitatem intrare tentaret, Inchiumque de vicino auxilio certiorem redderet; sed cum ille in aliquot equestres *Parmensis* copias, quæ per noctem excubiis vacabant incidisset, victus captusque fuit; nec ante libertati restitutus, quam solutione ampla victori satisfecisset. Exercitus post tam optatum successum, non ultra *Exclusam* progressus, paucisque post diebus, inde absque aliquo ulteriore fructu in Galliam se receptans, dimissus est, uti & Regius ille mox post rem per Fratrem Cameraci bene gestam. Dux verò in pago *Pont Remy* vulgo dicto, ulterioribus suis cœptis studens, in præsentia consedit. Videbatur Matri tempus adesse non inidoneum quo aliquid de nova reconciliatione ac compensatione juris sui Portugallici apud *Philippum* agi posset. Qua de re ubi cum *Tassio* multoties egisset, illeque ad omnia quæ ad quietem tenderent, promptumque paratumque se præbuisset, convenit inter eos, ut mitteretur *Maldonatus*, *Tassii* secretarius per celeres equos (vulgo postam) Ulixibonam, ubi tunc

** Regina Mater Cameracum sibi servat pretextu juris sui in regnum Portugalliæ.*

V. hic Stradam Decad. 2. l. 4. ad an. 1581.

tunc temporis agebat *Philippus*, proponeretque uti daretur Duci in uxorem Infans *Catharina*, ejusdem minor natu filia, qua conditione, aliquarumque ad fines Picardiæ civitatum Belgicarum cessione, extinctum maneret, quidquid super successione Regni Portugalliæ actionis querelarumque cum genero habebat. Conveniebat rebus Hispanicis placida audire fronte hæc quæ proponebantur, magni enim intererat, Ducem quoquo modo ab instituto occupandi imperii Belgici, instigante *Auraico*, retrahere. Nihil tamen profuit, eratque tanta Filii Matrisque ambitio, ut non exspectato *Maldonati* reditu omnia, quæ in damnum *Philippi* jam dudum intentarant, prosequi perrexerint. 1580.

Propositio Reginæ Matris.

IX. Eodem anno dum adhuc Aula Regia esset *Blesis*, venerat eo *Comes De Vimiosa* (dicens se Conestabilem ex Portugalliæ illegitimo stemmate) præcipuus inter illos qui *Antonium* ad Regnum occupandum consiliis auxiliisque juverant. Hunc Regina Mater, magna benevolentiæ demonstratione lubens admisit, ita jam manifestissima signa aversi ejusdem à *Philippo* animi apparere incipiebant. Appulit & postea *Caletum Antonius* ipse, qui cum in Portugallia diversis in locis summo cum periculo diu latitasset, tandem mense Martio Hollandicam per fautores extra portum *Zetubal* in anchoris stantem nactus navem, in Hollandiam vectus est, ibidemque cum paucis in terram expositus, Regem se à suis dici, Regisque epithetis tractari, vanitati potius quam saluti studens, imprudenter permisit, eoque actu in pertinacia confirmatus, denuo omnem in posterum reconciliandi sese cum *Philippo* spem amisit. Trajecit continuo in Angliam, ibi plus sibi fidens ob inimicitiam qua in *Philippum* flagrabant, quam incertæ adhuc Galliæ securi refugii. Verum dum ibi nihil præter verba, & aliquantam pecuniæ super Diamantem magni pretii, multo fœnore datam summam invenisset; & aliunde à Regina *, quæ occasione recessus *Antonii* extra Galliam ** indies contra *Philippum* magis magisque accendebatur, sollicitaretur, ut in Galliam se transferret, sub finem ejusdem anni Lutetiam venit, ubi splendidissimè à Regina hospitio exceptus, ab *Henrico* visitatus, ac titulo electi Regis Portugalliæ ornatus, tandemque inter eos conventum, uti Regina classem in proximam æstatem, quà veheretur ad insulas 1581.

* *Intellige* Matre *Regis Franciæ.*

** *Numquid legendum*: extra Portugalliam?

 sulas

1581. sulas vulgo *Terceras* * Portugalici imperii (sitas in recta linea, qua ad occidentales Indias navigatur) quarum primaria pro *Antonio* stabat, parari curaret, ut omnibus in potestatem redactis, ejusdem navigationis dominum sese efficeret, atque ita paulatim in Regnum restitueretur; data Reginæ pro suo jure sufficiente compensatione. Quibus rebus ita constitutis, *Antonius Thuronem* § se contulit, ibi mansurus donec tempus navigationi idoneum adveniret.

Adventus Antonii in Franciam, ejusque tractatus cum Rege ac Regina Matre ad occupandas insulas Terceras.

§ Tours.

X. Dux *Andegavensis* cum per aliquot dies *Pont Remy* moratus esset in Angliam trajecit, ubi â Regina amicissimé exceptus est.

XI. *Parmensis* autem, ubi post occupatum â Gallis *Cameracum*, exercitum eorum divisum vidit, *Tornacum* invasit, ac obsidione cinxit, absente senescalco Hannoniæ Præfecto † civitas magna copioso erat referta populo; ob præfecti absentiam, pauco munita milite; habet arcem. Satis longa ac difficilis fuit hæc obsidio: post multam murorum labefactionem ac ruinam, irruptio tentata sed nullo successu; vulnerati aliqui ex præcipuis: interfecti Domini *De Vaulx* & *De Bours*. Ille ⊥ saxo caput vulneratus †† voto potitus est. Soluta â civibus in redemptionis pretium centena aureorum millia, civitasque ab hostili servata est direptione. Et quia ejus urbis Regia erat ampla ac commoda, eò ex *Namurco* Principis sedes translata est, ibique deinceps *Parmensis* consedit. *Haultepennius* hoc ipso anno *Bredam* quorumdam militum, qui ibi in præsidio erant, auxilo feliciter occupavit, pauloque post contra *Bergam op Zoom* idem tentans, re infecta recedere coactus est. *Steenvicum* Frisiæ oppidum ab Regiis obsessum, per Ordines liberatum.

Parmensis capit Tornacum.

⊥ *Nempe*: Alexander Princeps Parmensis.

†† *Periculum Principis, capite humeroque saucii, lege apud* Stradam, Decad. 2. lib. 4. ad hunc annum.

XII. *Auraicus* in eo obstinatè perseverans, ut ad imperium admitteretur Gallus (eo studio ac consilio, ut is constitutus in medio maritimæ ditionis, earumque mediterranearum

rum

* *Terceras*. Insulæ maris Atlantici, communiter *Açores* dictæ, vel *azores*, a vocabulo Hispanico ac Portugallico *açor*, quod *falconem* significat, quòd ea ibi avis multa sit. Sunt Septem numero insulæ, quæ ab earum præcipua, *Terceres* dicta, omnes eo nomine veniunt.

† *Nempe*: Petrus Melunius, princeps Espinoii.

rum partium quæ pro Rege ſtabant, ibi contra fortem hoſtem diu belligerans, ſibi quietem ac tempus ad bene componendum confirmandumque imperium maritimum, quod animo conceperat, neceſſariam compararet) populum quem poſſidebat, ad abjurationem Principis ſui naturalis tandem adduxit, cujus abjurationis hæc fuit forma: *Juro me poſthac nequaquam reſpecturum Regem Hiſpaniarum aut ei obedientiam præſtiturum, vel eumdem etiam pro Principe ac Domino meo cognitu-rum; ut quem repudio, omnibuſque quibus illi aliquando quocumque modo tenebar obligationibus renuntio, atque ita his nexibus abſolutus, de integro promitto juroque me Statibus Belgii unitis, nominatim vero in Provinciis Brabantiæ, Geldriæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, eorumque confœderatis, ſimul ac Magiſtratibus & ſuperioribus per eos conſtitutis, fidelem fore, obedientiam, auxilium, ſubſidiumque pro viribus contra Hiſpaniarum Regem illique adhærentes, & alios quoſcumque Patriæ hoſtes præſtando, non ſecus ac decet fideles Patriæ dictarumque Provinciarum incolas ac ſubditos ſuperioribus ſuis Magiſtratibus obedire, tam vere quam me omnipotens Deus adjuvet.* 1581.

Auriacus procurat Ducem Andegavenſem admitti ad regimen Belgii Quæ illum cauſæ moverint. Exigit a populo ut fidelitatem juret Ordinibus, abjecta ea quam Regi ſuo debebant.

XIII. Ediderat etiam *Auraicus* paulo antè in lucem Apologiam * contra Regem ſuum, ſupra modum infamem. Statim poſt prædictam abjurationem Regii oppidum *Ghoer* occuparunt. Accelerabat quotidie præterea *Auraicus* adventum Ducis Galli: ille verò compluribus diebus in Anglia Regali hoſpitalitate conſumptis, tandem aliquot Regiis Anglicis vectus navibus, in *Walchriam* venit, ac inde *Antverpiam* ab *Auraico* ductus, incredibili populi applauſu, veſte Ducali indutus, civitatem ingreſſus vigeſima ſecunda Februarii anni octuageſimi ſecundi, Dux Brabantiæ declaratur. Fertur *Auraicus*, cum eo veſte Ducali indueret, dixiſſe; *nodum quo veſtis collo jungebatur, ſe velle tam fortiter ſtringere, ut nullus umquam potens eſſet eumdem diſſolvere.* Verùmtamen longe alius fuit eventus, ut poſtea dicetur. 1582.

Adventus Ducis Andegavenſis Antverpiam, ubi recipitur, & inauguratur in Ducem Brabantiæ.

XIV. Regina Mater non minus ſuæ utilitati quam *Antonii* ſaluti ſtudens, in propoſito conficiendæ claſſis, de qua inter eos ſub finem præcedentis anni convenerat, *Philippum Stroſſam*,

* Hanc vide in Borrii appendice: *Byvoegſel van authentyke ſtukken, behoorende tot het tweede ſtuk. a pag. 63.*

1582. *sam*, Senensem consanguineum ei præfecit, tamquam * serio ejus constructioni vacare jussit, ut jam adventante æstate anni octuagesimi secundi, sexaginta rostratæ naves diversæ magnitudinis, instructæ paratæque fuerint, quibus bonum militum numerum imposuit, cæteroque ad eam expeditionem necessario apparatu, abundé providit: Cumque jam idoneam nacta esset tempestatem, *Antonius* cum suis classem conscendens, tandem vigesima secunda Julii insulas *Terceras* navigare cœpit, quò post aliquot dies feliciter appulit. *Philippus* ex altera parte abundé de omnibus, quæ in eum intentabantur tempestivé per *Tassium* certior redditus, & ipse imperarat construi classem eique præfecerat *Marchionem De Sancta Crux*, virum fortem ac strenuum, nec non maritima militari scientia cumprimis illustrem, qui ter denis tantummodo, sed magnis navibus, comitatus, *Ulixibona* solvens, & ipse recto itinere ad *Terceras* tendens, cum hostem ibi invenisset, confligere non dubitavit; tamque fortiter ac animosé sese gessit, ut Gallos fuderit fugaveritque. Navis qua vehebatur *Strossus*, ac *Vimiosus*, cum fortiter pugnasset, tandem vi capta, atque ambo occubuêre Aliæ etiam aliquot, quæ fuga evadere non potuêre, eamdem subiêre fortunam. *Antonius* autem cum vidisset rem ad pugnam vergere, minori navigio in primariam supradictam insulam exponi se curavit, unde postea in Galliam denuo se recepit. Victor etiam post rem bene gestam egregia cum laude *Ulixibonam* rediit, *Philippi* procul dubio incredibili commodo, si enim in eo conflictu occubuisset, tum Galli tamquam maris effecti Domini, saltem *Antonium* in earum insularum dominio constabilissent, Hispanisque procul dubio difficillimam earumdem recuperationem effecissent. Quo uno incommodo nihil securum *Philippo* in recenti Portugalliæ acquisitione extitisset, fuissetque præterea tam difficilis Indiæ Hispaniæ navigatio, ut & hoc suis Regnis maximum allaturum fuisset incommodum ac detrimentum. Regina Mater ob perditam classem nihil de odio in *Philippum* concepto remisit sed in eo perseverans, continuo ad conservationem prædictæ primariæ insulæ animum intendit.

* Lego: Tamque.

Victoria Marchionis de S. Cruce apud insulas Terceras.

XV. Eo anno *Joannes Jauregi* ** Bilbao Cantabriæ metropoli oriundus, *Gasparo Annastro* etiam Cantabro, mercatori diviti Antverpiæ inserviens, persuasus ab illo (ut fama est)

*** Vide Borrii append. cit. a pag. 99.*

est) uti *Auraicum*, tamquam maximam pestem Reipublicæ Christianæ, è medio tollere viriliter tentaret, tandem & id perficere animo obfirmato statuit. Quibus rebus sic statutis, cum jam *Annaster* Antverpia discessisset, *Jauregui*, Dominicano cuidam sacerdoti, peccata sua veluti iturus ad certam mortem confessus est, sacramque synaxim sumpsit biduo ante facinus. Erat adolescens Religioni Catholicæ summopere addictus, ideoque credibile est, ferventi Religionis zelo eo fuisse adductum. Elegit ad cœpti executionem decimum octavum diem Martii qui erat natalis *Duci Andegavensi*, ad cujus ille splendidiorem celebrationem certamina militaria, recreandi populi causa, post meridiem fieri curarat, nec non noctu cœna splendida *Auraicum* plurimosque civitatis præcipuos hilariter excipere decreverat. Muniit se *Joannes* sclopeto satis parvo, accinctoque lateri pugione, domo egressus in qua agebat, fertur dixisse sodali cuidam domestico suo: *eo*, inquit, *ut terrarum orbem à sævo maximoque Tyranno liberem, ac licet secus fortasse Belgæ non * sentiant, postea tamen probabunt.* Prandebat *Auraicus* in conclavi, unde à prandio ad aliud se conferre consueverat: *Joannes* eo prandente deambulabat, exspectans dum transiret, ostioque appropinquanti supplicem dum porrigit libellum sclopetum ad guttur constanter adegit, ac displosit: cumque eum videret non cadere pugionem arripuit, ut cœpta perficeret, sed Comes *Holachius*, qui prope erat adolescentem medium corripuit, advolaruntque continuo corporis custodes, qui eum multis vulneribus confossum trucidarunt. Accidit tamen vulnus non esse lethale. Casus hic inopinatus totam civitatem valde commovit, præcipué hæreticos. Nec caruêre Galli suspicione, quod in favorem Catholicorum ad faciliorem Belgii occupationem *Auraicum* è medio tollere voluissent. Cadaver confossum populo est exhibitum, ac postridie ante domum in quatuor partes dissectum, quæ super totidem urbis portas ad terrorem expositæ. Domus *Annastri*, è vestigio invaditur, diripiturque, captique ejus nummûm receptor, rationumque scriptor, cum rationum libris ac litteris: nec non prædictus Dominicanus presbyter. Ille etiam qui vendiderat sclopetum, & ancilla, quo sic melius rei origo investigare-

1582.

Agitur Antverpiæ de trucidando Principe Auriaco.

*Tò non, *videtur abundare.*

1582. garetur. Sed tandem soli, Dominicanus *, nummûmque receptor nomine *Antonius Vernerus*, tamquam conjurationis in *Auraicum* conscii ac participes, damnati, supremo supplicio sunt affecti. Exanima corpora eorum uti adolescentis dissecta, portisque affixa. Metuerat sibi, ut primùm casus accidit, supra modum *Andegavensis*, sed *Auraici* vita, mortis periculo liberata, ejusque opera, brevi Galli pristinæ gratiæ ac benevolentiæ sunt restituti, ipseque haud diu post ex vulnere omnino convaluit.

XVI. Eo etiam anno Galli *Namurcum*, ubi agebat *Margarita*, *Parmensis* mater, scalis muro admotis occupare tentarunt, sed frustra. Et *Lens* oppidulum ab eis oppinaté ac dolo occupatum, confestim, per copias à *Parmensi* eo missas recuperatur. *Parmensis* denique *Aldenardum* obsidione cinxit (&)

* Huic Dominicano nomen est *Antonius Timmerman*, qui Dunckercanus, & ætatis 31. annorum. Hic adscribendum reor, quod *Franciscus Sweertius* in *Monumentis sepulcbralibus, & inscriptionibus Ducatus Brabantiæ*, posteritati prodidit *pag.* 195. *edit. Antverp. anni* 1613. his verbis:

§ *Nempe*: Antverpiensi.

In carcere publico. §

„ *Anno* 1582. *tempore quo* F. Antonius Timmerman *in vinculis detinetur, sua manu in carcere ad parietem cuspide ferramenti ligulæ astrictoriæ hæc verba scripsit*: Pape. *Quasi dixeris*: Dit heeft de Pape geschreven. *Deinde sequitur ejusdem confessio.* Ego Frater Antonius Faber, Dunckerkanus ord. D. Dominici fui hic incarceratus die 18. Martii, anno 1582. ob auditam & non revelatam Confessionem cujusdam, zelo religionis Catholicæ tentantis Principem Auriacum interficere, sed post, læso dumtaxat Principe, statim interfecti, & eadem nocte, tormentis duris fui subactus, sed nihil fassus. Capto autem ex consciis Antonio §§ Finero, cui defunctus confessionem narraverat, tum ex proprio quodam scripto, conatus fui eamdem revelare. *Hactenus confessio. Sed quidam volens de ea re certior fieri, misit Notarium ad carcerem, qui ad hunc modum descripsit, & hisce verbis subscripsit.* Ghecollacioneert teghens seker gheschrift ofte caracteren bevonden op den muer teghens de schouwe inde ghevanckenisse der Stadt van Antwerpen, ende is bevonden daer mede te accorderen by my Notaris in den Raedt van Brabant gheadmitteert, onderteeckent *N. van Caverson Not.* “

§§ Vernero.

(&) post trium mensium indefessum laborem, ad deditionem coëgit ipsis Nonis Julii. Cæterum Dux Gallus videns quantum ille indies in re bellica proficeret, rebus suis dignum ac consultum ratus, ejus audaciam reprimere, ac recens imperium certa victoriæ spe confirmare, plurima de auxiliis Gallicis pollicitans, *Antverpia* cum *Auraico* solvens in Zelandiam venit, atque inde in Flandriam est profectus: & Brugis, in ejusque urbis ditione collegit copias, nec non *Tornacum* internum * quorumdam fretus ope per *Rocheportum* tentavit, sed non successit. *Parmensis* capta *Aldenarda* & ipse in Flandriam hostem versus profectus est, crebrisque dimicationibus hostem prope *Bergham Sancti Winnox* consedentem vexavit, vi *Comes De Varas* sequantur † turmæ equitum præfectus, fortiter pugnans à Gallis captus est. Contulit se postea *Parmensis Messinas:* Gallus verò *Gandavum*, quo & postea profectus est *Parmensis.* Sed nihil ibi nisi dimicationes, inspectante ex mœnibus *Andegavensi* & *Auraico* actæ. Hoc ipso anno *Histfelenis* Simplex ** Schotus cum cohorte sua *Lyræ* agens, dolo circumveniens *Heetfeldium* Antverpiensem nobilem, urbis præfectum, oppidum Regiis tradidit. *Lochem* Transinsulanæ (*ditionis*) oppidum à *Verdugo* diu obsessum, opera ac exercitu Ordinum ab obsidione liberatum. *Steenvicum* à *Tassio* Germaniæ legionis præfecto, nocturna invasione occupatum. Nec non Alostum Ordinum industria ac negligentia custodum captum. 1582.

*L. Internorum, *id est: oppidanorum.*

** *Nomen hunc Scoto,* Simplius, Simplæus, *apud Stradam.*

XVII. Rediêre etiam Antverpiam *Andegavensis* ac *Auraicus*, magnoque militum præsidio Mechliniam, Vilvordiam ac Bruxellam munierunt. Exercitus verò Regius *Asche*, quæ est pagus binis miliaribus Bruxella distans, per aliquot dies consedit, uti Bruxellensem vicinumque agrum quibus posset molestiis afficeret. Sed tandem injuria temporis, annonæque penuria, non sine multo militum damno, in meliora hyberna se recipere coactus est.

XVIII. Rediêre præterea hoc anno Hispani ac Itali milites,

† *Lege*: ubi Comes de Varas Sequanus, *id est Burgundio. Porro ille erat* Baro de Balançon; *qui fratre postea mortuo, fuit* Comes *vel etiam* Marchio, de Warambon; Varanbon, Varas. *Ita diversimode scriptum reperi apud Stradam & Bo rium.*

1582. tes, quos per Pacificationem trium Provinciarum tam ardenti odio ejectos supra diximus, ut etiamsi satis intelligerent sine illis non posse bona successus spe contra *Auraicum* ac Gallos bellum geri, nullo tamen modo induci potuerint, uti eos retinerent. Itaque id quod non potuit prudentia, effecit necessitas; eoque eos redegit, ut miserint in Hispaniam, qui Regem communi nomine rogarent, ut eos juberet reverti, quod effectum est Ductore *Petro Tassio*. *Andegavensi* etiam magnæ peditum equitumque copiæ ex Gallia in subsidium missæ, Ductore *Duce Monpenserio* Regii sanguinis Principe, innumera nobilitate comitato, cujus vicem gerebat *Bironius Franciæ* Marischalcus, vir illustris ac scientia militari clarissimus. Hi Caleti navigiis impositi, Dunkerkam appulêre, atque inde per Flandriam Antverpiam pervenere, & ut in profectione illa, Flandriæ loca, quæ Regi parebant, hostili injuriæ non essent exposita, consedit *Parmensis* ubi hisce incommodis occurri posset.

Reditus Hispanorum in Belgium.

1583. XIX. Advenerat jam annus octuagesimus tertius, & Dux Gallus lassus & impatiens, diutius sub *Auraici* (ut ita dicam) virga, ac ex jussu vel nutu populi turbulenti vitam degere, cernens satis sibi virium ad manus esse, secreto sese tanta indignitate atque opprobrio eximere, totumque imperium sibi soli vindicare constituit. Idque hoc modo fieri posse sperabat. Dicebat *Auraico*, velle se extra urbem spectatum ire exercitum quem adduxerat *Monpenserius* Erat prætextus satis speciosus ac suspicione carens, jussitque ita *Bironio*, ut copias in unum contraheret, ac opportuno in loco collocatas haberet extra portam vulgo *Kipdorp* dictam. Decima septima Januarii ivit eò, quandringentis & amplius comitatus equis, ipso tempore meridiano, cùm civibus prandio intentis, plateæ undequaque ferè essent vacuæ: cumque ad portam veniens *, exivit quidem ipse, sed suorum major pars mandata exequentes, cives quos ibi in excubiis invenere, trucidarunt, ac dominos sese portæ effecerunt; subitoque de externo exercitu irrupuêre sexcenti equites, atque aliquot peditum millia. Illi hinc inde mœnia tormentaque bellica, quæ ibi erant, hi plateam eam, quæ à porta recta via in urbem vergit, nec non aliam quam *Meere* vocant, adeo impunè occuparunt, ut jam Galli se voto potitos esse non du-

Dux Andegavensis tentat Antverpiam sibi occupare. Causa mali successus.

* L. veniret.

dubitarent. Cives enim nihil tale suspicantes, non ita citò ad arma accurrerant, sed postea tarditatem virtute compensantes, tam fortiter Gallis sese opposuêre, ut eos in fugam verterint: Cumque per unam portam tanto numero exitus non pateret, alii aliis cumulatim superinciderunt, tanta vehementia, ut brevi, exitu omnino præcluso, nullus exire potens fuerit, portaque prorsus cadaveribus fuerit repleta. Itaque ferro civium relicti qui exire non poterant, coacti fuêre, aut statim perire, aut in fossas sese desuper ex mœnibus dejicere, quod fecere plurimi, imò & ipsi equites; usque adeo vicinos morti spes salutis roborat. Periêre infiniti, multi etiam qui capti, *Farnacquius* ** & alii præcipui. Fuit ex civibus inter primos qui armis contra Gallos egit, pistor quidam, qui dum nudus (ut eis moris) operi suo studet, audiens tumultum, accurrit ad ostium visum quidnam hoc sibi vellet. Intelligens arma undique sonare, hastam quam ad manus habebat arripuit, equitemque Gallum transcurrentem viriliter invasit, ac occidit, arreptoque gladio quem ille cinctum habebat ita nudus ut erat, equum conscendit, ac per plateas discurrens unumquemque ad fortiter pugnandum animans, idipsum tam animosé ipse præstitit, ut postea ex publico ærario annuo trecentorum florenorum reditu ad perpetuam rei memoriam donatus fuerit. Civis procul dubio omni laude ac gloria dignus, utpote qui haud secus ac si foret armatus & miles expertus, pro communi salute minimè recusavit vitam effundere. *Auraicus* cum urbe excederet *Andegavensis*, nescio qua de causa in urbe mansit. Hic autem videns rem perditam, statim cum suis Terremondam versus proficisci cœpit, in quo itinere multum etiam incommodi ac damni perpessus est. Cum enim fama Antverpiensis successus celeriter Mechliniam pervenisset, illi aggerem quemdam qui in via erat, discindi curarunt, unde magnus aquæ torrens, qui per eumdem aggerem refrænabatur, laxatis habenis, ita se undequaque effudit, ut proficiscentium Gallorum plurimi fuerint submersi, parumque abfuit quin & ipse Dux, atque omnis exercitus perirent. Quod secundum infortunium primo conjunctum fertur multa consumpsisse hominum 1583.

** *Vide Borrium lib.* 17. *fol.* 38. *vso. prim. edit.*

1583. minum millia. Tandem incolumis Terremondam ingressus multos ibi dies commoratus est.

XX. Interea *Parmensis* tam insignem occasionem minimè negligens, Antverpiensibus quibus potuit modis persuadere studuit, ut Gallis post tam evidentem perfidiæ experientiam valedicerent, potiusque cum Rege suo legitimo ac clementissimo in gratiam redire vellent; sed nihil profecit. Ex altera etiam parte, *Andegavensi* in tam adversa fortuna multa amicitiæ demonstratione occurrit, tentans, an induci posset deserere rebelles Regis cognati, eique reconciliari. Proposuit etiam Reginæ Matri Lutetiæ *Tassius*, sed nullo etiam successu. Quin & *Belleurius* in Belgium missus, qui Ducis amicitiam ac conjunctionem cum Rebellibus redintegraret, quod & postea effectum, remansit ibi *Bironius*, ut Ordinibus cum milite qui tantæ cladi supererat, auxilio esset. *Andegavensis* verò *Dunkerkam* se contulit ut valetudini vacaret. Cæterum *Parmensis* in munere suo bellico super modum semper sollicitus, paucis communicato consilio, ad expeditionem quamdam maximi momenti animum adjecit. Rebelles *Bironium* tormentis aliquot bellicis comitatum, in *Campiniam* misère, uti arcem *vane* * non longè distantem *Bergis op Zomam* in potestatem suam redigeret aliaque quæ posset loca acquirere ea in ditione tentaret. Hunc *Parmensis* est secutus, relictis interim passim per Hannoniam ac Arthesiam aliquot copiis, quibuscum *Mondragonius*, ac *Lamottius* certo die *Dunkerkam* obsidione cingerent. Præpararat hic diu ante *Gravelingæ*, quidquid tormentorum bellicorum, eorumdemque apparatus esset necessarium, nec non aliquot naves quibus statim post obsidionem præcludi posset portus, quo minus *Caleto Dunkerkam* auxilia mitti possent. *Parmensis* non prius *Bironium* assequi potuit, quam jam tormentorum vi, amissa arce *vane*; sed paulo post prope *Steenvicum* eumdem aggressus superavit ac in fugam vertit, occisis plus tribus millibus peditum, captisque triginta & sex vexillis, & ni *Bironius* in ipsis mœnibus civitatis, saluti suæ consuluisset, actum erat de toto exercitu, attamen ita eum labefactum ea clade reliquit, ut jam haudquaquam esset metuendus nec quidquam ulterius, quod alicujus esset momenti, tentare posset.

* Lege: Van Wou.

Parmensis Bironium profligat.

XXI. Itaque cum sciret quid *Mondragonius* ac *Lamottius* jam

jam etiam essent acturi, curam relinquens *Marchioni De Robaix* reducendi exercitum, ipse paucis equitum turmis comitatus, longis itineribus *Dunkerken* versus properavit, sed eam obsessam invenit, festinavit non minus in profectione Marchio: cumque adventasset, statim murus quati cœptus. Erat in oppido præsidio Dominus *De Chamois* una cum legione Gallorum. *Andegavensis* biduo tantum ante obsidionem *Caletum* navigarat, ac inde ad *Castellum Thyrry*, quod est in Briæ Provincia oppidum suum se contulit. *Dunkerka* post satis magnam muri ruinam in deditionem venit. *Parmensis* prudenter fortuna usus, è vestigio *Bergam Sancti Winocx* versus movit, eaque citra cunctationem deditâ, *Neoportum* (quod etiam se dedidit) similiter *Dixmuda*; deinde *Ypras* profectus est, quam castello opportuno in loco extructo, cui præficit *Dominum De Verp* † paulatim ad deditionem cogere decrevit, quod etiam paulo post successit. Regina Mater hoc anno insulam *Terzeram* multo muniit milite ex Gallia misso, curavitque pluribus in locis extrui castella, quo securius conservaretur.

1583. *Capit Dunckerkam, Neoportum, Ypras, &' Dixmudam.*

XXII. *Philippus* verò animadvertens illam diuturna sua abuti longanimitate ac patientia, multisque officiis sæpius per Legatum suum super eo adhibitis, nihil ambitionis, nihilque iræ contra se remittere, filiumque Regem quoad matris fratrisque machinationes, nil præter frivolas excusationes adferre, voluit & ipse secreto scrutari an tumultuum motuumque Galliæ suspicio, de qua rumor apud exteros, fundamenti quid haberet, ut ex eo quid ad defensionem ac conservationem sui ulterius esset agendum, melius colligeret. Agebat Rex vitam admodum mollem ac deliciosam, cupidissimus omnium eorum, quæcumque animo collibita essent, ærarii cumulator acerrimus ac ejusdem dispensator profusissimus, quin etiam afficiebatur erga quosdam, eosque non admodum præcipuos, amore tam vehementi, ut nihil ei magis esset curæ, quam eos ad summum authoritatis ac potentiæ gradum evehere, neglectis præcipuis Regni Regulis, unde tandem sibi odium conflavit apud multos, tantaque indigna-

Rex mittit secretò exploratum, quis animus esset Gallis.

tione

† *Antoine Grenet Seigr. de Werp, Grand Bailly de Courtrai.*

1583. *Vitia Regis Galliæ occasio rebellionis ac necis suæ.*

tione *Guisiana* familia exarsit, ut non immeritò à multis judicaretur, Reipublicæ certum brevi imminere periculum. Erant tres *Guisiani* fratres, *Henricus*, *Ludovicus*, & *Carolus* florenti ætate, ambitiosi ac vasti animi viri fortissimi, & quamvis medius eorum Cardinalis, non minus tamen quam reliqui gloriæ appetens, ac paternæ existimationis vindex religiosissimus. Accedebat ad hæc egregia corporis forma, mira ingenii dexteritas, fama ac peritia rei bellicæ, Ducibus *Guisiæ* ac *Mayennæ*; multis præliis, longoque armorum usu acquisita liberalitas, singularis rerum gerendarum sagacitas, maxima comitas, & ars ad captandam omnium benevolentiam, atque in Religionem Catholicam zelus ardentissimus. Huc accedebat quod pax per Regem cum Hæreticis inita, molestè omnino à Catholicis ferebatur. Erant præterea & alii plurimi, qui & ipsi impatientes, quod à Rege in honorum dignitatumque collatione negligerentur, & quorum ingenia inquieta (ut sunt plerumque in Gallia) à quiete abhorrebant, ita ut pars ambitione cæci, plurimi Religione, pauci essent inter Catholicos, qui à partibus horum Principum non starent, utque aliquid novi, armorum via tentare auderent, summopere non appeterent. Hæc quantum in se erat penetrare conabatur. *Tassius*; sed *Philippus* non solo eo contentus misit secretò, inscio *Tassio*, *Joannem Moreum* militiæ Melitanæ Divi *Joannis* equitem Arragonia oriundum, qui occultè & dissimulanter passim per Regnum se transferens, quoscumque posset conveniret, eorumdemque animos exploraret ac incenderet: uti effecit, totum annum ei negotio impendens non sine fructu, multi enim spe auxilii tanti Regis erecti, non jam, an eo inclinarent dubitabant, sed quomodo, quod sibi proponebatur, securè fieri posset secum agebant, ipseque Dux *Mayennæ*, cum in agro *Pictaviensi* quo à Rege erat missus, se contineret, cum *Moreo* tam serio egit, ut tandem ambo, atque aliquot etiam præcipui Catholici, Lutetiam sese contulerint, decreturi cum *Guisio* (ad cujus nutum omnes referebant) quid esset agendum. Sed quod ille rem adhuc præmaturam esse judicabat, nihil tunc temporis præter optima speique plena verba *Moreus* obtinuit. *Guisius* enim quamvis jam satis ad arma capescenda propter bonum publicum esset inclinatus, videbanturque excessus regii ac clamores

res populi, occasionis satis præbere, uti ruinis quæ erant 1583.
præ foribus tempestivè occurreretur, expedire tamen constituit aliquam occasionem exspectare, quæ tanto incœpto solidum præberet fundamentum, infamiæque notam domi forisque plene præcaveret. Præterea & hoc animo infixum habebat, nihil citra animi conscientiam atque inconsulto *Gregorio Decimo tertio* summo Pontifice, in Regem moliri, assiduè ea de re consultans cum Patre *Claudio*, aliisque viris doctis Societatis Jesu. Cumque nondum stabili satis videretur niti fundamento, accidit negotium in præsentia sopitum manere, ac silentio supprimi, *Moreumque* in Hispaniam ad instruendum plenè Regem, *Tassii* litteris eisdem de rebus scriptis comitatum reverti, quibus litteris apertè sic Regi significabat, non satis adhuc in *Guisio* esse materiæ ad constructionem tam vasti conceptus. Estque certum & illum & fratres, totamque eam familiam, aliosque complures, quamvis ambitione, indignatione ac rerum novarum desiderio summopere flagrarent, sese tamen moturos non fuisse, nec ad illud extremum quo postea ventum, umquam progressuros, ni tempus accidentia quædam nova ad rem facientia (de quibus suo loco agetur) secum attulisset.

XXIII. *Auraicus* post rem à Gallis malè gestam, ac *Andegavensis* discessum, arcem * interius civitatem versus demolitam ad sui majorem securitatem & authoritatem reædificare tentavit, sed populus tam obstinate restitit, tantaque violentia sese opposuit, ut ab eo proposito desistens *Delphium* se conferre decreverit, atque ibi sedem figere, misso *Aldegundio* Antverpiam, ut civitati præesset, eamque gubernaret. Erat *Delphium* ex præcipuis Hollandiæ mediterranea civitas, ad quam nullus exteris patebat aditus, nisi prius alias pertransissent, ubi exactè cognitis & exploratis advenis, credebat fore neminem ullatenus posse ad se penetrare, qui sibi esset metuendus, longe tamen aliter accidit, ut infra dicetur.

* *Antverpianam.*

XXIV. *Philippus* etiam hoc anno misit *Marchionem Sanctæ Crucis* cum pluribus navibus rostratis, bis senis triremibus, ac copioso militum numero, ad Gallos *Tercera* ejiciendos; quod tam fortiter ille aggressus est, ut voto potitus, victis hostibus ac nonnullis supremo supplicio affectis, tamquam pacis publicæ infractoribus, Insulam in Regis potestatem redege-

Marchio S. Crucis Terceram intercipit.

1583. degerit, quam ante discessum tanto præsidio muniit, ut imposterum omnem prorsus spem eam amplius invadendi Regina Mater abjecerit.

XXV. Mense Octobri *Parmensis* Castellum *Saz* vulgo dictum, haud procul *Gandavo* ad mare situm recuperavit, ac postea ditionem *Vaes* ibi vicinam egregia *Servasii Steinlandt* * viri nobilis, qui erat ejusdem Provinciæ *Ballius*, opera adjutus occupavit. Recuperavit etiam sequenti mense

1584. Februarii octuagesimi quarti *Alostum*, secreta Anglorum opera, nec non *Brugas* conventione in suam potestatem redegit, idque hoc modo: Dux *Arschotanus* cum jam prorsus dissoluta pacis *Coloniensis* tractatione *Leodium* venisset, ut inde sese ad Regias partes transferret, invenit ibi viduam Comitis *De Megem* qui nuper *Namurci* discesserat **, hæredem multarum ditionum quondam patrui sui Comitis *De Meghem* ex *Brimenio* † illustri stemmate, cumque illa agere cœpit, uti cum filio unico quem habebat, nuberet: ac tandem plus divitiis, quam aliis melioribus, utilioribusque considerationibus tribuens, eos matrimonio jungi curavit. Erat mulier acri ingenio, & quamvis adhuc satis juvenis, valetudine tamen non utebatur prospera, eratque ei animus secreto imbutus hæresi, quod dissimulanter valde celabat. Itaque maritum adolescentem paulatim in suam sententiam pertraxit, atque haud diu post inopinatè ambo ex *Chimaia* ‡ ubi agebant, in Hollandiam quanta potuere celeritate insciis parentibus profecti sunt, seseque cum Hæreticis contra Regem conjunxêre. Erat illi titulus *Principis De Chimay*, cumque esset ex primariis, data ei Flandriæ Præfectura, quam per aliquod tempus administravit. Sed tandem minister, qui ei in exercitio Religionis inserviebat, cognito errore pœnitentia ductus, persuadere cœpit, uti ad gremium ecclesiæ ac Regis debitam obedientiam redirent. Assensit Princeps, atque à *Parmensi* impetravit, ut præteriti erroris ac culpæ memoria abolita Regi conciliaretur, utque Regem strictius obligaret, ita cum civitate *Brugensi* egit, ut & illa pacis conditionibus ad voluntatem obtentis, una cum Præfecto ad partes regias se contulerit.

Parmensis certis conditionibus capit Brugas, Alostum, Gandavum & Sas van Ghent.

† *Brimen*

‡ *Chimay.*

Expe-

* *Servaes van Steelandt Bailliu van den Lande van Waes.*
** *Lege*: decesserat.

Expetebat Princeps, ut Brugarum exemplo, *Esclusa* etiam Regem agnosceret, sed obstitit uxor, quæ tanta pertinacia professioni suæ hæreticæ adhæsit, ut derelicto marito, manere apud Hollandos quam eumdem sequi maluerit. Præbuit se Princeps post reditum semper omnino Catholicum ac Regem suum debita fidelitate ac obsequio prosecutus est, prosequiturque hactenus, uti écontra etiam Rex eumdem multis honoribus ac beneficiis decoravit. *Parmensis* recepta *vacensi* * ditione ad majora illa properans, misit *Mondragonium*, qui castellum *Lyllo* à parte Brabantiæ ad ripam Schaldis situm, ab hoste possessum caperet, sed non successit. Eumdem tamen iis in locis manere jussit, eodemque tempore *Parmensis Marchioni De Robaix* aliud castellum oppugnare jusserat, quod hostes in ipso aggere ad partem Flandriæ è regione castelli *Lyllo*, *Liefkensboeck* vulgo dictum, extruxerant, quod successit feliciter : ac exinde summa se cura accinxit ad pontem in Schaldi construendum, quo tandem *Antverpia* subjugaretur. Erat res plena difficultatum, multorumque judico impossibilis, indefesso tamen Præfecti labore & constantia militumque virtute bene successit, ut suo loco dicetur. Cæterum dum præparantur quæ ad tam arduam expeditionem erant necessaria, *Terramundam* * civitatem non longè dissitam inde, natura & arte satis munitam oppugnavit. Restitêre qui intus erant per aliquot dies, sed tandem *Parmensi* sese dedere coacti. Periêre in ea obsidione sclopeto icti *Petrus De Paez* Hispanorum Præfectus, & *Petrus Tassius*, totius exercitus tunc temporis quæstor supremus (Hispanis *Veedor general*) fortes ambo viri, scientiaque militari clari. Cæpit etiam *Vilvordam*, pauloque post *Gandavum*, quibus successibus cum satis latum acquisivisset agrum, unde aleretur exercitus, ad pontem locatus, aliaque quæ essent necessaria provideri possent, secunda Novembris pontem construere cœpit.

1584.

* *Lege:* Waesiensi.

* *Lege:* Teneramundam.

Parmensis Teneramundam, ac Gandavum capit.

XXVI. Acciderat mense præcedenti occidi *Auraicum* in azylo illo quod suæ securitati elegerat: ita nullus umquam mortalium horam fatalem à Deo constitutam effugere potuit. *Balthasar Gerardi* Burgundio, pago *Villafan* oriundus, proscriptione anno octuagesimo contra *Auriacum Maestrichti* publicatâ, executionem proscriptionis tentare, firmiter secum sta-

Trucidatio Auriaci in loco quem sibi securitatis ergo elegerat.

1584. ſtatuit, eumque in finem in Hollandiam profectus, tanta arte ac ſagacitate uſus eſt, ut *Delphii* citra omnem ſuſpicionem non ſolum fuerit admiſſus, ſed ita paulatim *Auraici* gratiam adeptus, ut ab eo tamquam ex fidis ſuis in Galliam ad *Andegavenſem* ob quædam ſeria ſua negotia mitteretur. Unde reverſus, inveniens *Auraicum* decima Julii anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto à prandio tranſeuntem ex uno cubiculo in alterum, tam diſſimulanter ſclopetum binis globulis armatum corpori ejus adactum diſploſit, ut moribundus conciderit, ſubitoque expirarit. Succeſſerat præterea poſt facinus perpetratum tuto eum domo exire ac mœnia attingere, ſed tanta erat multitudo proſequentium, ut non fuerit potens ultra progredi, ac fuga ſalutem quærere. Cumque apprehenderetur, non magis ſe commovit quam ſi nihil deliquiſſet, ductus poſtea ad ſupplicium, quod diverſis ac exquiſitis modis, immanique ac barbara crudelitate per complures dies (quo tarditate cruciatus augeretur) de eo fuit ſumptum, tanta animi quiete & conſtantia, vultus ſerenitate, ergaque Deum affectu ad finem uſque populo ſeſe ſpectandum præbuit, ut ipſoſmet executores, totamque turbam ac multitudinem circumſtantium hæreticorum, in ſummam admirationem ac ſtuporem conjecerit.

* Chateau-Thierry.

Obitus Ducis Andegavenſis, unde regni hæres ſit Princeps Benearnus hæreticus. Hinc excitatus Guiſius, ortumque civile bellum in Francia.

XXVII. Acciderat præterea antea alius caſus, quem conſultò tardius pono, ut deinceps ſine interruptione præcipuam hujus libri materiam enarrem. Obiit *Caſtro Tyri* * Dux *Andegavenſis* decima Junii, fuitque mors illa unum ex accidentibus, quæ *Guiſium* extra metam quietis trahere poterant. Erat enim ob eandem mortem *Henricus*, *Navarræ* Rex hæreticus, primus Princeps Galliæ, ac Regni hæres neceſſarius, ſi Regem abſque liberis decedere contingeret, quorum nulla jam erat ſpes, nec etiam ob enervatas corporis vires longevæ vitæ indicia. Et quamvis aliter evenire poſſet, ſummi tamen exiſtimabatur apud *Guiſios* & plurimos Catholicos periculi, quod ſucceſſio illa jam ad hæreticum legitimo titulo eſſet devoluta. Eſtque adeo tritum omni ore proverbium, *magis adorari Solem orientem quam occidentem*, ut non dubitaretur, quin ſi *Navarrus* aliquanto tempore pacifice uti poſſet prærogativa illa quam morte *Andegavenſis* acquiſierat, tantum Catholicorum numerum ad ſe eſſe attracturum, ac in tantum ſpem

ſpem ac jus ſucceſſionis corroboraturum, ut adveniente Regis morte, nulla ſufficiens opponi poſſet contradictio, quo minus, quamvis invitis quam plurimis, ad Regnum admitteretur. Quod cum à *Guiſiis*, aliiſque Catholicis exactè ponderaretur, neceſſarium ipſis viſum, & legitimè debere judicatum fuit, tam evidenti Religionis periculo quoquo modo tempeſtivè occurri. Unde tumultus, qui ante hanc oblatam occaſionem, nullo alio niti potuiſſent fundamento, quàm Regis immoderatis exceſſibus, eoque ſolo, juſtitiæ ſatis ad evitandum rebellionis notam (quam abhorrebat *Guiſius*) habituri non fuiſſent. Hoc ille nactus Religionis fundamentum, ad cujus conſervationem nihil eſſe credebat quod moliri non liceret, animum ejuſdem ad arripienda arma componere cœpit. Acceſſit denique ad hoc, quod Rex, qui nihil magis appetebat quam citra omne obſtaculum in deliciis agere, videns jam neceſſario ſibi fore hæredem ſupremum Hugonottorum Ducem, qui eoſdem in quavis occaſione ad quidvis tentandum paratos habebat, metuens ne tandem nactus prærogativam, novi aliquid armorum via, quod regni quietem turbaret, moliretur, uti multoties fecerat, magnifica legatione ac magnæ amicitiæ, lætitiæque demonſtratione ob tantæ ſucceſſionis jus ad eum devolutum, obviam ei ire ac congratulari decreverit, ut ſic ſi forſitan turbidum quid ac hoſtile animo volutare cœpiſſet, deponeret, ſecumque mutuo amicitiæ firmique fœderis vinculo (ut decebat) connecteretur. Deſtinatus ad hanc legationem *Dux Eſpernonius* unus ex intimis illis ab Rege nuper in altum evectus, qui maximo nobilium comitatu ſumptuque ſplendidiſſimo ad *Navarrum* venit, Cujus legationis vix fama eſt divulgata, cùm ſubito à *Guiſiis*, illiſque qui Religionis periculo, etiamſi forſitan remoto, occurſum volebant, judicatum fuit, Regem certò decreviſſe, *Navarrum* tamquam hæredem colere, eique tempeſtivé viam quietæ ſucceſſionis præparare: quod demum Guiſii animum prorſus ad arma ſumenda, ad Religionis Regnique incommoda ac pericula præcavenda, accendit. Itaque exinde nihil niſi de viis modiſque cogitatum, ac tandem expedire viſum, certis conditionibus fœdus cum *Philippo* inire, in eum finem, ut *Navarrus* jam tum impediretur, ne aliquando contingeret Hæreticum Regno Galliæ potiri, tan-

1584.

Rex Franciæ metuens ne Princeps Benearnus, regni ſucceſſor & hæreticorum caput, aliquid novi vi armorum moliretur, ei uti hæredi legationem mittit. Econtra Catholici binc turbati, ſtatuunt ſe unire. Regi Hiſpaniarum.

 taque

1584. taque potentia cæteris Catholicis Provinciis, vel potius toti orbi Christiano sese metuendum reddere. *Philippus* cui justæ causæ non deerant, ob injurias ac invasiones Galliæ (cum contra ad conservationem beneficiumque Gallici imperii ipse Regem auxiliis juvisset) contra se tentatas, uti supra dictum, quidvis contra eum machinandi * haud etiam ignarus, quod Regina Mater statim post obitum filii, palam sibi *Cameracum* vindicasset, ipsosque Belgii rebelles fovere non desisteret, unde majora oriri potuissent incommoda, nisi illis tempestivé occurreretur: quin etiam considerans, ea quæ proponebantur, bonum publicum Religionis concernere, consultiusque ducens, siquidem bellum gerendum esset, illud in Galliæ visceribus, quam in suis Regnis geri, *Guisiis*, aliisque Gallis Catholicis, qui ab eorum partibus stabant, associare se ac conjungere decrevit, pollicitusque mittere quo vellent, qui cum ipsis suo nomine ea de re convenirent, *Guisius* cum fratre *De Mayne*, cum jam plané eo animum induxissent, prætextu negotiorum privatorum *Jenuilam* (quæ est *Guisii* ad fines Lotharingiæ in *Campania* oppidum) sese contulêre, ibi quem *Philippus* mitteret exspectaturi. Nec diu moram traxêre quin adventaret *Moreus*, nuntiatum eo venturum *Bernardinum De Mendoca* aut *Tassium*. Ille per aliquot tempus legati Hispaniarum munus apud Reginam *Angliæ* obierat, sed postea ipsa æstate, nescio qua de causa, à Regina intra dies quindecim Regno excedere jussus. Itaque profectus *Tornacum* ad *Parmensem*, paucosque ibi dies moratus, relicta *Gravelingæ* familia, cum paucis *Lutetiam Parisiorum* profectus est, eo prætextu publico, quod vellet ibi mandata *Philippi* super discessu suo ex Anglia, opportunius expectare. Postea tamen satis apparuit longe aliam ejus adventum habuisse causam; affectabat enim legationem Galliæ, neque id tam occulté, quin *Tornaci Parmensis*, animum ejus intellexit; ut nec postea ipsimet ejus famuli id celare potuêre, cum apud *Tassium* diverteretur, qui eum simul atque advenerat, domum suam deduxerat, perque totas sex hebdomadas, quo poterat honore ac munificentia tractarat. Cæterum media quibus utebatur, erant Reginam Matrem & *Guisium* separatim sæpius convenire, amborumque benevolentiam multis promissis ad illius hujusque institutum servientibus, captare, qua tandem in-

* *Nulla hic perspicuitas, sed ita in ms.*

industria eo res evasit, ut inter se convenerint, uti *Bernardinus* per celeres equos (vulgo postam) quam posset celerrimé *Philippum* versus proficisceretur, ac quo securius id fieri posset, daret Regina cursorem regium, qui ad fines Galliæ usque *Bernardinum* comitaretur, prout fecit. Itaque cum ad *Philippum* venisset, facile ei ejusque ministris persuasit, neminem melius se, quidquid utrimque agendum foret, ad optatum finem perducere posse. *Tassius* cognita mente *Bernardini*, ut Regi de ea quoque innotesceret tempestivé curarat. Præterea cum jam annos quatuor eam legationem sine Legati titulo obiisset, eum sibi dari per litteras sollicitarat, addita hac conditione, quandò id fieri nequiret, malle potius â Legatione summoveri, quam diutius inservire: quâ utentes occasione complures qui *Bernardino* summopere favebant, facile ejusdem cœpta duxère quo expetebat. Quocirca è vestigio per celeres equos in Galliam est remissus, *Tassioque* mandatum, domo sua ut ante illum exciperet. Reginæ Matri nil afferebat præter speciosa, bonamque spem præ se ferentia verba, quibus cum bene animum mulieris demulsisset, finxit necesse sibi esse, ob privatum quoddam Flandricum negotium, in Belgium quam celerrimè se transferre, verum brevi rediturum, habebatque in mandatis, cùm Belgium attigisset, quam simulanter posset *Jenuilam** contendere, atque inde confecto cum *Guisiis* tractatu fœderis, Lutetiam reverti ac legationem Gallicam administrare. Sed accidit cum jam esset in itinere, *Moreum* missum à *Guisianis* ex *Jenuila* ad *Philippum*, eo adventare paulo post discessum *Bernardini*, qui cum statim à Rege interrogaretur quemnam revera *Guisiänis* magis gratum ad fœderis hujus tractatum bene conficiendum crederet futurum, ipseque dixisset *Tassium*, continuo id Regis propositum immutatum jussumque *Bernardino* tradere *Tassio* scripta monimenta, quæ eum in finem secum ex Hispania attulerat, *Tassio* verò uti ea ab ipso acciperet, ac quam citissimè posset Regibus valediceret, ac *Barnardino* legationem traderet, (uti moris quando legati mutantur) ac *Jenuilam* se transferret, eamque Provinciam in se susciperet quæ *Bernardino* commissa fuerat. Utque non ingratè videretur actum cum *Tassio* (cujus singularem fuisse in in ea legatione operam *Philippus* satis expertus fuerat) creavit eum quæstorem generalem

1584.

* *Lege*: Joinvillam. Joinville *petite ville de France en Champagne, avec titre de Principauté.*

1584. ralem Flandrici exercitus (vulgo *Veedor General*) & commendam ampliorem ea quam habebat. Quâ munificentia, etiamsi longè majora ab Rege sibi deberi intelligeret, jussis parens, tandem Lutetiam reliquit sexta Decembris octuagesimi quarti, atque ad arcem *Samson*, quæ prope *Namurcum* sita est, se transtulit, ac inde statim post festum nativitatis Christi *Bastonium* est profectus, ibi exspectans *Moreum* ut erat conventum, qui ubi advenit, simul *Jenuilam* profecti sunt, ubi quod sequitur confectum est fœdus decima sexta die Januarii, octuagesimi quinti, etiamsi instrumentum Calendis ipsis afferat confectum.

XXVIII. Adstrinxêre sese præterea *Guisius* ac Dux *Maynius* peculiari scripto *Antonium* duci curaturos aliquem in locum Regii Dominii, atque ibi tradituros cui *Philippus* vellet, dummodo promitteret *Tassius*, nihil in ejus vitam, vel à Rege vel alio quoquam Regis nomine, intentatum iri. Cardinalis etiam *Borbonius* suo confœderatorumque omnium nomine gratitudinis ergo, scripto alio particulari pollicitus est, quantum in se esset effecturum, uti *Philippus* potiretur iis regionibus quæ sub Regis *Navarræ* erant imperio non subditæ Galliæ regno, prout tenebat reliquam *Navarræ* partem; & si eas armis vellet occupare, ipsi auxilio futurum quibuscumque posset viis ac modis; quæ duo peculiaria instrumenta, ut nihil lectorem lateat, hîc subjiciuntur.

Instrumentum Unionis.

Transsumptum Instrumenti fœderis Catholicorum Franciæ cum Rege Hispaniarum.

„ XXIX. IN nomine Domini Omnipotentis omnibus præ-
„ sentes litteras inspecturis. Cum nihil sit in hoc
„ orbis Christiani theatro quod magis devinciat Reges, Prin-
„ cipes, atque omnes Christianam Religionem profitentes,
„ ac ea quæ spectant & pertinent ad Dei cultum, atque tuitio-
„ nem, ac conservationem divinæ Legis, sectæque ac Hæ-
„ reses à multis jam annis per Christianum orbem dispersæ,
„ tantum incrementum fecerint, ut maxima ejus pars vitium
„ contraxerit, ac penitus sit infecta, adeo ut in plurimis
„ præcipuisque ejus Provinciis ac Regionibus videre sit Re-
„ ligionem Catholicam Apostolicam & Romanam summopere
„ esse afflictam, hæreticosque omni vi moliri, illam prorsus
„ ex-

„ extirpare atque exſcindere; cumque authores atque mini- 1584.
„ ſtri earumdem ſectarum atque hæreſeon noctesque dieſque
„ advigilent, quibuſcumque poſſent artibus ac modis tam
„ clandeſtinis quam publicis trahere in eamdem perniciem,
„ quod adhuc (divina gratia) ſanum atque integrum eſt,
„ cumque inter Principes Chriſtianos, dicti ſectarii atque
„ hæretici, debeant haberi atque tractari tamquam commu-
„ nes Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes, ex parte tamen Galliæ,
„ Galliſque quibuſdam iidem auxiliis, ſtipendiis, penſioni-
„ buſque adjuti fuerint, atque adhuc adjuventur in inferiori
„ Germania, ut à Maximo, Excellentiſſimo atque Potentiſſi-
„ mo Principe ac Rege Catholico eorum Domino caſtigari
„ pro eorum meritis ad officiumque reduci nequiverint. Qua-
„ rum rerum cauſam infraſcripti Catholici dictæ Galliæ eſſe
„ aſſerunt, mala perverſaque conſilia quorumdam hominum,
„ privata potius ſua commoda quam Dei honorem, Regis
„ obſequium communiſque patriæ ſalutem quærentium; eoſ-
„ que conſtet in eo propoſito adhuc perſeverare atque per-
„ ſiſtere in præſentia, magiſque quam antehac exhortationi-
„ bus pollicitationibuſque accendere, quibus eos magis ob-
„ ſtinatos ac pertinaces reddant in eorum perverſa ſenten-
„ tia, adeo ut Catholici Regni Galli querantur de impor-
„ tunitate blaſphemiæ (quam nominant libertatem conſcien-
„ tiæ) ipſis conceſſa. Aliaque ex parte urbes, oppida, caſtella,
„ ſuas domos, familias, atque adeo totas Provincias populoſ-
„ que expoſitos eſſe libidini, dominationique Hæreticorum,
„ quam ob cauſam præterquam quod reditus Galliæ hoc
„ modo diſſipantur atque exhauriuntur, tot hæreticis extruun-
„ tur caſtra ac propugnacula, quibus facilius Catholicis
„ noceant, incommodentque. Et quamvis hiſce de rebus
„ multoties conqueſtum fuit apud Maximum, Excellentiſſi-
„ mum, Potentiſſimumque Regem ac Principem Chriſtianiſ-
„ ſimum Dominum eorum, tum in conventibus Statuum
„ Generalium, tum per humiles libellos ſupplices, ac com-
„ motiones * plurimorum Principum, aliorumque virorum
„ ſummæ fidei atque authoritatis, ea tamen omnia nec ad-
„ miſſa nec exaudita fuêre, artificiis hominum nimis aman-
„ tium ſui commodi, uti ſupra dictum; idque in articulo
„ ſummi diſcriminis. Namque poſt obitum Illuſtriſſimi Prin-

„ cipis

* *Lego*: commonitiones.

1584. „ cipis ac Domini *Ducis Andegavensis*, Princeps Regii sanguinis, qui omni tempore etiamque in præsens est caput Hæreticorum, sumitque sibi primum gradum successionis Regni Galliæ, novo jurejurando juravit & confirmavit, sese fore assertorem, protectoremque Hereticorum, non obstante tam certo præsentique periculo, jam pridem illi plurimarum urbium, oppidorumque inaugurationes sunt concessæ, quæ injustè possidet: haud secus ac si studio dataque opera reservandus, destinandusque sit hostili illo animo in veram religionem successioni Regni Galliæ, si sine prole mascula Regem Christianissimum discedere contingat, quo paulatim haud dubium Ecclesiæ Dei præparatur excidium. Et quamvis sit in ejus divina manu, dare Regi Christianissimo prolem, quandocumque ipsi visum fuerit, credibile tamen etiam est eum posse decedere sine ea, & tum sero cogitandum esset de remediis quæ adhibenda forent certissimis periculis quæ præsens rerum status minatur, non Galliæ tantum, verum etiam universo orbi Christiano, quod jam nunc omnibus manifestum esse incipit hasce ob causas:

„ Nos PHILIPPUS Divina gratia secundus hujus nominis Rex Castellæ, Leonis, Arragoniæ, Portugalliæ, Navarræ, Neapolis, Siciliæ, Hierosolymæ, Majoricæ, Sardiniæ, Insularum Indiæ, ac terræ continentis maris Oceani &c, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ; Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Geldriæ, Mediolani, & Comes Habsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Palatinatus, & Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sancti Imperii, Dominus Frisiæ, Salinæ, Mechliniæ, civitatis oppidi & territorii Ultrajectensis, Transinsulanæ & Groeningæ, & Dominator in Asia & Africa &c. cupientes quantum in nobis est, summo præsentique Religionis Catholicæ periculo subvenire. Et nos *Carolus* Cardinalis Barboniæ, primus Princeps Regii sanguinis in Gallia, legatus Sacrosanctæ sedis Apostolicæ in Comitatu Avenionensi, Primarius Normanniæ, Archi-episcopus Rotomagensis &c. considerantes quam arcto vinculo devincti simus, primus Princeps Regii sanguinis, legitimusque successor Regni Galliæ cupimus occurrere, nosque opponere periculis af-

„ flictæ

„ flictæ Religionis, ac manifesto instantique dicti Regni ex- 1584.
„ cidio; *Ludovicus* Cardinalis Guisiæ, Archiepiscopus & Dux
„ Rhemensis, Primus Par Galliæ; *Henricus* Lotharingus
„ Dux Guisiæ & Chevreuse, Dominus Castelli Regnault ac
„ territorii, ultra citraque flumen Mosam inde dependentis,
„ Princeps Jonvilæ, Comes D'Eu, Baro de Lambesk, Orgon,
„ & Esgarliers, Par & Magnus Magister Galliæ: Guber-
„ nator & Præfectus Generalis Regis Christianissimi Provin-
„ ciarum Campaniæ & Briæ; *Carolus* Lotharingus Dux
„ Mayenne, Par Magnusque Cubicularius Galliæ; Guberna-
„ tor ac Præfectus Generalis Majestatis Christianissimæ, Pro-
„ vinciæ, Ducatusque Burgundiæ; *Carolus* Lotharingus, Dux
„ Aumalæ, Par, Magnusque Venator Galliæ; *Carolus* Lotha-
„ ringus, Dux D'Elbeuff, Par idem, permoti zelo Reli-
„ gionis Catholicæ, uti Principes Christianos decet, haud
„ detrectantes adesse saluti communis Patriæ tamquam præ-
„ cipua ejusdem membra, præsertim in tam extrema atque
„ insigni necessitate, ubi agitur de honore cultuque Dei, con-
„ servatione suæ Ecclesiæ, ac populi sui salute, cum nostræ
„ preces atque admonitiones toties repetitæ nil profecerint,
„ omnes unanimiter impulsi puro ac vero gloriæ ac honoris
„ stimulo, atque implorantes pro felici successu tam sancti
„ cœpti Sacrosanctæ Deiparæ Virginis omniumque Sancto-
„ rum suffragia, unanimi consensu tractavimus, conclusi-
„ mus, ac statuimus, tractamus, concludimus, statuimusque
„ hisce præsentibus, unionem ac fœdus offensivum ac de-
„ fensivum, perpetuumque semper duraturum nobis nostris-
„ que successoribus, ad tuitionem tantummodo ac conser-
„ vantiam Religionis Catholicæ & Apostolicæ Romanæ, ejus-
„ que instaurationem, omniumque sectarum atque hæresum
„ totius Galliæ, inferiorisque Germaniæ extirpationem,
„ idque legibus ac conditionibus subsequentibus.

„ XXX. Primùm dicti Principes fœderati curabunt nomi-
„ nari successorem Regni Galliæ supranominatum Cardina-
„ lem *Borboniæ*, uti si Rex Christianissimus discesserit sine
„ legitima prole mascula, ipse constituatur Rex legitimus
„ Regni Galliæ, tamquam Princeps Catholicus, primus ex
„ sanguine Regio, cui competit jure ista successio: exclusis
„ in perpetuum omnibus Principibus Regii sanguinis in præ-

1584. „ sentia hæreticis atque relapsis, ex cæteris autem Principi-
„ bus ejusdem Domus, iis tantum quos manifeste ac palam
„ constat esse hæreticos: aliis non item, ita ut nulli hæretico
„ fas sit regnare, neve fas sit, qui Regio sceptro potietur,
„ publicam hæreticis impunitatem concedere, quibus Prin-
„ cipibus hæreticis ad Regnum aspirantibus, omnibusque
„ eorum machinationibus, omnibus viribus, quantumque
„ in ipsis erit, atque etiam armis si opus fuerit, sese op-
„ ponent. Et si contigerit Regem Christianissimum jam re-
„ gnantem (quod Deus avertat, eumque conservet) dece-
„ dere, dictusque Dominus Cardinalis *Borboniæ* Galliæ Re-
„ gnum adeptus fuerit, renovandus, confirmandusque erit
„ inter dictum Regem Catholicum, dictumque Dominum
„ Cardinalem, aut inter eorum successores respectivè causa
„ mortis, tractatus pacis ultimæ inter ambo regna initæ anno
„ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in *Castello*
„ *Cambrecino* *, uti ea pax tanto sit firmior ac diuturnior.

* Chateau-Cambresis.

„ XXXI. Exterminabuntur publicis edictis aliisque qui-
„ buscumque modis toto Regno Galliæ, nullo ejus angulo
„ excepto, omnia sectarum atque hæresium exercitia, nulla-
„ que alia præterquam veræ Religionis Catholicæ Aposto-
„ licæ & Romanæ permittenda. Nullæ civitates oppidave hæ-
„ reticorum fidei, sectariorumque committenda: quique
„ eorum (*non*) voluerint resipiscere, seseque obedientiæ
„ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ submittere,
„ omni rigore persequendi ac prorsus è medio tollendi sunt.

„ XXXII. Utque sancta Religio ab omni oppressione as-
„ servetur ac vindicetur, non solum quod ad hæreses, verùm
„ etiam ad abusus & malos mores attinet, prædicti Princi-
„ pes Galliæ fœderati, juxta desiderium quod eos jam du-
„ dum sollicitos habet, humilesque preces quas sæpissimè
„ Regi Christianissimo obtulêre, inviolatè curabunt observari
„ sanctas Constitutiones Canonesque decretos à Sancto Con-
„ cilio œcumenico & generali Tridentino.

„ XXXIII. Renuntiabunt prorsus dictus D. Cardinalis aut
„ ejus successor, atque etiam Principes fœderati, amicitiis
„ fœderibusque initis atque contractis cum Turca, neque
„ posthac poterunt cum eo ejusque successoribus inire alia
„ fœdera aut commercia in præjudicium vel tantillum Reli-
„ gionis

„ gloriæ Christianæ, quod similiter se facturum spondet Rex 1584.
„ Catholicus. Cessabunt statim omnia latrocinia, pyratica, maritimæque rapinæ, omnesque aliæ navigationes illicitæ, Indiam, Insulasque versus, sub ea comprehensas quæ sunt domini Regis Catholici, quæ navigationes posthac non sunt permittendæ.

„ XXXIV. Rex Catholicus, etiamsi sentiat se maximopere gravari infinitis sumptibus atque expensis, quos continuis gravissimisque bellis Germaniæ inferioris impendit contra hæreticos, sufficiet tamen dictis Principibus Gallis fœderatis quoad necessaria erunt arma ad restaurationem Religionis Catholicæ in Gallia, aut ad occurendum cœptis machinationibusque Gallorum, in gratiam ac favorem sectariorum, hæreticorumque Germaniæ inferioris, quinquaginta millia aureorum Italicorum in singulos menses impendenda dispensandaque in subsidia belli, quod belli ordinarium subsidium numerabitur, ubi palam ad arma ventum fuerit.

„ XXXV. Sed quia necessarium valde est, ut tam sanctum propositum cœptumque felicem exitum sortiatur, tanti belli principia magnis viribus, copiisque fulciri, Rex Catholicus ordinariam anni primi summam sexcentorum millium aureorum primis sex mensibus spondet daturum, qui incipient à crastino die ipsis calendis Januarii anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, idque duobus terminis, quorum prior ultima die Martii, millesimi, quingentesimi octuagesimi quinti, alter ultima Junii insequentis.

„ XXXVI. Utque cæteris mensibus deinde sequentibus non desint facultates prosequendi cursum tam sancti propositi, promittit addicitque illis sub finem illorum mensium, videlicet anni millesimi, quingentesimi, octuagesimi quinti, altera quadraginta aureorum millia Italicorum in sumptus secundi anni.

„ XXXVII. Efficietque ut Dominus *Dux Lotharingus* illis promittat asseveretque hanc ultimam summam quadringentorum millium aureorum præscripto tempore haud dubiè solutum iri. Et si bellum protrahatur ultra prædictum annum proximum, idem Rex Catholicus similiter dictis

1584. „ Principibus Gallis fœderatis alia quadringenta aureorum „ millia addicit in ſumptus ordinarios anni tertii.

„ XXXVIII. Ceſſabit prædictum ſubſidium quinquaginta „ millium aureorum Italicorum in ſingulos menſes, ubi dicti „ Principes fœderati Galli ceſſabunt à bello, & ſi Deo viſum „ fuerit, redigi res Gallicas in eum ſtatum, ut earum exitus „ felix, conſumptionem, diſpenſationem nummorum ſupra- „ dictorum antevertat; Regi Catholico tum licitum erit, „ quod nummorum ſupererit retinere, ea tamen conditione, „ ut debita contracta causâ belli, ſtipendiaque militum ex- „ traneorum prius exſolvantur.

„ XXXIX. Cumque iniquum ſit eos, qui tam dignè tan- „ tiſque ſumptibus omnia ſua ſtudia conferunt ad propaga- „ tionem honoris divini ſanctæque Religionis (uti Rex „ Catholicus) exui atque ſpoliari bonis ſuis ac poſſeſſioni- „ bus, quæ juſto titulo poſſederunt ante & poſt tractatum „ Pacis in *Caſtello Cambreſino* inter ambo regna initæ; ſu- „ pradicti Principes Galli fœderati curabunt ei reddi reſti- „ tuique, quam citiſſimè fieri poterit, urbem *Cameracum* „ cum *Caſtello*, integram ac communitam uti erat antequam „ occuparetur. Et ſi quid importatum fuerit poſt urbem „ occupatam commeatuum, munitionum, tormentorumve „ bellicorum, quod numerum excedat eorum quæ ante „ captam urbem ibi reperta fuêre, licitum erit prædictis „ Principibus Gallis fœderatis ea exportare atque auferre „ quo velint. Et quando Rex Catholicus eam urbem ca- „ ſtellumque urbis armis volet recuperare, ſupradicti Princi- „ pes fœderati promittunt ſeſe ei laturos quæcumque pot- „ erunt auxilia, tam rerum bellicarum quam munitionum ac „ commeatus, ſeſe armis occurſuros omnibus & quibuſcum- „ que exercitibus Gallicis ductis ducendiſque, qui ex Gallia „ proficiſcentur, Regemque Catholicum bello infeſtare „ volent, eamdemque operam præſtabunt, quantum ad alias „ omnes Provincias, urbes, oppidaque attinet, quæ ſupra- „ dicti hæretici Inferioris Germaniæ antehac & in præ- „ ſentia dedidêre, aut poſthac dedituri ſunt in poteſtatem „ Gallorum, aut illa capturi aut occupaturi ſunt in gra- „ tiam & favorem hæreticorum hujuſque fœderis cauſa,

„ quæ

„ quæ omnia similiter reddi restituique curabunt Regi Catholico, quam citissime fieri poterit. Insuper impedient quantum in ipsis erit omnia commercia negotiationesque Gallorum cum supradictis hæreticis Germaniæ inferioris, omnia item commoda ac subsidia, quæ ipsis queant suppediari. Denique quidquid generaliter in Galliis, in eorum rem ac emolumentum excogitari fierique queat, quod supradicti Principes Galli fœderati sese facturos, executuros atque ad finem perducturos sancté pollicentur, seseque nullo tempore huic promisso contraventuros, nullaque juris exceptione, aliave defensione contra hæc usuros. Et si ante harum rerum restitutionem, supradictus Cardinalis *Borboniæ*, ejusque successor, hoc regno potitus fuerit, tum statim, nulla interposita mora, fient supradictæ restitutiones. Et si ope auxiliisque supradictorum fœderatorum Galliæ Principum contigerit, quædam solummodo ex supradictis oppidis dicto Regi Catholico reddi restituique, in gratiam dictorum Principum, ignoscet omnibus habitantibus in iisdem oppidis, remittetque omnes offensas & crimina in quæ incurrerint, idemque etiam præstabit, pro sua parte Archiepiscopus Duxque *Cameracensis*. 1584.

„ XL. Dicti Principes Galli fœderati, ubi supradictus Dominus Cardinalis *Borboniæ* ejusve successor, Galliæ Regno potiti fuerint, curabunt dicto Regi Catholico bona fide reddi omnes impensas sumptusque per eum factos atque solutos in emolumentum hujus fœderis; ut etiam ex altera parte dictus Rex Catholicus curabit solvi dictis Principibus Gallis fœderatis, omnes sumptus quos fecerint, atque impenderint in stipendia militum, tormenta bellica, commeatus, bellicasque munitiones in usum atque emolumentum Regni. Idque post elapsum tempus subsidii ordinarii illis a dicto Rege Catholico promissi in singulos menses, habita eorum sumptuum exacta ratione ac supputatione, uti decet.

„ XLI. Hoc sanctum fœdus offensivum, defensivum, ac perpetuum, initum contractumque ad solam tuitionem, defensionem ac conservationem Religionis Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ, ejusdem instaurationem, omnium-

1584. „ que sectarum atque hæresum Galliæ, inferiorisqu Germa-
„ niæ extirpationem, sancté atque inviolaté utrimque ^rva-
„ bitur, eruntque dictus Rex Catholicus ejusque poste.. -
„ successores in perpetua amicitia, conjunctione ac fœdere
„ cum dictis Principibus Gallis fœderatis, eorumque posteris
„ ac successoribus, uti vicissim iidem Principes Galliæ fœde-
„ rati, eorumque successores cum dicto Rege Catholico,
„ ejusque successoribus, cujus Regis Catholici ejusque succes-
„ sorum opibus auxiliisque ultra dictum subsidium quinqua-
„ ginta millium aureorum in singulos menses, juvabuntur in
„ suis Catholicis cœptis, bonorumque vitæ eorum conserva-
„ tione, propulsandisque aliis quibuscumque injuriis, peri-
„ culisque in quæ incidere fœderis hujus causa possint.
„ Quod fœdus nulli eorum, qui eo comprehensi sunt, fas
„ erit deserere ob quamcumque causam, occasionem, peri-
„ culique prætextum qui intervenire queat, sed omnes firmi
„ stabilesque permanebunt in dicto sancto fœdere ad commu-
„ ne veræ Religionis Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ
„ beneficium, dictique Regni Galliæ inferiorisque Germaniæ.

„ XLII. Comprehendunt dicti Principes Galli fœderati,
„ jam nunc atque in posterum omnes Principes administros
„ Galliæ Regni, Dominos, Nobiles, civitates ac municipia;
„ ac generaliter omnes & quoslibet Catholicos, quibuscum
„ ipsis mutua intercedit conjunctio atque correspondentia,
„ poterunt similiter deinceps hac prærogativa frui omnes alii
„ Galli Vasalli & subditi cujuscumque gradus ac status, ex-
„ ceptis hæreticis. Verum si quisquam Principum externorum
„ in societatem hujus fœderis velit recipi, non poterit admitti
„ nisi conjunctim ex consensu ac sententia utriusque partis.

„ XLIII. Non licebit dicto Regi Catholico, nec dictis
„ Principibus Galliæ fœderatis, aliisque comprehensis in
„ hac unione, cum Rege Christianissimo aliove quocumque
„ Principum quidquam tentare aut pacifice * directé vel
„ indirecté, quod queat vel tantillum præjudicare aut con-
„ travenire huic sancto fœderi: (initi atque contracti in finem
„ supradictum) speciatim conditionibus contentis in hoc
„ tractatu, & si necesse fuerit super his rebus cum eo tracta-
„ re, id fiet conjunctim, & simul, & non aliter: ad-
„ que earum rerum effectum alteri alteros utrimque è vesti-
„ gio

* *Lege*: pacisci.

„ gio cert... ...es facturi sunt de iis rebus quæ ipsis propo- 1584.
„ nentur. E... ...uia hæretici tam Galli quam inferioris Ger-
„ maniæ, ubi ... ...ierint hoc ictum esse fœdus, statim occa-
„ sionem sese mu... ...ndi arrepturi sunt, huic malo occurrere
„ oportet, quantu... ...ieri queat. Celandus est itaque hic
„ tractatus, nec div... ...andus nisi ex consensu ambarum
„ partium.

„ XLIV. Cumque Duc... *Mercuri* * & *Neversæ* † Princi-
„ pes valde voluntarii, atque ...regié affecti erga Religionem
„ Catholicam & effectum huju... ...præsentis tractatus, non sint
„ præsentes, cautum est eos huic tractatui includere, lo-
„ cumque ejus subscribendi relinquere.

„ XLV. Fient duo originalia instrumenta hujus tractatus,
„ uniformia uniusque tenoris, signata uniformiter, quorum
„ alterum erit penes Regem Catholicum, alterum penes D.
„ Cardinalem *Borboniæ*, Principesque Gallos fœderatos.
„ Dantque vicissim fidem D. Rex Catholicus dictusque D.
„ Cardinalis *Borboniæ*, unaque D. D. Duces *Mercurii* & *Ne-*
„ *versæ*, ubi signaverint hunc præsentem tractatum, sese
„ approbaturos, confirmaturos, ratumque habituros sub
„ finem Martii mensis proximi, invicemque daturos litteras
„ ratificationum signatas propria eorum manu, eorumque
„ sigillis obsignatas, ea tamen conditione, ut ratificatio Regis
„ Catholici sola sufficiat, vicemque suppleat omnium Princi-
„ pum generatim fœderatorum.

„ XLVI. Omnes conditiones atque articulos supranomi-
„ natos atque expressos, dictus Rex Catholicus, dictique
„ Principes Galli fœderati, tam generatim quam speciatim
„ affirmant, spondentque per suam quisque fidem & hono-
„ rem, sese sanctè & inviolatè observaturos, executuros,
„ adque effectum re ipsa perducturos, nullo modo contra-
„ venturos, nec umquam in contrarium quidquam tentaturos.

„ XLVII. Tractatus hic initus & conclusus fuit in Castello
„ *Jenuilæ* * nomine Regis Catholici per *D. Joannem Bap-* * *Jonville.*
„ *tistam à Tassis* Equitem & commendatorem *Benevidæ*, Ordinis
„ Divi *Jacobi*, Consiliarium Consilii Belgici & quæstorem
„ generalem exercitus D. Regis Catholici in Germania in-
„ feriori,

* *De Mercœur.* † *De Nevers.*

1584. „ feriori, huic negotio ab eodem Rege ſpeciatim commiſſum „ & deputatum, adjutumque à fratre *Joanne Moreo*, Equi- „ te &c. Commendatore *Dalfaſſa* Ordinis *Sancti Joannis* „ Hieroſolymitani eodem miſſo in eum finem à D. Rege „ Catholico, *Franciſcum De Roncheroles D. Manievile*, pri- „ marium Baronem Normanniæ, Conſiliarium natum in Senatu „ ſupremo ejuſdem Provinciæ, Præfectum equitum quin- „ quaginta Cataphractorum ſub ductu D. *Comitis de Soſons* * „ huic rei ſpeciatim commiſſum ac deputatum per D. D. „ Cardinalem *Borboniæ*, ſupradictos Duces *Guiſæ* & *Mayennæ*, „ in propriis perſonis, & nomine D. D. Cardinalis *Guiſæ*, „ Ducum *De Aumale* & *D'Elbeuff*, ultimo die anni milleſimi, „ quingenteſimi, octuageſimi quarti, *Joannes Baptiſta De* „ *Taſſis*, *Franciſcus de Roncheroles*, *Hencicus Lotharingus*, „ *Dux Mayennæ*, tam ſuo nomine quam ſpondentes pro „ Domino Cardinali *Guiſæ* Ducibus *De Aumale* & *D'Elbeuff*.

* Soiſſons.

Inſtrumentum de dedendo Antonio Portugallenſi.

Obligatio a Ducibus Guiſio & Mayenne contracta, tradendi D. Priorem Antonium Regi Hiſpaniarum.

„ XLVIII. CUm diuturna *D. Antonii* Portugallenſis in „ hoc Galliæ regno commoratio, haud „ parvum impedimentum afferre queat executioni ſancti pro- „ poſiti, inter Maximum, Excellentiſſimum, Potentiſſimumque „ Principem *Philippum* ſecundum hujus nominis Regem Hi- „ ſpaniarum, & alios Principes Galliæ vinculo ſancti fœderis „ contracti ac concluſi ad veræ Religionis Catholicæ, Apo- „ ſtolicæ & Romanæ inſtaurationem omniumque ſectarum ac „ hæreſum ejuſdem regni extirpationem, quod conſtet D. „ D. *Antonium* Portugallenſem nihil intentatum relinquere, „ ſollicitandis Principum animis, diſſentionibuſque ſerendis „ inter hæc duo Regna, ex quibus bella naſci ac ſuſcitari „ queant, quarum rerum hactenus ſatis manifeſta ſigna vi- „ dimus, timendumque ſit, eum tandem deſperatione rerum „ ſuarum eo adductum iri, ut conſtituat ad hæreticos confugere, „ aut ad *Turcam*, aliumve quemquam Principum infidelium, „ auxilium ab iis imploraturus, unde plurima mala atque „ incommoda in præjudicium Reipublicæ Chriſtianæ naſci „ poſſent, ut facile eſt judicare: haſce ob cauſas nos *Hen-*

„ *ricus*

„ *ricus Lotharingus* Dux *Guisæ* & *Chevreusæ*, & *Carolus* Lo- 1584.
„ tharingus Dux *Mayennæ* desiderantes obsecundare D. Regi
„ Catholico quantum in nobis est, pro singulari amore quo
„ nos prosequitur, beneficio fœderis nobiscum, dictisque
„ aliis Principibus Galliæ, contracti, promisimus illi, perque
„ istas promittimus, nos statim uti ad arma perventum fuerit,
„ curaturos *D. D. Antonium* Portugallensem deduci in ali-
„ quem locum Regiæ obedientiæ huic rei idoneum, dedique
„ in potestatem ejus, quem dictus Rex Catholicus volet,
„ sub conditione tamen expressa, quam D. Rex Catholicus
„ nullo modo poterit infringere, ut etiamsi *D. D. Antonius*
„ asservandus sit in secura custodia, favorabiliter tamen
„ tractari debeat, nec quidquam nocumenti ad ejus perso-
„ nam intentari, qua de re D. Dominus *Joannes Baptista*
„ *De Tassis*, qui nomine dicti Regis Catholici dictum fœdus
„ contraxit, tenebitur exhibere litteras confirmatorias ejus-
„ dem Regis intra tempus præscriptum confirmationi ac ra-
„ tihabitioni tractatus dicti fœderis. Datum in Castello
„ *Jonuilæ* ipsis kalendis Januarii anno millesimo, quingente- 1585.
„ simo octuagesimo quinto.

Instrumentum donationis factæ à Cardinale Borbonio in favorem Regis Catholici.

„ XLIX. NOs *Carolus* Cardinalis *Borbonius* &c. omnibus
„ has præsentes litteras inspecturis salutem. Cum
„ inter maxima hujus mundi mala quibus vexamur, nullum
„ magis nos affligat, quam quod videmus, Regem *Navarræ*
„ nepotem nostrum à recta via aberrantem sese à Religione
„ Catholica segregasse, nihilque intentatum reliquerimus,
„ nulli labori, curæ, ac solicitudini parcendo, ut illum ab
„ eo errore ad sanitatem revocaremus, usque adeo ut semel
„ eum in tantas angustias conjecerimus, perque alios conjici
„ curaverimus, ut jam consentiret renuntiationi hæresis,
„ publiceque Religionem Catholicam profiteretur; postea
„ tamen in eumdem errorem relapsus induratusque magis

Scriptura per quam Cardinalis Borboniæ promittit juvare Regem; ut valeat occupare, quæ Princeps Bearnensis possidet extra limites Franciæ.

1585. „ quam antea, non desistit omnibus viribus Religionem „ Catholicam oppugnare atque persequi, quamvis vehemens „ desiderium ejus convertendi sæpissimè nos impulerit ejus „ animum commotionibus sollicitare, nosque Domini nostri „ Regis favore objicere, justé irritati ob nefandos ejus „ mores seditionum ac violentiæ plenos, ac huic Regno „ perniciosos, sperantes illa nostra tolerantia temporisque „ progressu aliquem fructum facturos, eumque ad sanitatem „ reducturos. Denique cum tantum temporis spatium frustra „ consumptum, nullum nobis fructum attulerit; loco reve- „ rentiæ, quam nobis debet, consiliorumque rationes quam „ illum à nobis petere decebat, in nos ante alios invectus „ sit, nosque paret de secundo gradu successionis hujus Re- „ gni, primoque loco Principum Regii sanguinis dejicere, „ quæ nobis divina gratia, ipsoque jure naturæ hujusque „ Regni consuetudine statutisque debentur ac competunt; „ quod tolerari non potest: ab eo præsertim in quem tanta „ beneficia paternaque officia contulimus, cumque (quod „ pejus est, nosque magis movet) videamus eum de inte- „ gro jurejurando confirmasse, sese fore Hæreticorum pro- „ tectorem, speretque eorum auxiliis opibusque hoc Regno „ potiri, si contigerit Regem Christianissimum Dominum „ nostrum (quem Deus conservet) decedere, ac conse- „ quenter contagionem hæresis, tanti Regni viribus in „ evidentissimum totius Reipublicæ Christianæ exitium ful- „ cire ac constabilire. Nos magis erga Religionem Catho- „ licam affecti, quam propriæ studentes utilitati, & clare „ jam ac manifestè videntes nostro magno dolore, quid- „ quid temporis atque laboris in illo convertendo insumi- „ tur, non solum vanum esse atque inutile; verum etiam „ divino cultui contrarium, quod ei tempus spatiumque de- „ tur mali sui propositi roborandi: coacti atque compulsi „ hasce ob causas, ac præferentes honorem Dei carni ac „ sanguini, in hoc præsertim rerum discrimine; ubi neces- „ sarium alterum abjiciendum, ut alterum conservetur, „ communicato unà cum Ducibus *Guisiæ* & *Mayennæ* con- „ silio (*ac*) modo conservandæ Religionis Catholicæ in „ hoc regno, eosque debilitandi atque eruendi, quos mani-

„ festò

„ festò ac palam constat eam oppugnare ac opprimere : 1585.
„ cumque hactenus nullum Consilium magis opportunum
„ ac præsentaneum sese obtulerit, quam quod Maximus,
„ Excellentissimus, ac Potentissimus Princeps Rex Catholicus
„ nobis pollicetur, qui motus insigni in Deum pietatis
„ zelo, voluit nobiscum inire fœdus offensivum ac defen-
„ sivum perpetuum, pro nobis nostrisque successoribus
„ respectivè ad tuitionem ac conservationem Religionis
„ Catholicæ, nec non perpetuam inter nos amicitiam
„ eorumque conjunctionem stabilire, eumque in finem,
„ sumptum ordinarium quinquaginta millium aureorum
„ anticipabit, non obstantibus aliis maximis sumptibus,
„ quos impendere cogitur continuis bellis abhinc multos an-
„ nos in inferiori Germania gestis adversus hæreticos subdi-
„ tos suos, quos ad obedientiam suam retrahere nititur. In-
„ super pollicetur sese nobis ultra hoc subsidium ordinarium,
„ semper auxilio fore in conservanda vita, fortunisque nostris,
„ injuriisque propulsandis atque periculis, in quæ incide-
„ re contigerit fœderis hujus causa. Quo nomine merito
„ illi devincti sumus, omnique honore atque amore di-
„ gnum censemus. Hasce ob causas, ac desiderantes rei-
„ psa ostendere Domino Regi Catholico, nihil nobis tam
„ cordi esse, ac beneficiorum suorum memoriam; aliaque
„ ex parte cum nobis constet, non minus licitum ac per-
„ missum esse armis persequi hæreticorum protectores, eo-
„ rumque terras & bona quæ possident, atque ubi hære-
„ ses alunt, quam eorum personas, maximumque Ecclesiæ
„ Dei subsidium esse, iis auferre qui eam oppugnant, quæ
„ in eos conferantur quæ illam defendunt; affirmamus ac
„ promittimus hisce præsentibus dicto Regi Catholico, tam
„ nostro quam generatim totius corporis totius fœderis
„ nostri nomine, nos in quantum in nobis erit effecturos,
„ ut D. Rex Catholicus potiatur omnibus terris possessis à
„ Domino Rege *Navarræ* extra Galliæ Regni limites, eo-
„ dem modo quo possidet quod reliquum est Regni *Navarræ*.
„ Et si ei visum fuerit, terras illas oppidaque armis occu-
„ pare, illi ea in re erimus pro viribus auxilio; & si in cursu
„ belli nobis cum hæreticis gerendi contigerit, aliquot op-

1585. „ pida locave dictarum terrarum D. Regis *Navarræ*, non „ comprehensa in corpore Regni Galliæ, in potestatem „ nostram redigi, D. Regi Catholico ea dedi curabimus. „ Promittimus etiam nos effecturos, ut omnes qui sunt „ hujus nostri fœderis, duplicatò hujus instrumenti ratiha- „ bitionem suam apponat, idque infra duos menses post „ bellum in Gallia publicatum. Dicto Regi Catholico in „ majorem promissorum fidem nos D. Cardinalis &c. nos „ D. D. Duces *Guisæ*, *D'Aumale* & *D'Ebeuf* nostra manu „ hasce præsentes subscripsimus. Datum in Castello *Jonuilæ* „ decima sexta Januarii anno millesimo, quingentesimo octua- „ gesimo quinto. "



JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS

1585.

Commentariorum de Tumultibus Belgicis

LIBER SEPTIMUS.

I. APprobavit *Philippus* unionem (vulgo *Ligam*) *Jonuilæ* conclusam, nulla ejus parte mutata, excepto quod volebat certum statui tempus, quo ea de quibus contra *Antonium* secreto erat conventum, executioni mandarentur. Remisit itaque festinanter *Moreum*, qui una cum *Tassio* denuo profectus est ad *Guisium*, quem cum fratre Cardinali invenêre Rhemis. Cumque *Guisius* placitis *Philippi* libenter assensisset, datis *Moreo* litteris ad Ducem *Mercuriæ*, Proregem Britanniæ, ubi tunc temporis agebat *Antonius*, sine cujus opera non poterat apprehendi vehique in Hispaniam, tradita fuit *Guisio* unionis confirmatio *Philippi*, numerataque insuper in Comitatu Burgundiæ 250 aureorum millia, nec non ad fines Cantabriæ reliqua 50 millia procuratori *Margaritæ Navarræ*, quam vocabant, Reginæ uti tacite erat conventum. Quibus rebus peractis *Moreus* bene instructus, ac viro quodam idoneo ei à *Guisio* dato comitatus, *Britanniam* versus profectus est. *Tassius* verò *Sampsonium* rediit, ubi jussu *Philippi* in præsentia mansit.

II. Assensit Regi *Guisius* quoad præfixum tempus, eique scripto novo sese astrinxit, promisitque *Philippus* etiam scripto, nil in Antonii vitam tentaturum, vel tentari consensurum. Quibus rebus ita constitutis, continuo *Guisius* arma arripuit. Cæterum incredibile dictu, quanto fervore, vel potius furia maxima nobilitatis copia, innumeræque civitates per totum Regnum eæque ex præcipuis, in ejusdem finem ac tutelam aperté se dediderint. Accurrebant tamquam ad sacram anchoram omnes; extollitur *Guisius* ad cœlum, ab omnibus prædicatur Religio servata, totiusque Regni malo ejus-

1585. ejusdem virtute occursum, ac spes certa apud complures, rediturum aureum sæculum. Estque extra dubium, hosce motus ex majoribus extitisse, quos umquam Gallia passa fuit. Itaque facillimum fuit ei construere quantum vellet exercitum, cum nulla propemodum esset Provincia, quæ ejusdem partes non sequeretur. *Henricus* verò, qui, etiamsi aliquid de his futuris motibus præsensisset, nunquam tamen eo adduci potuerat, uti crederet, eum qui sibi esset Vasallus, tantum tamque generale Regni conflare posse incendium, imparatus ad defensionem armorum viâ, ad Politicam animum vertit. Venit illico Mater, venêre una aliquot Consiliarii Regii *Esperneum* *, quod est parvulum oppidulum quatuor milliaribus Rhemis distans, tantaque instantia ac sollicitudine inde per internuntios cum confœderatis egêre, ut tandem ne rebelles viderentur, eo profecti fuerint Cardinalis *Borbonius*, *Guisius*, atque alii, auditum quid vellent. Quo cum venissent, disertè ipsis dictum, non displicere Regi eorum intentionem; justum esse quod petebant extirpare hæreses, ac præcavere ne Regnum ad hæreticos deferatur, eo etiam ipsum inclinare Regem, inque animo habere efficere semetipsum caput unionis quam contraxerant, dummodo tales sese exhiberent, ac gererent, uti in ipsa contracta unione protestati erant. Brevi enim ** ad demulcendos mitigandos ac alliciendos eorum animos facere poterat, nequaquam omissum. Nil ibi tamen quam pacis jacta fundamenta, rediitque Mater ad filium infectare, sed postea continuata per idoneos viros tractatione, tandem res eo rediit, ut cum Rege convenerint, paxque inter eos *Nemurci* † fuerit conclusa, cujus his tenor subjicitur.

* Espernay.

Rex Franciæ imparatus, nec valens vi resistere Ligæ, postulata concedens, pacem cum illis facit sub conditionibus sequentibus.

** *Lego*: quidquid. *Aut quid simile.*

† Nemorosii, *id est*: Nemours *ville du Gatinois.*

III. *Articuli ac conditiones conclusi nomine Regis Galliæ inter Reginam Matrem ex una parte, & Dominos Cardinales* Borboniæ & Guisæ, *Duces* Guisæ & Mayennæ, *tam eorum quam aliorum Principum Parium Galliæ, officialium coronæ, Dominorum nobilium nomine, aliorumque qui eorum partes secuti sunt, præsente Domino* Duce Lotharingiæ.

„ IV. Publicabitur edictum perpetuum & irrevocabile, quo „ inhi-

„ inhibebitur quodvis exercitium novæ Religionis, decerne- 1585.
„ turque nullum posthac in hoc Regno exercitium fore, quam
„ Religionis Catholicæ & Apostolicæ, & Romanæ.

„ V. Omnes novæ Religionis ministri (quos vocant) intra
„ mensem à publicatione hujus edicti in supremis Senatibus,
„ excedent ex hoc dicto Regno.

„ VI. Omnes subditi Suæ Majestatis tenebuntur vivere se-
„ cundum normam legesque dictæ Religionis Catholicæ,
„ Apostolicæ & Romanæ, eamdemque profiteri infra sex
„ menses à publicatione ejusdem edicti; qui secus faxint,
„ cogentur discedere à dicto Regno, sub pœna confiscatio-
„ nis corporis bonorumque, excepto tamen, ut ejusmodi
„ liceat extra Regnum existentibus, vendere sua mobilia &
„ immobilia, de iisque disponere ad suam cuique voluntatem.

„ VII. Hæretici cujuscumque gradus ac conditionis, de-
„ clarantur inidonei administrandis beneficiis ecclesiasticis,
„ muneribus publicis, officiis, statibus, & dignitatibus.

„ VIII. Idem edictum publicabitur & inscribetur actis ac
„ Registris D. D. supremorum Senatorum hujus Regni, sine
„ ulla exceptione vel limitatione; & à publicatione facta in
„ supremo Senatu *Parisiensi*, Sua Majestas expressè declara-
„ bit in eodem Senatu, præsentibus Paribus Galliæ, Regni-
„ que officiariis, sese & velle & cupere illud perpetuo ác
„ inviolatè servari.

„ IX. Cujus edicti observatio, jurejurando confirmabitur
„ etiam à Principibus Paribus Galliæ, officiariis Regni,
„ Equitibus Sancti Spiritus, Senatoribus Consilii Status,
„ Gubernatoribus, & locum tenentibus Generalibus suarum
„ Provinciarum, Præsidentibus & Consiliariis Supremarum
„ Curiarum, Baillivis, Senechalcis, aliisque Regni sui offi-
„ ciariis, a Mairis *, quos vocant, & Scabinis, Corporibus,
„ Communitatibus civitatum, quæ juramenta, acta, proces-
„ susque verbales notabuntur, inscribenturque Registris Gra-
„ phiariorum earumdem Curiarum, ut ad ea recurratur ubi
„ opus fuerit.

* Maire. *Premier officier des Villes.* Urbis Præfectus.

„ X. Declarabitur per idem edictum Majestatem Suam de-
„ cernere & statuere, ut civitates, oppidaque, quorum cu-
„ stodia commissa fuit prætexentibus Religionem Reforma-
„ tam (ut vocant) ad sui securitatem, statim publicato

„ eodem

1585. „ eodem edicto asserentur in libertatem, præsidiisque „ liberabuntur.

„ XI. Suaque Majestas itidem edicto inseri curabit, aut „ expediri litteras in debita forma, quibus edicetur, decla„ rabiturque, quod certo cognovit, ea quæ facta gestaque „ sunt per Principes & administros hujus Regni, Prælatos, „ Dominos, aliosque suos officiarios, Civitates & Communi„ tates, eosque omnes qui eorum partes secuti sunt, iisque „ adhæserunt, atque faverunt, novaque sunt moliti, tam in „ arripiendis armis quam capiendis, occupandisque civitati„ bus, castellis, pecuniis receptuum generalium, particu„ lariumque aliorum commeatuum, conficiendis, usurpan„ disque tormentis bellicis, pulvere bombardico, globis „ aliisque munitionibus bellicis, machinationibus, conscri„ bendi militem, extorquendi exactiones, ac hostilia quæque „ tentandi, & generaliter quæcumque hactenus intra atque „ extra Regnum facta, tractataque sunt ad causas supradictas, „ etiamsi hic particulariter non sint expressa, ex solo & mero „ zelo & affectu conservandæ tuendæque Religionis Catho„ licæ Apostolicæ & Romanæ esse profecta, Suamque Ma„ jestatem ea tamquam grata approbare, & velle eos omni „ prorsus culpa vacare ac liberari, atque imposterum ab omni „ inquisitione eximi; eosque similiter qui suppeditarunt „ dispensaruntque dictas pecunias Regias, commeatus ac „ munitiones.

„ XII. Cameræ ejusdem edicti posthac supprimentur.

„ XIII. Si quæ judicia criminalia pronuntiata fuerint in „ aliquos, qui à contrariis partibus stetêre præteritarum „ rerum causa, irrita erunt, & quasi numquam pronuntia„ ta fuerint.

„ XIV. Provinciarum Gubernatores, ac eorum locum „ tenentes Generales, aliique omnes Gubernatores particu„ lares, Præfectique civitatum, oppidorum, arcium, alii„ que officiarii cujuscumque gradus ac conditionis, qui „ eorumdem Principum partes secuti sunt, stabilentur ac „ confirmabuntur, in suis Gubernationibus, dignitatibus, „ statibus, officiisque.

„ XV. Omnes præterea civitates locaque quæ eorum par„ tes secuta sunt, restituentur in statum quo erant ante dictos

„ tumul-

„ tumultus, nec occasione rerum præteritarum Sua Majestas, 1585.
„ ea præsidiis onerabit, nec malè sinet tractari, eorumque
„ præfecti ac Gubernatores redintegrabuntur in suis officiis,
„ quibus ut ante fruentur exceptis civitatibus, locisque quæ
„ causa securitatis dabuntur &c. *Maziera* (1) ubi mane-
„ bunt viginti.

„ XVI. In securitatem Domini Cardinalis *Borboniæ*, ei
„ concessum *Suessonium* (2) cum præsidio custodiaque cor-
„ poris sexaginta militum, ac triginta sclopetariorum equitum.

„ XVII. D. Cardinali *Guisæ* tri inta equites sclopetarii.

„ XVIII. D. *Mercuræ*, *Dinan* & *Coneum* (3) cum præ-
„ sidiis ordinariis, vel quæ necessitas postulabit, & quoad
„ locum tenentes, *Nanti*, ejusque præsidium, quibus dictæ
„ arcis *Nanti* cura commissa est, ibi remanebunt uti in
„ præsentia.

„ XIX. D. *Guisæ*, *Verdunum*, *Thoula*, yst *Di Zier* (4) cum
„ præsidiis ordinariis, præterque tres dictas civitates, Chal-
„ lons (5) sed sine præsidio: quinque tantum conceduntur
„ satellites vulgo *Hallebardures*. (6)

„ XX. D. *Mayennæ* arx *Divionis* (7) & civitas arxque
„ *Beauni* (8) cum sexaginta militibus præsidio dictarum
„ arcium imponendis.

„ XXI. D. *Aumalæ* S. Spiritus *Ruæ* (9) cum quadraginta
„ militibus, quorum viginti quinque erunt equites, quibus
„ in custodia corporis uti poterit.

„ XXII. D. *Del Beuff* conferetur Gubernatio præfectura-
„ que Provinciæ *De Bourbonnois* ob mortemque D. *De Ruffes*;
„ & in corporis custodiam, habebit viginti equites sclo-
„ petarios.

„ XXIII. Concessi etiam in corporis custodiam D. D.
„ *Mercuræ*, *Guisæ*, & *Mayennæ*, unicuique triginta equites.

„ Stipendia dictorum Præsidiariorum solventur ex sub-
„ sidiis

(1) Mezieres. (2) Soissons. (3) Mercœur, Dinan & Concarneau en Bretagne. (4) Verdun, Toul, & Saint Dizier en Champagne. (5) Chaalons. (6) Hallebardiers. (7) Dyon en Bourgogne. (8) Beaune en Bourgogne. (9) Ruë en Picardie.

1585. „ sidiis Provinciarum, ditionumque Gubernatoris D. D. „ Principum.

„ XXV. Quoad civitates, loca, arces, castellaque attinet, quæ d. d. D. D. Principibus committentur, iidem D. D. „ Principes, dictique Domini promittent astringentque suam „ fidem & honorem, sub obligatione omnium suorum bonorum, simul & seorsim unusquisque, quod ea restituent in „ manus Suæ Majestatis, vel eorum quibus ipsi visum fuerit „ id negotii injungere, idque intra quinquennium sine ulla „ dilatione, excusatione, mora, aut difficultate, prætextu „ cujuscumque causæ aut rei. Præterea renunciarunt, renuntiantque nunc omnibus & quibuscumque fœderibus, „ pactisque tam intra quam extra Regnum, si quæ inita „ contractaque fuerint.

„ XXVI. Decreta Domino *De Brisac* (10) summa 40000. „ millium librarum ratione compensationis status Colonelli „ solvenda terminis, conditionibusque super eo statuendis.

„ XXVII. Dicta insuper D. Regina, Regis mater, pollicita „ est seseque astrinxit, effecturam ut D. D. &c. Dantragues (11) satisfaciat.

„ XXVIII. Quod ad extraneos attinet S. M. vult militem „ Germanum peditem jam nunc mitti ad Regni confinia, „ ut ibi exauthoretur, Regnoque excedat, equitesque Germani etiam ad Regni limites relegandi, ubi Rex decernet, statuetque uti eorum auxiliis adversus vim externam „ eorum, qui profitentur Religionem falso prætextu reformatam, si Regnum hoc velint invadere. Quoad stipendia „ D. equestris pedestrisque milites Germani d. d. D. D. Principes referent in tabulas quidquid illis fuerit solutum præque-mandatum, quod Regi mutuo sunt daturi, sub sponsione *D. Ducis Lotharingiæ* illis infra annum solutum iri.

„ XXIX. Quidquid præterea inventum fuerit deberi D. „ pediti Germano, solvetur ei, habita immunitate d. d. D. D. „ Principum à Generali, cui eum in finem d. d. D. D. Principes omne sunt præstituri subsidium.

„ XXX. Et

(10) *Timoleon de Cossé, Colonel de l'Infanterie Françoise, frere du Duc de Brissac.* Maimb, hist. de la Ligue liv. 1. p. 69. de l'editon in 4. de Cramoisy. (11) D'Entragues.

„XXX. Et quod ad continuanda stipendia d. d. equitum 1585.
„ attinet, S. M. ei rei providebit, curabitque omnes novum
„ præstare juramentum, quo sese astringant bona fide mili-
„ taturos Suæ dictæ Majestati, contra omnes & quoslibet
„ ejus hostes, aliisque omnibus conditionibus ac juramentis
„ quibus aliquo modo sese subjecerint, astrinxerintque,
„ idque ea conditione, ut novum illud juramentum nullam
„ temporis innovationem adferat.

„XXXI. Omnes Captivi occasione præsentium motuum
„ relaxandi ex una atque altera parte, absque aliquo re-
„ demptionis pretio.

„XXXII. Quod ad confectionem exercitus, D. D. Do-
„ mini Principes ea de re una ac conjunctim cum dicta
„ M. S. consilia conferent.

„XXXIII. De hisce articulis (ut supra dictum) convenit
„ inter d. Dominam Reginam Regis nomine ex una parte,
„ dictosque D. D. Cardinales *Borboniæ* & *Guisæ*, Duces *Gui-*
„ *sæ* & *Moyennæ*, tam suo quam aliorum Principum Parium
„ Galliæ, officiariorumque Regni, nobilium, aliorumque qui
„ eorum partes fecuti sunt nomine, ex altera parte.

„In quorum fidem supradictæ conditiones, & articuli
„ subscripti sunt propria manu in civitate *Nemarci* domini-
„ ca, septima Julii 1585."

XXXIV. Judicatum illico fuit à multis, & revera erat admiratione dignum, quod id quod tales tantique viri, super re tam ardua, maturè consideratis omnibus, tandem decreverant, tam cito nulla fortuna tentata, eorum ipsorum opera dissolutum in nihilumque redactum fuerit. Sed excusavit se postea ea de re non ineptè *Guisius*, viderat enim tam copiosum fuisse primo impetu undique affluentium concursum, ut non ordinata animorum viriumque conjunctio, sed magnum potius videretur esse chaos, quod diu subsistere non posset, considerabat etiam sese suique sequaces, cum Rex sese astringeret ea exequi, quorum causa unionem contraxerant, nempe uti bellum Hugonottis inferretur, diu stare non posse, quin justo titulo à Rege legitimo perduelles declarentur.

Rationes Guisii de conclusa pace cum Rege, a quo deceptus fuit, ut postea ei illuderet.

XXXV. Præterea tanta apud suas valebat authoritate ac gratia, ut certò sibi persuaderet, nil sibi hanc pacem ea in parte detracturum, cum jam reditus Regi tremendus, indubi-

Scriptum politicum principibus & vasallis utile.

1585. dubitatum esset arma Regia solo suo arbitrio statura, ut nec ei quidquam detraxit. Accidebat ad hæc, quod opponente se Rege unioni, difficile admodum fuisset bellum aut finire, aut diu protrahere, cum quod contribuebat *Philippus* ad sumptus, non sufficeret, & incertum esset, quidnam essent facturi confœderati, sæpius promptiores animi liberalitate, quam pecunia; in cujus locum suscipiente bellum ipso Rege, construebatur exercitus ad *Guisii* nutum, nullaque manebat eum alia cura, quàm instare ut id fieret, atque ipse exercitum duceret: quibus considerationibus permotus judicarat, nihil sibi ac Reipublicæ Christianæ aptius commodiusque accidere potuisse, quam pacem cum Rege confecisse. Eratque procul dubio & hoc omnino verum; nihil enim *Guisio* honestius, quam armis sui Regis legitime contra Hugonottas belligerare, nihilque *Philippo* convenientius, quam sine suis sumptibus tam occupatam habere totam Galliam, ut rebus suis nocere non posset, si modo deinceps animo firmiter impressisset (uti debent ii qui Dominum in similibus offendunt) Regem id quod pollicebatur, non ex affectione, nec ex zelo Religionis promittere: (nihil enim minus cogitabat quam *Navarrum* destruere) sed ut natum incendium quamprimum extingueret, atque exinde paulatim eo artificiose tenderet, ut de *Guisio* aliisque ejusdem farinæ, tantæ temeritatis & audaciæ condignas pœnas sumeret, sicut aut ob oblitam à *Guisio* aut neglectam hujusmodi Regis occultam intentionem aut simultatem, tandem accidit, & aliquando accidere erat certum, cum numquam aut saltem perraro, supremi Domini, quantopere dissimulent, subditis remittant offensas, quas in ipsorum imperium commiserunt. Quidquid tamen inter eos convenerat, plene observatum; milites haud necessarii utrimque dimissi; nihilque amplius eo ac sequenti anno in re bellica à Rege actum, quam consultare, quo potissimum modo Hugonottis deinceps noceri quiret, quaque ratione *Guisium*, cæterosque unionis fautores placare, allicere, atque ad novam sui confidentiam posset attrahere.

XXXVI. *Tassius* intellectis quæ à *Guisio* acta essent, ne & hæc Galliæ interni motus nova forma inopinaté aliquando uti prima evanesceret, atque ita opera & pecunia perdita, nil Regi suo superesset, quam *Henricum* ac Matrem irritasse, legiti-

1585.

legitimamque tum demum dedisse occasionem res suas lacessendi, etiamsi contineret initum fœdus, debere manere constantes omnes in collimando ejus scopum, quamvis contingeret conjungi *Henricum* unioni, tamen nihilominus considerans, apud Gallos, quò constantia novo hoc pacis tractatu niteretur, nihil solidi esse fundamenti, jamque *Philippum* juxta initi fœderis præscriptum à subsidio pecuniæ liberatum esse, Rhemos profectus est, *Guisio* persuasurus, ne ob fœdus cum Rege confectum, ab unione cum *Philippo* inita discederent, amicitiamque ejus semper secreto coleret, sibique promitteret brevi unionem nominis subscriptione renovare. Promisitque *Tassius* 30000. millia aureorum annuè, ut esset quo melius præcipuos suos sequaces in fide & amicitia contineret, idque jussu *Philippi*, qui de futura pace dubitans, tempestivé antidotum illud excogitarat, quo tali in casu strictius sibi obligaret. Hæc verò unionis renovatio eo inscio fuit facta, longum enim inter utriusque capita regni intervallum, in tam subita necessitate, diuturnam consultationem non patiebatur. Verumtamen postea approbavit *Bernardinus* legatus Parisiis agens, & *Moreus* qui tunc temporis ibi erat. Paucis post diebus & ipsi denuo cum *Guisio* super ejusdem in amicitia cum *Philippo* constantia, agere scripto,* majoremque verbo quam *Tassius* addixerat, annuam pensionem polliciti sunt. Nihil enim utilius, nihil magis *Philippo* commodum, quàm parvo impendio suos intra Regnum conservare, uti & *Guisio* utilissimum, ac securitatis plena res, *Philippum* sibi habere secreto conjunctum, & ad sui defensionem in quavis occasione paratum, non minus tunc quam antea.

Renovat Rex Hispaniarum Ligam cum Duce Guisia, offertque illi 30000 aureos annuos.

* Egere scripto. *Vel*: agere cœperunt scripto.

XXXVII. Jussit postea *Tassio* Rex, ut *Parmensem* adiret, eumque de omnibus quæ eousque acta essent, plenè certiorem faceret, quod ante ejusdem jussum non fecerat. Obediit illi ut decebat, & *Parmensem* attigit ad pontem, quem in Schaldi obsidendæ Antverpiæ causa construxerat, expositisque quæ in mandatis habebat *Namurcum* rediit. Volebat quidem *Philippus* eum † ad Galliæ fines paratum esse communicandis secretis consiliis cum *Guisio*, reliquisque fœderatis, iisque de rebus quæ indies nasci atque occurrere possent. Sed tandem venit *Moreus* cum Regio mandato, quod deinceps Rex ‡ Galliæ

† *Tassium nempe.*

‡ *Lego*: es.

1585. Galliæ omnino *Parmensi* incumberent, ejusque arbitrio administrarentur: *Moreus* vero esset illi qui quocumque necesse esset accurreret, & *Tassius* muneri suo Quæstoris supremi, vacare inciperet, ea conditione ut eidem semper communicarentur ea, quæ in rebus Gallicis agerentur. Itaque sub finem anni 1806.* Bruxellam ad Parmensis aulam sese contulit.

XXXVIII. Binis hisce annis 1805. & 1806. ** in quibus Gallicarum rerum supra facta fuit mentio, multa memoratu non indigna, etiam in Belgio accidêre. Decima nona Januarii 1585. Comes *Hollachius* cum bona militum manu, ac summa industria Buscoducum inopinate invasit, oppidumque ad forum usque occupavit. Forte fortuna erat ibi eo die *Haultepennius* † ob privata negotia, qui protinus conspecto hoste cives alacriter animans, fortissimè resistere cœpit. Cives autem ejus exemplo tam strenuo sese gessêre, ut *Hollachium* occisis quam plurimis è civitate ejecerint. *Felix* procul dubio successus, rebusque Regiis cumprimis opportunus. Est enim civitas situ munitissima, quæque semel ab hostibus occupata, difficillimè recuperari potuisset, maximumque Brabantiæ attulisset incommodum. *Parmensis* capta *Vilvorda*, jusserat ibi consistere *Ambrosium Landrianum* cum bono peditum equitumque numero, ut continuis excursibus ac viarum vexatione omni annonæ invectione Bruxellam privaret, ac tandem necessitate ad deditionem cogeret, ut etam accidit. Misère enim, cum nihil amplius superesset unde alerentur, ad *Parmensem* legatos rogatum antiquæ Principum Regumque sedi parceret, quod ab eo æquis conditionibus facile impetrarunt 10. Martii ejusdem anni.

XXXIX. Possidebant rebelles *Ostendam* ad mare Flandricum, quatuor tantum miliaribus Bruga distans oppidum, parvum quidem, sed maximi momenti, unde per continuas excursiones hostium, tota Flandriæ Provincia supra modum infestabatur, maximisque afficiebatur incommodis. *Lamottius* ‡ ad id occupandum diu ante animum secreto adverterat, cumque essent parata quæ ad eam expeditionem erant necessaria, fortiter antiquam, quam vocant, civitatem invasit ac cæpit, positis in ea binis peditum millibus ex variis nationibus. Non poterat eadem facilitate capi nova quæ vocatur civitas magis munita: eratque necesse adduci tormen-

* *Ita omnino, sed vitiosé, in ms. lege:* 1585.

** *Lege:* 1585. & 1586.

† Claudius Berlaimontius.

D. Haultepennius Buscumducis defendit ab invasione Comitis Holachii.

Lamottius Ostendam aggressus, eam non consequitur culpâ militum.

‡ Valentinus du Pardieu.

menta aliquot bellica, quibus murus quateretur. Erant tamen tam pauci in ea præsidiarii hostes, ut obsessi binis illis millibus Regiis, non dubitaretur de victoria. Itaque dispositis opportunè omnibus, discessit *Lamottius* ut sua præsentia conductionem tormentorum eorumque apparatus festinaret. Sed accidit hostes, cognito certo exitio ad desperationem animum vertere; armarunt se tamquam ad certam ituri mortem, quadraginta vel circiter, tantaque violentia atque impetu in Regios qui proximi erant irruerunt, ut hi nihil tale suspicantes, terrore panico concussi fugam arripuerint, eorumque exemplo omnes, qui retro erant longiusque aberant, consternati in fugam versi fuerint; ita ut plurimi fugerent, & fugæ metusque causam ignorarent. Brevi unusquisque pro se quâ potuit salutem quæsivit: civitas antiqua omnino derelicta, *Lamottiique* labor atque industria, minimo temporis momento per paucos, ejusdem mensis 29. in ventum effusus, Flandriæ procul dubio, incredibile detrimento. 1585.

XL. *Antverpienses* quamvis longè admodum, attamen periculosè obsessi, nihil quod saluti aliquo modo fore sperabant, omittebant. Habebant opificem * quemdam mirificè doctum conficere atque occultare in navigiis ignem artificialem (*minas* vulgo) compositum ex lapidibus & magnis saxis, ita cum pulvere bombardico conjunctis ac coagmentatis, ut simul ac stupei funis contacta fuerint, incredibili fragore ac impetu saxa dissiliant, dejiciánturque, stragemque omnium quæ contigerint efficiant maximam. Hæc ita composita navigia deferri sinebant secundo fluminis æstu, igne accenso, atque tempori, quo necesse erat ad pontem delabi, ita accommodato, ut solummodo cum ibi essent, igne pulverem attingente, appareret effectus. Talia aliquot misère navigia quarto Aprilis, quorum duo cum ad pontem usque pervenissent, tam horrendo fragore ac violentia ignis vim suam exercuit, ut cœlum ruere videretur; diruptus magna ex parte pons, plurimi in ipsa fluminis ripa, imo procul inde distantes oppressi atque exanimati. *Billejus* ** ac *Marchio De Robaix* † flumine

Antverpienses igne navibus imposito utuntur ad sui defensionem.

* *Cui nomen:* Fredericus Jambellus. *Strada.* Jenibelli. *Borrius.*

† Robert de Melun, Vicomte de Gand, Marquis de Richebourg.

** *Billejus.* Lege: *Billius.* Est *Gaspar Robles*, Dominus *De Billy.* Non fuit mihi hactenus moris, exercituum duces, ordinum militarium præfectos, Centuriones &c multis illustrare, quòd illi, vel ob generis claritudinem vel ob res fortiter

1585. flumine absorpti, parumque abfuit, quin & idem accideret *Parmensi*, qui cum staret eodem in loco quo illi, eumdem ca-

ter gestas ab editis scriptoribus celebrati, satis superque solo nomine essent cogniti. Hic agam præter consuetudinem, quod *Billius* ille, *Viglio* amicissimus, præfectus seu Gubernator Frisiæ fuerit, ut hinc intelligas, quibus hominibus patronum se exhibuerit. Ejus fortitudinis elogium lege apud *Stradam*. Sed de ejus natalibus, ortuque ibi ne *gry* quidem. *Viglius* prodit, eum haud nobili prosapia genitum, & quum illum commendaret ad præfecturam Frisiæ post cædem Comitis *Arembergii*, voluit Regem non tam generis, quàm virtutis rationem habere. Hæc legis in ejus Epistolis ad *Hopperum*: sed non faciunt satis. Audi *Reinicum Fresingam* apud *Gerardum Dumbar Analect. to.* 3. *pag.* 10. „ Dese *Gaspar* was van „ seer cleinen hooch opgekomen: geboren synde uyt Portu- „ gal van een Dorp *Robles*, soo wy verstaen. Maer midts- „ dien syn moeder een schoon vrouwe was, wert sy verko- „ ren tot een suygamme des Princen van Spaengien *Philippi*; „ ende alsoo met syner moeder aent hoff blyvende, wert hy „ lange tyt jongen des Princen van Orangien. Van den welc- „ ken hy naemals (doen hy te hove by al de groote Heeren „ seer liefgetallich was, om allerlei aert van elicheit daer „ hy meester in was) soo seer gevordert wert, dat hy trouw- „ de een schoon seer rycke dochter uyt Walschlant. Die „ welcke, hoewel sy besaemt was van gerieffelicheit, bracht „ hem toe sommige heerlicheeden, als *Billy*, *Malepart*, en „ andere, waer deur hy oick wert gemaect Coronnel van „ een Regiment voetknechten. Ende daer nae, deur gunst „ des Graven van Arenburg, dicwils bewint gehadt hebben- „ de van synent wegen der regering in Frieslant, wert hy, „ nae de doot desselven ende nae den Grave van Megem, „ ende den Vryheere van Groesbeeck, by den Coninck ge- „ maect Gouverneur van Frieslant, Grueningen, Omlanden „ ende Drente. Welcke landen hy alnu lange tyt in be- „ dwanck gehouden hadde deur de oude Casteelen, van „ Leuwerden, Herlingen, Staveren, ende de nieuwe Oost- „ mahorn, Lemmer, Sloten, Mackum ende Delfziel: Soo „ dat hy niet anders en regeerde, dan of hy selfs Coninck „ in den Landen geweest waere: al wast dat men hem anders „ niet en noemde dan de Coronel. " Gesta ejus non excutio, quæ ibidem prosequitur *Reinicus*, & narrant *Strada* ac *Borrius*. *Frisiæ defensorem & virum strenuum ac animosum* appellat *Sibrandus Leo in Vitis abbatum in Lidlum apud Ant. Matth. Analect. to.* 3. *pag.* 588. *nov. edit. in* 4.

casum subiisset, ni præfectus quidam Hispanus nomine *Vega* periculum prævidens, tam enixè institisset ut recederet, ut tandem quamvis invitus ei fuerit obsecutus *. Brevi tanto exercitum horrore affecerant dicta navigia mirabili eo effectu, contra quem nulla valebat virium ac virtutis oppositio, ut omnia ad desperationem viderentur esse redacta. Sed postridiè summo mane *Parmensis* imperterritus, quanta potuit diligentia pontem reficere cœpit, ac tandem omnino instauravit. Nec exinde defuêre ingeniosi, qui ad similia artificia sua etiam advenere remedia, nempe cum viderent adventare aliqua, obviam facti, longis contis in fastigio ferro munitis, paulatim ad ripam vacuam nulloque milite munitam attrahebant, ubi stato tempore innocuè ignis erumpens præter terrorem nihil damni adferebat. Construxêre aliud navigii genus quo utebantur in aquis quas discissis aggeribus, immiserant in prata quæ habet Antverpia ad partem Brabantiæ valde spatiosa, quæ attingebant aggeres à Regiis occupatos. Erat navigium miræ magnitudinis ac roboris †, sed valde humile. Extructa in eo erant aliqua munimenta, unde securè hostem ferire possent, sclopetarii sub eo dispositi. Erat & locus ad sex tormenta bellica collocanda, habebatque binos malos rotundis turribus in summitate constuctis, ubi continere sese poterant quadraginta sclopetarii, qui navigio ad aggerem appulso, ex alto secure hosti nocere poterant, imposuêre ei nomen *Quarante Maula* ob enormem magnitudinem, eaque ipsa de causa ad praxim reductum, inventum fuit parum utile, nec ita diu stetit quin caperetur à Regiis.

1585.

* *Hæc aliter narrantur à Famiano Strada, & a Petro Borrio.*

XLI. Fuit & aliud insigne quod tentârunt *Antverpienses* ad sui defensionem. Pons à *Parmensi* constructus, utraque ex parte

† De hoc navigio *Vide Borrium lib.* 20. *fol.* 33. & 34. *prim. edit. Et Stradam Dec.* 2. *lib.* 6. *ad an.* 1585. Fabricatores eorumque asseclæ ei nomen dederunt *Finem belli. Fin de la guerre.* Sed cum speciem magis quam usum haberet, „ machinam „ illam suam veriore vocabulo, *Perditas expensas* (*Verlore kost*) „ exinde appellavêre. Et Hispani milites, a quibus post pri„ mum aspectum congressumque, militari joco, *Caranjamaula*, „ quasi ingens spectrum, terriculumque puerorum, nomina„ ri cœpta est *inquit Strada loc. cit. p.* 403. *edit. Antv.* 1648. *in* 8.

1585. parte attingebat aggeres, quibus contineretur alveus fluvii, & ex illa parte pontis quæ Brabantiam ſpectabat, agger qui ibi erat *Lylloum* uſque recto tramite perrigebatur, in mediaque via erat alius agger antiquus, ſed ita humilis ut potius via dici poſſet, qua *Stabroucum* (quod eſt in continenti ad alteram pratorum partem ſatis magnus pagus) ibatur. *Parmenſis* cum pontem facere cœpiſſet, in ea conjunctione viæ cum aggere, caſtellum extrui curarat, cumque eſſet tam depreſſa ea via, ut facile fuiſſet ex parte *Antverpiæ* ac *Lyllo* ita excreſcere flumen, ut ex una ad alteram poſſet navigari, idque ſolum, omnem laborem & ſumptum quem in conficiendo ponte ſuſceperat, inutilem reddidiſſet, nihilque civitati incommodi inferre potuiſſet, altius eum extrui juſſit, idque tandem maximo labore multiſque impenſis effecit: præterea per totam eam de tractu in tractum caſtella, quibus ſatis illi periculo proviſum eſſe videbatur. *Antverpienſes* interea haud ignari nullam reliquam ſibi eſſe ſalutis ſpem, quam tentare; decrevêre Regios de dicta via vi dejicere. Conſtruxêre itaque complurima navigia propoſito accommodata, multiſque tormentis bellicis, militeque copioſo munita. Idem quoque fecêre *Lylloenſes*, ac tandem 20. Maji * anni 1585. prima luce extraque † tandem ardore atque impetu viam illam invaſêre, ut poſt multam pugnam dejectis Regiis, eamdem in poteſtatem ſuam redegerint, ſpatioque trium horarum tenuerint, ac novem in locis aggerem transfodere aggreſſi, liberé ultro citroque per eum navigandi ſuis poteſtatem fecerint; quod procul dubio, dummodo perſeverare potuiſſent, civitati certam attuliſſet ſalutem; conatuſque *Parmenſis*, totque dierum labores prorſus evertiſſet. Sed *Mansfeldius*, qui rebus *Stabroucii* præerat, ſecumque habebat inter alios multos milites, legionem unam Hiſpanorum, prudenter conſiderans actum eſſe de obſidione, niſi agger ille ſtatim recuperaretur, Legioni id tentatum ire juſſit, quæ recta in hoſtem ſigna inferens tam animoſé fortiterque pugnavit, ut eum tandem ſuperaverit, fuderitque, reſque regias lapſas, ac propemodum deſperatas, memorabili, ac inſigni victoriâ prorſus erexerit, occiſis bis mille hoſtium, captiſque multis navibus, quibus eo advecti fuerant, fuitque haud dubium *Parmenſi*, dies ille primum infelix, ſed poſtea feliciſſimus:

De invaſione aggeris apud Antverpiam.

* *Lege: 26. Maji, ut eſt apud Borrium & Stradam.*

† Ita in mſ.

utpote,

utpote, quod jam tam certo ſperare poterat, brevi voti compotem ſe futurum, Hiſpanis vero, quod tam egregie ac viriliter ſeſe geſſiſſent, admodum glorioſus. Nec etiam ei defuit, antequam *Antverpia* potiretur, aliud ſommopere gratum, rebuſque regiis valde accommodum, nempe *Mechliniæ* deditio decimâ ſeptima Julii. Tandem 17. Auguſti, & *Antverpia*, factâ deditione Regi ſe reconciliavit, eamque ingreſſus eſt *Parmenſis* 28. ejuſdem menſis, utque nihil eodem anno fælicitatis deſideraretur, 19. poſtea Novembris, petentibus ipſiſmet civibus arcem interius civitatem verſus demolitam reædificare incœpit, nec ab opere deſtitit, donec ad antiquam perfectionem eſſet reducta, electo in arcis Præfectum *Mondragonio* cum præſidio Hiſpanico, ita ut deinceps tanta, tamque munita civitas ad gremium ſui Principis reverſa, denuo ſecura in fide permanere potuerit. 1585.

Reducta Mechlinia. Nec non Antverpia; ubi reædificatur arx.

XLII. Receptâ *Antverpiâ*, *Parmenſis Carolo Mansfeldio* exercitum ducendum *Campiniam* verſus commiſit, cum mandatis, ut primò quoque idoneo tempore *Gravam* obſeſſum iret; ille ſeſe itineri accinxit, cumque jam illam civitatem obſidione cinxiſſet, miſêre Rebelles *Nouritium* Anglum ſcientiâ rei militaris clarum, ac ſtrenuum Ducem, cum ſatis bonâ militum manu, ut obſidione civitatem liberare tentaret. Venit is eâ ex parte quæ imminet civitati, *Megam* verſus; è contra *Carolus* eidem obviam ire volens, primo legionem unam Hiſpanicam, deinde alios aliquot milites aggeri impoſuit: illi vero continuo munitionem unam, quam hoſtes tranſverſam in aggere habebant, occuparunt, ac virtute quidvis poſſe ſibi perſuadentes, ulterius hoſtem verſus intrepide contenderunt, ſed eundem tam bene invenêre munitum, ut tandem de reditu cogitare fuerint coacti, quod cum raro ſine confuſione ſoleat accidere, brevi res eo fuit redacta, ut cæſis quamplurimis, vexilla opera *Auguſtini de Herrera* ægre fuerint ſervata. Haud tamen idcirco *Noritius* voto eſt potitus, continuataque gravis * obſeſſio, donec tandem eo profectus *Parmenſis* ad deditionem eandem coegit ſexta Junii anno 1586. celeriterque inde Venloum ſeſe transferens, id etiam eo menſe deditione in ſuam poteſtatem redegit. 1586.

* *Lege:* Graviæ.

Parmenſis Graviam & Venloam capit.

XLIII. Cœterum Rebelles amiſſo *Auraico*, continuo de remedio cogitantes, animadverſis Galliæ inteſtinis motibus, ad

 Angliæ

1586. Angliæ azilum sese receperant, cumque Regina transegerant hisce conditionibus: ut sese in ejus protectionem, ac fidem dederent, ipsaque eos pecuniâ, & milite juvaret. Illi vero Reginæ pignoris loco traderent *Ullissingam, Ostendam* (1), Arcem, quæ est ad mare haud procul à *Brillâ*, & *Bergam*, quam vocant *Opzoom*, quod utrimque effectum, venitque Dux (2) *Lecestrius*, ac pro-Regem apud Hollandos egit. Angli etiam hoc anno oppidulum *Axel* Flandriæ ditionis occuparunt decima sexta Julii, & Parmensis *Venlo* recepto, *Nusam*, quæ est Electoris *Coloniensis*, ad *Rhenum* non ignobile oppidum, post multam muri ruinam vi expugnavit.

Hollandi recipiuntur in protectionem Reginæ Angliæ, cui pro auxilio illis submittendo tradunt quatuor insignia oppida.

XLIV. *Moreus* cum in Britanniam venisset, potuisset quidem *Anthonium* capere si voluisset Dux *Mercuræ*, sed iste indignum existimans, operâ suâ virum illum, qui se in suam fidem dederat, in hostis sui manus venire, permisit eum tempestive de *Morei* adventu & intentione certiorem fieri. Itaque cum pervenisset *Moreus* ad arcem, ubi *Antonius* agebat, ille jam fugâ saluti consulerat, *Roschellamque* * versus sese contulerat, unde postea, cum ob unionem confectam in Galliâ malè sibi fideret, in Angliam navigavit.

Parmensis Novesium capit & diripit.

Dux Mercuræ nolens Antonium Portugallensem tradere, eum fuga elabi sinit.

XLV. *Navarrus* (3) haud ignarus eorum, quæ contra se intentabantur, statuit & ipse armis sibi non deesse, egitque tandem cum suæ Religionis amicis Germanis, ut anno 1805. † cum millibus aliquot Equitum Germanicæ militiæ præsto sibi esse vellent, uti fecère: Rex etiam eodem anno exercitum construxit, eique præfecit *Guisium*: publicatumque in *Hugenottos* hunc belli apparatum fieri. Non defuère tamen, qui judicarunt hæc ab utroque Rege eò fuisse inchoata, ut bellum in Galliæ viscera conversum, populum ad clamores, pacisque

* Rupellam. *Rochelle.*

† *Lege*: 1585.

(1) Hic fallitur *Tassius*. Nec *Ostenda*, nec *Berga ad Zomam* in pignus venerunt, sed *Flissinga* cum Castro *Rammekens* in Walachria, & *Brila* cum duobus fortalitiis, ut loquimur, in Hollandia. *Vide Borrium lib.* 20. *fol.* 68. *vso. & fol.* 71. *Stradam Dec.* 2. *lib.* 7. *pag. mihi* 463.

(2) Robertus Comes Leycestriæ, Baro de Denbigh, Consiliarius in Consilio privato Angliæ, Eques Ordinis Periscelidis.

(3) Narratio hujus articuli est turbatissima, vitio descriptoris.

que desiderium incitaret, ita ut denuo de pace inter Regem, & *Hugenottos* ageretur, eâque ratione unio, *Guisiique* authoritas omnino evanesceret. Rescivit continuo Dux *Lotharingiæ*, *Navarri* Germanicas illas copias per *Lotharingiam* in Galliam contendere statuisse, cumque esset tam propinquus *Guisiorum* consanguineus, nec non amicus intimus, etiamsi nondum eorumdem partes esset amplexus, meritò tamen metuebat *Guisii* hostes, soli ipsi (1) amico, quod possent damnum, incommodumque illaturos. Itaque & ipse ad res suas armis tutandas animum vertit, eumque in finem auxilia à *Parmensi* mitti sibi petiit, qui secreto Duci permisit, proprio conscribere nomine quaterna equitum Germanorum millia, promissa eorumdem solutione, quibus copiis, nec non aliquot Equitum Cataphractorum turmis è Belgio missis, commissa Præfectura, *Marchioni de Havré*, securitati Ducis videbatur satis esse provisum. Non tamen eam tantum ob causam hæc instituta fuêre, verum etiam volebat *Parmensis* iis auxiliis conservari, quantum fieri posset, & unionem & *Guisios*. Certum enim erat, Regem (2) nihil ardentius animo volutare, quam amborum exitium. Cumque verisimile esset, id ipsum tentaturum (3) cùm quidquid copiarum haberet *Guisius*, soli Regi sacramento militari esset astrictum, necessarium visum, præparare *Guisio* occultas Germanici illius exercitus suppetias, quibus Dux proprio nomine, tanquam consanguineus, & amicus, necessitate urgente ei præstitisset. (4) Quod cum persensisset Rex, summo rigore, ac severitate Duci interminatus est, ne cum suis copiis solum Gallicum attingeret. Cœterum tantum fortuna *Guisio* favit ut non fuerit necesse eo fine uti, *Navarricis* enim Germanis, cum Lotharingiam transiissent in Burgondiæ finibus *Guisius* cum expedito equitum numero occurrens, primo eos congressu valde afflixit, ulteriusque exinde tendentes adeo vexavit, ut tandem, qui superërant

1586.

Navarro advocante Germanos, Parmensis quoque auxilia mittit in Galliam, ad devinciendum Ducem Lotharingiæ, & in omnem eventum succurrendum Guisio.

(1) Quantum assequor, legendum: *soli sibi amico* Guisii.
(2) *De Galliæ Rege id intelligo.*
(3) *De eodem Rege hic sermo est.*
(4) *Obscura sane verba. Quid si ita*: quasi Dux (*Lotharingiæ*) proprio nomine, tamquam Consanguineus, & amicus, necessitate urgente has ei præstitisset?

1586. erant fugientibus similes, Germaniam versus se recipere coëgerit, *Wittembergicos*que fines usque victor persecutus fuerit. Unde cum, re tam præclare gestâ, in Galliam esset reversus, si ante apud populum valebat gratiâ, duplicato tum favore, vix quisquam erat, qui *Guisii* virtutem ad cœlum usque non tolleret.

XLVI. At *Henricus* cujus animo fixum immotumque sedebat, unionem, authoritatemque Guisiorum omnino abolére, anno sequenti 88. * & aliud molitus est. Sciebat cardinem unionis esse Lutetiam præcipuosque ibi agere, qui eandem, nec non *Guisiorum* potentiam obstinate fovebant, maximâque atque opulentissimâ urbe, omnigenumque commoditatum abundantissimâ, totius insuper Regni capite sub jugum missa, non dubitabat, quin de cæteris paulatim sibi triumphare contingeret. Habebat continenter apud se prætextu custodiæ corporis, sena millia peditum Helvetiorum, & Gallorum, hos ibi agens quodam die summo mane centrum adusque civitatis intrare, passim plateas occupare, nemini tamen nocére, jussit; eo consilio, ut cum armorum viâ secura haberet omnia, quos præcipuos tumultuum sciebat esse authores, & fautores, comprehenderentur. Cives simulatque quo ea tenderent sensêre, undiquaque ad arma concurrêre, tantoque ardore, ac vehementia defensioni incubuêre, ut nullus esset, nec vicus quidem, qui contra Regios, munitionibus maximâ celeritate extructis (*Barricadas* vocabant) non inveniretur munitus. *Guisius*, qui *Suessione* erat, celeriter eâ de re certior factus, nullâ interpositâ morâ, septem tantum comitatus equis, eo advolavit, Regem adiit; & tandem suâ operâ tumultus sedatus, regiisque militibus nullo eis illato damno, secure urbe excedere permissum. Verum Rex urbe excedens, cum animadverteret ad finem, quem animo conceperat destruendi unionem, & *Guisios*, nulla valére stratagemata: quod iis obtinere non poterat, id tandem dolo, ac fraude secum tentare statuit. Est Regibus, præcipue in Gallia usus certumque antidotum in rebus magni momenti, & quæ statum publicum, ut dicitur, plurimum attingunt, convocare Regni Ordines (*quos vocant*) compositos scilicet ex tribus classibus Ecclesiasticorum, Nobilium, ac populi, qui Ordines publico omnium nomine deputant, qui eo, quo Regi placet sese transferunt, ut de Reipu-

* *id est*: 1588.

Reipublicæ ægritudine tractantes, tandem de remediis, quibus curari possit, communibus votis inter se conveniant. 1588.
Nullus erat honestus prætextus rejiciendi hanc Regis mentem, immo laudabatur ab ipso *Guisio*, & Catholicis, utpote, qui certo sibi fidebant effecturos, ut nemo mitteretur ad conventum, qui zelo Religionis non polleret, unionique esset addictus, unde certo sperabant, quicquid inde emanaret, futurum eorumdem intentioni, ac menti accommodatum. Indixit Rex conventum *Blesis*, eoque cum matre profectus est, cumque adventassent delegati, primâ conventus die orationem habuit satis luculentam, & speciosam (erat enim in suo idiomate valde eloquens) multa in eâ miro, ut videbatur animi affectu, pollicebatur, proponebatque in commodum, atque utilitatem Catholicæ Religionis, hæresumque extirpationem, quibus promissis, tam Catholicis ac regiis, voluit animos auditorum, quantum fieri posset captare, ac persuasos reddere, sese ea, quæ diceret, vere atque ex animo proferre, nihilque aliud diversum ab eo in pectoris scrinio tenére, ut sic remotâ omni contrariâ suspicione, facilius finem, quo secreto tendebat, adipisceretur.

XLVII. Tractabant congregati quotidie, Regique communicatum quidquid agebant, nihilque propositum, quod ille placidè, ac serenâ fronte non admitteret, & approbaret. Ante omnes *Guisium*, quâ maximâ potuit arte, ac dissimulatione ad sui confidentiam attrahere studebat, adeoque * ut fama sit, eum die quodam cùm celebrato Missæ Sacrificio Sacram synaxim (quam alii volunt hostiam non consecratam) præsente *Guisio*, quem voluerat addesse, sibi parari jussisset, antequam sumeret, protestatum fuisse, optareque † sibi animæ suæ exitio esse, id quod sumere volebat, si malè erga eum esset affectus, ni etiam ex animo, omni gratia, ac benevolentiâ eum prosequeretur, unicéque amaret. Brevi, quibus potuit artificiis (quorum magnus erat artifex) *Guisium* circumvenire; ac ab omni timore liberum reddere tentavit, quod tamen nihil profecisset, si fidem *Guisius* adhibere voluisset iis, qui eum tempestive satis de Regis occulto in eum animo, odioque certiorem faciebant; & non adeo sibi persuasisset, numquam Regem certo seipsum perdendi periculo tantum contra se facinus aggredi ausurum. Quamvis autem

* Tò que *abundat*.

† *Lego*: optare se.

1586. ea in re de Regis ruinâ non temere judicaret (sicut post experientia docuit) nihil tamen minus nimia ea secus opinio sese, & fratrem, aliosque complures minimo temporis momento perdidit, unionemque tantum in discrimen conjecit; ut parum abfuerit, quin & ea prorsus occideret.

XLVIII. Est *Blesis* domus regia in arcis morem extructa, & Principum prærogativa, ubivis locorum unà cum Rege commorari. Itaque *Guisius* in regiâ illâ domo diversabatur, sed frater Cardinalis in oppido, eo, quod esset supremus Ecclesiasticorum ad conventum deputatus, necesseque eis esset sæpius per diem cum eo communicare. Erat præterea jam antiqua Regis consuetudo ut supra dictum, habere ad corporis præsidium, ubicumque ageret, Helvetiorum, Gallorumque legiones, quorum quædam cohortes alternis excubiis quotidie vacabant, quod solum si ponderasset *Guisius* (sciebat enim, qui intus erant, domus arcisque esse *dominos*) facile perspexisset, Regem suorum armis circumseptum, ac munitum, libere quidvis posse tentare; sed credendum fatalem adfuisse horam. Ille vero, vocatis 17. Decembris 1588. ad consilium *Guisio*, fratre Cardinale, & Archiepiscopo Lugdunensi *Guisii* intimo, unà cum aliis consciis suæ mentis, quos volebat tragediæ interesse, cum jam unà essent, misit cubicularium, qui *Guisium* accersiret; habere quod seorsim cum eo tractare vellet. Ivit *Guisius*, & cum ex cubiculo Regis nocturno ad aliud ubi tunc erat Rex, transeundum ei esset, quidam qui ad facinus perpetrandum constituti, nullo dato defensioni loco, multis eum vulneribus transfossum trucidarunt, & continuo in Consilii cubiculo detenti captivi, Cardinalis, & Archiepiscopus, nec non in conventus congregatione illi, quos Rex malè erga se affectos esse credebat, qui passim in oppido conclusi. Sed Cardinalem, & Archiepiscopum servari jussit in turri quadam arcis, ubi postero die, quæ fuit decima octava, misit quatuor ex militibus, qui Cardinalem interficerent, uti fecêre. Nec adhuc eo satiatus, eorum sepulturæ invidens, jussit fratrum amborum cadavera flammis devorari, cineresque in *Ligeris* flumen, quod *Blesas* interluit, dispergi. Captus etiam Cardinalis *Borbonius*, nec non primogenitus *Guisii*, quem ad pilæ ludum intra arcem eo manè studio allexerat, atque haud diu post flumine de-

vectu

vectus cum omnibus captivis *Ambesium* pervenit, unde Cardilem *Borboniæ* sub securâ custodiâ, *Sellium* misit, ut ibi asservaretur, & *Guisii* filium *Turonem*, cæteros vero *Ambesii* relinquens, in præsentiâ *Blesos* reversus est. Regina Mater visâ hujus tragediæ catastrophe morbo correptâ paucos intra dies *Blesis* obiit, & tandem Rex *Turonem* sese contulit, visurus quid ulterius sibi esset agendum, convento ante dimisso, & merito, perturierat * enim, quod ejusdem prætextu expetierat. Verumtamen etiamsi revera Rex vindictâ, qua ardebat, animum explesset, nec sibi tamen, nec Regni saluti consuluit; ad tantum enim ubique locorum ventum est incendum, ut omnem excedat fidem. Regis titulus odioso Tyranni nomine fœdatus; depicti positi in templis fratres transfossi ad admirationem, & commiserationem; detestabantur illam cædem tanquam immane facinus, nec ferè quisquam fuit, quin rabie arderet, vindictamque exposceret. Itaque brevi inter unionem & Regem ad aperta arma ventum, quorum medio in furore Rex (ut loco dicetur) eandem subiens, quâ *Guisios* affecerat, fortunam, in cubiculo medios inter suos, & ipse trucidatus, unà secum *Valesiorum* antiquam stirpem turpiter extinxit prima Augusti 1589.

1586.

* *Forte*: obtinuerat.

XLIX. *Carolus Emanuel* Dux *Subaudiæ*, ubi vidit constitutum in Galliâ unionis fœdus de quâ supra, Regnumque omne intestinis seditionibus occupatum in præcipitium vergere, pulsus vasto suo ingenio, quo (non contentus propriâ fortunâ etiamsi magnâ) ad majora aspirabat, continuo aures arrigere; atque etiam tentare cœpit, an in turbidas illas aquas juxta tritum proverbium rete suum jaciendo, aliquid sibi lucri, ac utilitatis capere posset, ad *Guisium*que scribens, quidquid ad cœpta promovenda auxilii conferre posset, amicè obtulit. Et quamvis *Guisius* non eâ de re ad nutum ut speraverat respondisset, permansit tamen in instituto, omnesque occasiones explorabat, quibus aliquo modo desiderio suo satisfaceret; eoque tandem progressus est, ut 30. Octobris 1588. nocte, quæ festum omnium Sanctorum præcessit *Carmagnolam* (quæ est maximun munitissimumque in Marchionatu *Salucensi* Galliæ propugnaculum) repentinâ invasione absque ullâ cæde fœliciter occupaverit. Erant in eo plurima tormenta bellica, numerusque insuper immensus globorum, pulverisque bombar-

Dux Subaudiæ occupat Marchionatum Salucensem.

1586. bardici, ita ut ſecundum Galliæ armamentarium merito dici poſſet, cumque parata haberet, quæ ad occupandum armis Provinciam (in quâ erant nonnulla alia loca haud contemnenda) requirebantur, tanta in eo uſus eſt diligentia, ut totam breviſſimo temporis ſpatio in poteſtatem ſuam redegerit, quo de caſu non ſit hic mentio extra propoſitum, ſi enim dabitur ſeptimo huic commentario alios adjungere, varia ex hoc principio orta, & conſecuta dilucidius Lectori proponentur.

1587. L. In Belgio anno 1587. Galli præſidiarii arcis *Wauda* certo numerorum pretio illam *Parmenſi* dedidêre 17. Januarii *Daventriæ* etiam Præfectus *Stanlay* Anglus cum eodem gratis, & ſolâ Religionis Catholicæ cauſâ de deditione oppidi compoſuit, uti & 4. Julii, *Pattovius* Geldriæ Præfectus Schotus, diu ante rebus regiis ſecreto favens, præmio 30000. aureorum cum *Parmenſi* tranſegit. *Parmenſis* præterea *Scluſam* Flandricæ ditionis oppidum cum exercitu obſedit, quæ longa, & difficilis admodum obſidio, erat enim ob aquarum, quibus cingebatur copiam, munitiſſima; habet canalem, qui in mari influit ſatis longum; ſed non uſque adeo latum, qui civitatem alluens, efficit portum quondam capacem magnarum navium, totiuſque maritimi commercii illicem, quem fertur *Maximilianus* Imperator ejus nominis primus, ob maximas injurias à Brugenſibus acceptas, ſtudio ita obſtruxiſſe, ut profunditate perditâ Antverpiam commercium transferri fuerit neceſſe, derelictâ Brugâ, quæ tunc temporis erat maximum, & opulentiſſimum emporium. Ex portu emanabat canalis diſtantior à civitate, manente alio, qui ipſa civitatis mœnia perluebat, per quos vehuntur minoribus navigiis ea, quæ primum *Dammam*, ac inde *Brugam* tendunt: cumque paulo ultra civitatem per viciniorem eſſet perventum ad partem Flandriæ, habebat aggerem datâ opera diruptum, per quem inundabatur totius campi illius tractus, extructumque caſtellum ad oram diſciſſi aggeris civitatem verſus, uti etiam ad alteram partem civitatis erat ejuſdem alius ex mari veniens alveus, cujus agger etiam ruptus, totum & illud terræ ſpatium, aquis maritimis longè, latèque occupatum, unâ inundatione alteram excipiente, ut creſcente maris æſtu, mare ipſum videretur, & quamvis refluente mari aliqua terra appareret,

Reſtituitur Parmenſi Geldria & Daventria. Obſeſſio Sluſæ in Flandria.

reret, nunquam tamen erat tanta, nec tam ſicca, ut aliquo modo aditum pateretur. Habebat præterea arcem amplam, ac multorum militum, nec non omnium, quæ ad bellum erant neceſſaria capaciſſimam olim, & antiquo more ex magnis turribus muro, & propugnaculis lapideis tam ſolide conſtructam, ut non minus videretur eſſe munita, quam arces modernæ. Nullus itaque *Parmenſi* locus reliquus fuit, ubi exercitum collocare poſſet, quam pars ea terræ, quam *Caſſantam* vocant, & quidquid ſuperato primo illo maris canali, tendebat ad illos canales, per quos *Dammam*, & *Brugam* navigabatur, diſtrictuque eo, qui *Blankenbergham* verſus tendit, ipſumque pagum, qui ad mare eſt, poſtquam ejectis inde hoſtibus eundem ſibi vendicaſſet. Erat præterea omnis iſte tractus, qui *Parmenſi* patebat, omnino nudus, nulla nec minima quidem domus, nullæ arbores, nec aqua, quæ tantum non eſſet ſalſa, ita ut impoſſibile videretur poſſe ibi ſubſiſtere exercitum. Omnes tamen haſce difficultates vicit Ducis, ac militum virtus, unuſque ipſis, in ipſo ſtatim adventu fuit ſucceſſus, qui tanquam bonus nuntius, ſpem rei benè gerendæ inpoſterum ſummopere accendit. Cum enim appellerent ex alto non nullæ naves onuſtæ militibus Anglis, quos Ordines *Scluſam* mittebant firmandi illius præſidii cauſâ, Præfecto *Guilelmo*,* quem vocabant, Anglo, ſtrenuo viro, militiæque perito, intrantes intra canalem, a ſclopetariis regiis, ac muſquettariis, quos Hiſpani vocant, ex littore ita oppugnatæ fuêre, ut ob auguſtum canalis alveum, major pars ad dexteram vado inhæſerit, quo caſu, etiamſi miſſi milites terram adepti *Scluſam* ſalvi pervenerint, Regii tamen navibus potiti ſunt, quibuſcum, nec non aliis poſtea adjuti, exinde ita dominos ſeſe effecêre canalis, ut nemo unquam hoſtium, nec quicquam rerum civitati utilium eâ viâ intrare, aut exire potuerit, quod quidem ſi oppidum capiendum eſſet, in primis, & ante omnia erat neceſſarium. Conſtruxerant præterea hoſtes caſtellum extra civitatem, intra utroſque ſupradictos mediterraneos canales, ita ut ante ſe haberet unum, & à tergo alterum, & intra ſe portum loco foſſi, † eratque tam magnum, ut commode multos reciperet milites, habebatque domos ubi extra dium eſſent, quando non vacabant excubiis, idque eo conſilio, ut civitas

1587.

* *Hiſpanus deſcriptor nominum Anglicorum inſuetus male effert hominis nomen, quod eſt:* Rogerius Williams.

† *Lege:* foſſæ.

tas

1587. tas parum per se munita, tanto melius, diutiusque sustentari posset. *Parmensis* rebus omnibus bene exploratis, *Blanckenberghâ* captâ, ac equestri pedestrique milite satis munita, pontibusque in canalibus confectis, per spatium illud terræ, quod canalibus erat medium à longé obsidionis apparatum inchoare cœpit, data supremâ ejus rei curâ *Lamottio*, ipse enim *Cassantæ* ubi major erat pars exercitus stare decreverat. Quotidie tamen ad *Lamottii* munitiones, aliasque omnes advolans, * ac omni visu, præsentiâque suâ obiens, quo exactius, vigilantiusque omnia administrarentur. Progressus est in suo opere *Lamottius*, quâ potuit diligentiâ, & tandem sclopetto in sinistro pede ictus fuit, quâ de causâ, cum necesse esset *Brugam* deferri, ad ejus usque reditum *Parmensis Marchioni de Renty* ** id muneris imposuit, sed & ille post aliquot dies sclopetto in brachio dextro læsus fuit, leviter tamen ambo. † Perseveravit enim in opere faciendo Marchio: pauloque post *Lamottius* eo est reversus. Processerant vero jam tam longe, ut rectâ lineâ ulterius non liceret. Deflectentes itaque ad lævam castello imminere cœperunt. Erat illâ in viâ terreum ita humile, ac humiditati obnoxium, ut nullo modo ibi munitiones terreas (*trincheas* vocant) extrui possent, necesseque fuit uti defensionibus ligneis, compositis ex duplicibus tabulis unius pedis intervallo invicem distantibus, vacuoque illo spatio terræ oppleto, quibus artificiis tandem Regii ad castellum pervenêre, tum vero hinc inde ad cuniculos ventum, omniaque viriliter tentata, quæ ad destructionem unius, ac conservationem alterius attinére videbantur. *Carolus* ‡ etiam ex continenti tormentis aliquot bellicis illud quatiit, & nautæ maximo cum periculo attulêre pontem navigio impositum, per quem invadi à militibus castellum posset, sed utrumque frustra. Itaque *Carolus* cœpto destitit, & pons fuit revectus, verum continua Regiorum oppugnatio eo tandem hostem redegit, ut coactus fuerit castellum deserere, uti fecit intra civitatem tuto se recipiens incensis ante domibus, nihilque ibi relinquens, quod ullius esset momenti. *Parmensis* castello capto, ad occupandum id, quod constructum ad oram rupti aggeris supra diximus, quam primum animum vertit, erat enim omnino necessum illud capi, alioquin

* *Lego:* omnia visu, præsentiaque sua obibat. *Quamvis nec hæc sit accurata locutio.*

** Emmanuel de Lalaing, antea D. de Montigny dictus.

† *Atqui Strada ambos graviter sauciatos fuisse scribit. Mottæus certe ibi brachium amisit.*

‡ *Quis iste* Carolus, *de quo hactenus non meminit? Opinor,* Carolus Mansfeldius *qui Blanckenbergam intercepit.*

quin perdificile erat civitate potiri. Erat id quidem castellum exiguum, & parum munitum, nec præsidium, quod in eo erat ultra viginti milites, utpote, quod ultra 190. passus non aberat à civitate, & habebatur pro inaccessibili ob aquas, quæ aditum prohibebant, idcirco nil minus cogitabat hostis, quam illud posse invadi. Verum *Parmensis*, qui explorari curaverat per ipsum *Marchionem*, nec non *Augustinum de Herrera* an mari defluxo, posset aliquo modo superari tractus ille rupti aggeris, ac dictum castellum invadi: (&) certior factus fieri posse, nocte quadam *Petrum Mauricium* Præfectum Hispanum cum suæ cohortis militibus id tentare jussit, qui tam strenuè id aggressus est, ut cæsis, ac fugatis præsidiariis castellum cæperit. Et cum certo judicaretur, cum in civitate innotesceret occupatum esse illud castellum, é vestigio adfuturos, qui illud vi recuperare tentarent, providit ita tempestive *Parmensis*, missis eo quadringentis Hispanis, ut cum venissent, & quod constituerant strenuê tentassent, re infectâ regredi fuerint coacti. Postero vero die securitati illius loci sic est provisum, ut deinceps ejus perdendi omnis metus fuerit ademptus, ac exinde nullâ interpositâ morâ ad ipsius civitatis expugnationem *Parmensis* serio se accinxit. Construi curarat diu ante, *Brugis* ad latitudinem fluminis ejusdem partis, ponten super multa navigia valde industriè, ac artificiosè. Erat in medio navigiorum via duodenum pedum, & ad utrumque pontis latus murus ligneus, pontis longitudinis *, ejusque formæ, quâ antea dixi *trincbias* fuisse, dum castellum captum versus iretur, superata tunc fuit via aquatica. Nautæ hunc pontem nocte quadam etiamsi intra sclopeti ictum essent, hostisque ad impediendum, ne perficeretur, omnem adhiberet, operam, animosé tamen posuêre, atque ita deinceps liber ad milites, qui ibi agebant, patebat aditus. Decretum primò muri direptione civitatem tentandam, quæ fieri cœpta, eâ ipsâ in parte ad lævam portæ, quæ dicebatur *S. Crucis*, multis tormentis, maximâque violentiâ, videbaturque propè murum solo omnino esse æquatum, sed missi *Paragonius* Præfectus Hispanus, *Gonzalinus*, *Gyronius*, aliique duo exploratum, an commode fieri posset irruptio; retulit *Paragonius* sclopeto ictus, eam procul dubio ancipitem, maximique periculi fore.

1587.

* *Id est*: longus, quantum pons ipse. *Nihil enim aliud extrudere valeo.*

1587. Quâ re animadversâ, *Parmensis* in conservandis militum vitis, quando aliquomodo liceret, summopere sollicitus, ad cuniculos animum vertit, qui directi ad ipsam portam; externaque tandem ejus pars multo labore superata. Sed cum ulterius ventum esset, tunc primum maximum apparuit periculum, ac difficultas. Habebant hostes eâ in parte sub portâ subterraneam caveam, unde Regios ex occulto feriebant, in quo superando hæsum per aliquod tempus, sed tandem vicit omnia labor, virtusque militum, & ad mœnia usque perventum. *Lamottius* iterum ibi in sinistro brachio sclopeto ictus *Brugas* delatus, haud primum de vitâ periclitatus est, sed amputato brachio tandem convaluit. Hostilis classis ex plurimis compositis navibus variæ magnitudinis jam dudum constiterat in alto, non longe ab introitu primi canalis, speciem præ se ferens obsessis velle subvenire, sed nihil unquam tentavit. Tandem Dux *Excestrius* * cum bono peditum numero trajecit *Ostendam*, ac inde *Blanckenbergham* versus movit, quibus rebus cognitis, *Parmensis* continuo & ipse ex eâ parte ubi agebat, ad alteram venit cum majori exercitus parte, constititque eo in loco, per quem necesse erat transire *Excestrium*, si oppido subvenire vellet. Sed ille cognito *Parmensis* adventu, illico relicta *Blanckenberghâ* de reditu cogitare cœpit, posteroque summo mane *Ostendam* reversus est, quâ re ab obsessis intellecta, & ipsi de deditione agere cœperunt. Venit *Guilielmus* **, quem penes unum toto obsidionis tempore, rerum bellicarum in oppido erat administatio, nullâ authoritate antiquo Gubernatori † delatâ, & cum *Parmensi* de deditionis conditionibus transegit. Exière milites, & ex civibus, qui vellent cum bonis, armis, & vexillis, recuperataque Regi civitas 6. Augusti.

LI. Agebat Dux *Mayennæ* Lugduni ††, cum fratres *Blesis* essent extincti, jussitque continuo Rex, ut ibi comprehenderetur, sed diligentius illi, qui eum de successu fratrum ita tempestive certiorem fecère, ut tutò sese transferre potuerit in *Burgundiam*. Lugebat ille lamentabilem (ut par erat) ac indignum nimis fratrum interitum, sed nihil minus, quam de abjectione animi cogitans, ex damno, atque injuriâ acceptâ, multum ei fiduciæ, ac spiritus accrevit, noluitque unioni deesse, quam ipse construxerat, nec frater vindictæ fratrum obli-

* *Lege*: Leycestrius.

** Williams.

† Arnoldo van Groenevelt.

†† *Quæ hoc articulo narrantur, confusa perturbataque sunt; depravatis tam personarum quam locorum nominibus, & permixtis nimis temporibus. Frustra hac adjectis scholiis illustrare conabor. Videatur* Maimb. Hist. de la Ligue.

oblivisci. Itaque quâ potuit vigilantiâ, ac diligentiâ ad res unionis exinde suo unius auspicio, ductuque administrandas, sese accinxit. Erat *Blesis* tempore cædis, arcis *Chalonensis* Præfectus, qui eo magnis itineribus proficisci jussus, uti præcaveret, ne quid se absente in damnum Regis arci accideret. Sed fuit vigilantior Dux, qui jam illam arcem in potestatem suam redegerat, ac inde ad centrum Provinciæ, cujus erat Gubernator, & ubi maximâ pollebat authoritate, penetrans, omnium animos, ita ad se attraxit, ut nulla fere fuerit civitas, nullus civitatum arciumque Præfectus, nec quisquam ex primariis, qui ejusdem partes sequi, ac fovére non decreverit. Venêre præterea ex omnibus undique Regni Provinciis, ac confœderatis nuncii affirmantes, omnes constantes fore, & promittentes insuper auxilia. Nec ulla fuit civitas ante *Blesensem* cædem unioni addicta, quæ non ardentius, quam unquam, ad omnia se tunc offerret, & ad quidvis obeundum paratam se exhiberet. Ante omnes *Lutetia*, quæ sicut fuerat unionis constructrix, & eousque præcipua conservatrix, incredibili ardore ulteriorem ejusdem conservationem amplexa est, in quo nec defuêre summi Senatus, Financiarumque (ut vocant) tribunalia. Et ut unio deinceps tanquam Respublica debitam in gubernando haberet formam, communibus elegêre votis *Dumeneum* * in Gubernatorem generalem regni Galliæ, omnemque ad id necessariam authoritatem ei detulêre. Qui simul atque in *Burgundiam* venit, misit ad *Parmensem*, qui *Philippi* suppetias, sicut in unione erat conventum peteret, in quo plenè ei fuit satisfactum. Immo misit ad eum *Parmensis*, qui casum *Blesensem* condolens, de *Philippi* constantiâ, optimâque erga eum voluntate certiorem faceret; ad componendum etiam equestrem pedestremque exercitum, celeriter animum vertit. Sciebat enim omnium spem, ac salutem solum in armis esse positam, & non contentus regni incolis, *Otthoni Henrico* ex Ducibus *Brunsvicensibus*, *Bassumpeio* † binisque aliis Germanis, 4000. equitum, *Fisero*, ac alii cuidam Præfecto ex *Helvetiis*, 6000. peditum, & *Comiti de Colalto* legionem Germanorum peditum-nam, conducendi, curam dedit. Stabat pro Rege tempore *Blesianæ* cædis *Aurelia*, urbs satis magna, & potens ad ripam *Ligeris* fluvii sita, & non ita longe *Blesis* distans, habensque arcem,

1587.

* *Lege*: Ducem Mayennæ.

† Bassompiero. *Christofle de Bassompiere*.

1587. arcem, sed exiguam, quæ operâ *Bossuii* civis a parte uxoris, & *Blesis* ad conventum inter alios ab urbe deputati, qui *Guisiis* omnino erat addictus, eoque summâ celeritate peractâ cæde advolaverat, unionis partes secuta est. Cumque id parum prodesset, nisi & arce potirentur, etiamsi illico eò missæ forent regiæ copiæ ad reprimendam fœderatorum audaciam, accinxêre tamen sese non solum ad sui defensionem, sed ad ipsius arcis occupationem tam strenuè, ut adventante multis post diebus *Dumenæo* cum solo subsidio Gallico, tandem eandem in potestatem suam redegerit, successu procul dubio Regi non minus incommodo, quam *Dumenæo*, & unioni utili; diligentia enim, quâ civitati ad extremam inopiam redactæ subvenire curaverat, unionis partibus, ejusdemque authoritati, plurimum fiduciæ, ac roboris addidit. Profectus est inde *Turones*, sed magis ad ostentationem, quam spe captâ promovendi, debilior enim erat exercitus, ejusdemque necessarius ad invadendum, debellandumque apparatus, quam ut eo civitas magna flumine divisa capi posset, ubique Rex ipse præsidio corporis ordinario munitus agebat. Itaque post aliquot dimicationes parvi momenti, deflectens ad dexteram, fines *Normaniæ* versus movit, multaque in itinere mediterranea oppida non munita, tunc temporis ad unionis partes attraxit, ac tandem *Lutetiam* se contulit, ubi omnia confusim agebantur, proculque dubio summopere necessaria erat ejus præsentia. Occurrerat eò illico post cædem Blesensem Dux *Aumalius*, summumque imperium *Dumunæi* jussu in se susceperat. Sed chaos illud alia petebat remedia, eoque magis, quod res contra *Senlium* * tentatæ sinistrè successissent. Est oppidum non usque adeo magnum, attamen *Lutetiæ* propinquum, & adhærebat unioni, uti etiam alia ejusdem tractus. Hoc Dominus *De Torres* ** ex *Mommorantiorum* antiquo stemmate, qui magnæ ibi erat authoritatis, inopinatè occupaverat (&) ad regias partes reduxerat, quod non parum incommodi *Lutetiæ* adferret; Decrevit *Aumalus*, totaque civitas armis recuperandum esse. Confectæ itaque magnæ equitum, peditumque copiæ ex civibus; dena tormenta muralia cum necessario apparatu, *Lutetiæ*, inque finitimis Picardiæ civitatibus, præparata eoque adducta. Venit & *Cameraco Balagnius* † cum nonnullo milite; cumque exercitus esset constructus,

* Senlis.

** Guilleaume de Montmorency, Seigneur de Thoré.

† Balagny.

structus, *Aumalus* oppidum obsidione cinxit, continuaque muri demolitione, ac ruinâ eò redegit, ut de deditione faciendâ cogitaret. Sed adfuit inopinatè *Lanouius* *, qui diu ante in Belgio libertati restitutus fuerat, copiasque, quam plurimum potuerat ex *Champaniæ* civitatibus pro Rege stantibus *Esdanno* †, atque aliunde contraxerat, quibuscum, ac tribus tormentis bellicis, tanta arte, ac industriâ hostem obsidioni intentum invasit, ut in fugam potius, quam prælium (uti solent milites novi, opificio, non armis assueti) viso *Lanovio* sese conjecerint. Brevi oppidum periculo liberatum, multi obsidientium cæsi, tormentaque bellica, eorumque apparatus, militumque impedimenta in potestatem hostium venêre. Quo infælici successu, etiamsi *Lutetiæ* securitatis nil detraheretur, nihilominus, cum eumdem tamquam præsentem vidissent, potuisset facile casus inopinatus civitatem commovisse, ad mutationem aliquam unioni contrariam, nisi adfuisset illico, qui astutiâ, vigilantiâ ac authoritate eandem ad fidem, & constantiam fœderatorum animos confirmare scivisset. Fuitque cumprimis in re militari, unioni funestum illud *Senlii* infortunium, & tanquam præsagium futuri interitus, nihil enim exinde ejusdem sequaces armis propriis tentarunt, quod non infæliciter successerit, donec tandem omnino evanuit. 1587.

* La Noüe.

† Sedan.

LII. In Belgio anno 88. civitas *Bonna* quatuor milliaribus supra *Coloniam* ad Rhenum sita, Electoris *Coloniensis* ditio, quam occupaverant Hollandi, *Parmensis* copiis, quæ eam oppugnabant, sese dedidit 14. Decembris, obiitque in eâ obsidione, dum munitionem quandam exploratum iret, Muscetto ictus *Joannes Baptista Tassis* Germanicæ legionis Præfectus, vir strenuus, & insignis miles. 1588.

LIII. Apparuerat mense præcedenti tractu illo maris, qui est inter *Caletum*, & *Dunkerkam*, classis Hispanica valde potens, quâ Angliam invadere decreverat *Philippus*, quod cum extiterit ex maximis nostræ ætatis accidentibus, non immerito aliquanto prolixius de eo agetur. *Elisabetha* Anglicæ Regina *Philippo* non minus vitam ipsam, atque animam debebat. Cum enim pervenisset ad regnum *Maria*, *Henrici* Octavi ex *Catharinâ* Catholicorum Regum filia, proles unica, ac Regni hæres legitima, & *Elisabetham*, patris ex *Anna Bolenna* filiam spuriam, multis de causis captivam teneret, mortisque

Narratio expeditionis in Angliam anni 1588.

1588. tisque supplicio afficere vellet, & jure posset, *Philippus* tunc temporis *Mariæ* matrimonio conjunctus, haud insciâ *Elisabethâ* apud uxorem pro eâ intercessit, ut solo mariti respectu, vitam ei concesserit; sic ut defunctâ haud diu post *Mariâ*, Regnum sibi potuerit vindicare, eodemque fuerit potita. Dignum revera, æternâ gratitudine beneficium. Sed *Elisabethâ* hæreseos veneno (quæ neglecto honesto, solum quærit utile) omnino imbuta, immemor eorum quæ acciderant, primâ oblatâ occasione res *Philippi* summo studio, atque odio lacessere cœpit, & sicut orto in Galliâ, paulo post confectam cum *Philippo* pacem, contra Hugonottos bello, eis favere cœperat, sic confirmatâ in Belgio ab *Auraico* rebellione, eandem favére non desierat, multis progressu temporis quæsitis, adhibitisque modis, quibus obstinata staret, *Philippus*que sumptibus, ac molestiis involveretur. Denique, & ad apertum etiam bellum eidem inferendum animum verterat, ac exinde mari, terrâque innumerabilibus damnis ac molestiis affecerat, indiesque afficiebat. Quod cum *Philippus*, nec honesti consideratione, nec rerum suarum necessariâ utilitate diu tolerare posset, & ipse ad ulciscendas tam graves injurias citra causam illatas, tantaque damna a se arcenda, Reginæ bellum inferre statuerat. Cum Gallia internis motibus plena, ea in re obstaculo sibi esse non poterat, uti quieta facere potuisset, fecissetque procul dubio evidentes satis ob causas, nempe ne Anglia aliis tam opulentis Hispaniæ regnis annexa, Regem illum tantâ vicini regni accessione Galliæ formidabilem redderet. Quæ consideratio antiquitus in consiliis amborum Regum semper habita fuit, ut quotiescumque alterum eorum Angliam invadendi cupido incessit, alteri id, quibus posset viribus impedire necessarium visum fuerit. Quod nec ignoraverat *Philippus*, nec forsitan id ex minimis unionis Gallicæ confectionis causis exstitit. Erat res cumprimis ardua, cum habeat Anglia mare satis angustum, & navigatu periculosum, & sit terra accessu difficilis, debilioribus in partibus bene munita defensoribus, dives navium bellicarum, nautarum, hominumque rei maritimæ peritissimorum abundans atque opulenta, & sui maris domina. Quâ de caussâ *Philippus* rem tanti momenti aggredi volens, mature, ac pedetentim de eâ expeditione agens, *Parmensis* senten-

tentiam eâ de re ſcire cupiebat, qui in Hiſpaniam ſecreto miſit *Joannem Baptiſtam Prata*, Italum, inſignem (ut vocant) ingeniarium, ut eum de omnibus quæ ſuper re tanta occurrerent, ſuo nomine plenè doceret. Erant ad eam expeditionem neceſſaria duo: claſſis tam potens ut Anglica, quamvis & ipſa talis, Hiſpanicæ tamen cedere cogeretur, nec non exercitus potens, omni ad offendendum apparatu optime inſtructus. Quâ claſſe ad terram inimicam delatus in eam exponeretur, ibique ejuſdem favore ſecure belligeraret, ita ut nil quod ab externis partibus advehi foret neceſſe, defici poſſit. Habebat præterea illa expeditio aliam longe maximam difficultatem, quod ob *Hollandiam*, ac *Zelandiam* a rebellibus occupatam, nullus erat *Philippo* in Belgio fidus portus, quo ſe recipere poſſet veniens Hiſpanica claſſis, ita ut cogeretur in ipſo adventu, receptum in ipſâ hoſtili terrâ quærere. Sed nec hæc, nec aliæ difficultates quæ plurimæ erant; *Philippum* ab inſtituto retrahere potuêre, quin ad executionem pergeret. Conſtruxit itaque claſſem *Ulixbonæ* valde copioſam, ex plurimis roſtratis navibus vaſtæ magnitudinis, aliiſque minoribus, eandemque abunde inſtruxit omnibus rebus, quæ ad tantam expeditionem eſſent neceſſariæ, impoſuitque, cum profectionis adeſſet tempus, ingentem militum numerum, ita ut cum nautis non eſſent infra XXII millia, decrevitque *Marchionem S. Crucis* claſſi præficere. Sed cum ille ante profectionem *Vlisbonæ* febri acuta correptus obiiſſet, idipſum munus in *Ducem Meduinæ* * *Sidoniæ* tranſtulit: exercitum vero terreſtrem *Duci Parmenſi* commendavit, eo conſilio, ut cum adventaſſet claſſis, ac conſtitiſſet in *Morgat*, qui eſt prope *Dormiram* diſtrictus maris quietus, portumque efficit ſatis ſecurum, trajiceret *Parmenſis* cum navigiis: qui in eum finem præparaſſet exercitum, quem ad bellum terreſtre conſtrui juſſerat, in quo erant equitum, & peditum ter dena millia, perſuaſus uno, eodemque tempore, utrumque fieri poſſe. In quo conſtitit error, qui ſolus tantam claſſis molem, tantoque impendio, ſumptuque conſtructam, unius horæ ſpatio vanam, irritamque reddidit; Regnum Angliæ prope ſibi diffidens à ſummo periculo, ac metu liberavit. Fieri enim non poterat, unâ eademque aurâ adventare Hiſpanicam claſſem, & ſolvere *Dun-*

1588.

* *Medinæ.*

1588. *kerkâ* navigia præparata ad *Parmensis* trajectionem, ita ut utriusque commodo votisque ea simul inserviret. Itaque cum ob molem, ac magnitudinem navium nullo modo posset se classis Hispanica recipere *Dunkerkam*, & ad reditum, eâ, quâ venerat viâ, contraria obstaret aura, coacta fuit quærere *Schotiam*, ipsasque *Orcades*, & *Hiberniam* superare, atque sic longa, difficili, periculosa, & non consueta navigatione Hispaniam petere. Periêre in itinere cum omnibus vectoribus multæ naves, nautis, ac militibus * aliquarum contigit in Scotia, ac Hibernia salutem adipisci. *Dux Medinæ S. Laretum* † tandem cum reliquiis infaustæ classis appulit. Fuerant complures in Hispania rei bellicæ, maritimæque scientiâ experti viri, qui suaserant tentandam invasionem extra fretum, Brittannicum vulgo canalem, & nequaquam freto illo angusto classem committendam, sed prævaluit Principis sententia. Cæterum nec classis Hispanica, cum inter *Caletum* & *Douvram* in anchoris staret, invenit satis paratum *Parmensem*, ad trajectionem: major enim navigiorum pars, quibus trajicere cogitarat, erat ex iis, quæ binis tantum, ac tribus nautis fluminibus inserviebant intra terram, inepta, ac imbecillia omnino ad usum maris, ita ut videretur potius factus eorumdem apparatus obsequii ergo, quam quod revera crederet *Parmensis* venturam eo Hispanicam classem, Regemque in eâ sententiâ permansurum. Acciderat præterea, quod cum tamdiu hæsisset *Philippus*, in apparandâ, ac construendâ classe, Angli vires non contemnendas, ad maris terræque damna evitanda compararant, composito exercitu, qui terram defenderet, & confectâ classe Duce *Francisco Dracque* militiæ maritimæ scientiâ clarissimo, quacum Hispanicam in ipso aditu freti Brittanici, maximè lacessivit, vexavitque impunè, propterea, quod essent Angliæ naves minores, eamque ob causam agiliores ad insequendum, & fugiendum. Fertur oblata classi Hispanicæ statum in ipso freti Brittannici ingressu opportuna valde rei bene gerendæ occasio. Constiterat classis Anglica in portu *Plimuti* ibi propinquo, censebantque complures ex præcipuis Hispanicæ classis Præfectis, hostilem classem ibi esse invadendam, prout actu haud esse difficile judicabant spe certâ fælicis successus: sed Imperator suo proposito, ac scopo intentus, sistendi scilicet, quam cellerrimè posset,

* *Sensus biulcus, quem supplere nequeo.*

† *Ad Sanctandreanum veteris Castellæ portum appulsum scribit* Strada. *Cæterum hæc narratio imperfecta est, minimeque accurata.*

posset, classem inter strictum *Douvre*, & *Caletii*, quo trajiceret 1588.
Parmensis, fortunam tentari noluit. Accidit denique Hispaniæ eam ipsam ob causam in illo freto aliud incommodum non leve: una magnarum navium, ob malum diruptum, reliquas consequi non poterat, cui a classe subveniri debebat, donec ei incommodo esset provisum, sed & hoc neglectum, ita ut navis derelicta in potestatem Anglorum venerit. Brevi in illâ navigatione omnia fuêre infaustissima, fuitque procul dubio casus atque eventus hujus expeditionis funestissimus, ac deploratu dignus, qualem vix unquam Hispania passa fuit.

LIV. *Henricus*, ubi animadvertit, quantum *Blesiana* vindicta parturiisset incendium, & ipse exercitum Regium, quo potuit studio ac celeritate collegit, bonamque manum Helvetiorum peditum nec non aliquot equitum Germanorum millia conduci jussit, vocato ad se *Henrico Navarræ* Rege, ut unà secum ad reprimendos eos, qui eum de successione depellere studebant, laboraret: cui ille lubens assensit, adductis sexcentis equitibus, & legione unâ peditum ex hæreticis. Advenerat jam annus 89: cumque jam satis ad bellum esset 1589.
instructus, *Sequanam* versus cum exercitu movit, ac tandem trajecto flumine per oppidum *Me* . . . . . quod ipsius sequebatur partes, *Pontoysam* invasit, postque multam muri ruinam, ad deditionem coëgit; cumque præcipuus ejus esset scopus recuperare *Lutetiam*, venit ad *Sanctum Clodovicum*, qui est pagus duobus tantummodo milliaribus *Lutetia* distans, ubique in delitiosâ *Hieronimi Gondii* domo consedit. Erant Lutetiæ plurimi, qui Regi adhærebant, & quicquid furore possent, moliebantur; ut tandem eâ potiretur. Econtra fœderati, præterquam, quod esset corpus civitatis ejus dispositionis, ut nihil, quod Regium saperet, ibi publicè sonaret, summâ utebantur vigilantiâ, ne sinistri quid per secretos regios fautores Reipublicæ accidere posset. Vigilabat *Dumenæus*, habebat copias aliquot Gallorum, nondum enim adventarant exteræ, quas expectabat. Concionatores, continuis prædicationibus, cædisque *Blesianæ* memoria populum ad constantiam accendebant, & erat nemo ex unionis sequacibus præcipue ex illis, qui multum sese immiscuerant, quin nocte dieque etiam sine respectu propriæ salutis (quam certo sciebant summe versari in discrimine; si Rex civitatem occupa-

1589. cuparet) omni arte, ac viribus ejusdem conservationi studeret: tractu tamen temporis nihil obfuisset, quin tandem Rex voto fuisset potitus. Est enim nomen Regium mirificæ existimationis ac momenti apud Gallos, ejusdemque præsentia, assiduæ repræsentationes, sollicitationes, & promissa procul dubio paulatim plurimorum subditorum pertinaciam emolissent, uti nec dubitatur, quin post receptam urbem summa ejusdem in eam fuisset animadversio. Sed accidit inopinatus casus, qui eandem periculo liberavit. Erat in cœnobio *Divi Dominici* Monachus quidam viginti trium annorum, nomine *Clemens* *, civis *Parisiensis*, nondum initiatus sacris, certo credens *Henricum*, tyranni titulo justè notari, volens, etiamsi propriâ morte, patriam salvam admirabili zelo atque effectu, *Henricum* e medio tollere secreto secum statuit. Adiit quemdam regium fautorem, simulansque se quoque Regi favére, paratum sese præbuit eundem adire, & fideliter litteras, quas vellet ei tradere. Credidit ille, & litteras stricte complicatas ei tradidit, *Clemens*que cultrum, quo propositum perficeret, emit, eumque in manica cucullæ abscondit. His instructus ivit *S. Clodovicum* nocte quadam cum procuratore quodam Regio, mentis Monachi omnino ignaro, manèque Regiam intravit. Erat tunc temporis Rex in cubiculo secreto ad necessaria naturæ officia exequenda, indicatur Monacho à cubiculariis, ut expectaret; respondit tam magna, arduaque esse, quæ adferret, eorumque tantum Regi interesse, ut moram nullam admitterent. Itaque tandem Rex pulsus desiderio sciendi, quæ ferret, jussit Monachum intromitti qui Regi litteras tradidit, ac deinde interrogatis regiis aptè respondit, & tandem surgente Rege, calceis dimissis occasioni non defuit, cultrumque, quem in manicâ absconderat, tam dextrè eduxit, ut licuerit eundem in Regis inferiorem ventriculum penitus adigere. Exclamavit Rex, advolarunt cubicularii, cumque vidissent, quæ accidissent, Monachum trucidarunt, Rexque ad stratum delatus, non amplius viginti, aut circiter horis supervixit: erat enim lethale vulnus, atque extra omnem remedii spem. Fertur *Clemens*, antequam id facinus certo susciperet, Priori suo intentionem suam declarasse, & an juste liceret tyrannum occidere interrogasse, nec non ante perfectionem peccata ei confessum fuisse, Sacramque sumpsisse

* Jacques Clement.

Rex Galliæ trucidatur.

sumpsisse synaxim, Prioremque approbasse. Cujus veritatis magnum postea apparuit indicium, cum diu post, nescio quo in loco, à Regis successoris fautoribus captus, Senatus *Turonensi* sententiâ, ibidem loco *Parisiensis* instituti *, tamquam illius criminis convictus condemnatus, equisque in diversa actis divulsus fuit. Præter eum & alios quosdam suspectos habuêre tanquam hujus facti conscios. Cæterum casus hic ex mirabilibus extitit, quos unquam vidit Respublica Christiana. Quam mirabilia, ac inscrutabilia sunt judicia tua Domine! unio *Henricum* etiamsi vitiis deditum, attamen professione Catholicum extinxit, & illum in cujus exitium fuerat constructa, & quem propterea quod hæreticus esset regno in perpetuum excludere decreverat, Hæreticum cito ad regni successionem adduxit. Accidit hoc, ut ante dictum primâ Augusti anno 89. 1589.

** Novitiatum intelligit.*

Consideratio super universo Ligæ scopo, notatu digna.

LV. *Henricus*, quem deinceps *quartum* dicemus, etiamsi diu post † Regi Galliæ titulus ei à quamplurimis attributus non fuerit, statim post obitum *Henrici tertii*, quam maximam potuit adhibuit operam ad Catholicorum, qui in castris erant captandam benevolentiam, petito sex mensium spatio, ut instrueretur in fide Catholicâ. Brevi hisce, similibusque artificiis, sagacibusque modis tantum profecit, ut nemo omnium fuerit, quin pro Rege legitimo eum agnosceret, eandemque quam Regi mortuo fidem promitteret, & promptum ad quicquid ulterius tentare vellet, exhiberet.

† Vitiosissima oratio, quam frustra corrigas.

LVI. Cæterum, cum satis ei esset compertum, nullam tunc recuperandæ *Lutitiæ* spem superesse, tandem misso cum parte copiarum *Duce de Longuevile* in Picardiam, & Campaniam, cum aliâ *Mareschalio Birone*, ubi alerentur, ipse paulo post *Deipam* cum reliquo exercitu profectus est. Adventarant jam tunc *Dumenæo* externæ copiæ, quas expectabat: itaque & ipse eo versus movit. Petierat à *Parmensi* aliquot sibi mitti copias ex veteranis Belgii militibus, quo securius, faciliusque hostem superare posset, cujus petitioni *Parmensis* neutiquam assensit: certus nihil hostile propriis viribus in Galliam moliri, pacemque publico actu, ex suo solius nutu, atque arbitrio non infringere absque expresso *Philippi* imperio. Interea tamen misit ad fines Arthesiæ *Duce Lamottio* satis bonam militum manum, hoc prætextu, quod conveniens esset Princi-

Dux Parmensis non mittit Duci Mayennæ auxilia, ne pacem rumpat cum Francia sine Regis mandato. Constituit copias ad limites Belgii ad animandum Ligæ asseclas.

cipi-

1589. cipibus, nec non consuetudo ab omni ævo obtinuisset, cum vicinus non longe abest cum exercitu, etiamsi nullum præbeat signum hostilitatis, armatum sese in propriis finibus ostendere, ne neglectâ hujusmodi præventione, facilitas alterius fines invadendi invitet, provocetque armatum ad ea, quæ ante non cogitabat. Estque quoad imperia procul dubio res ita necessaria conservationis securitas, ut non sit, qui in simili occasione non posset, ac debeat tempestive sibi cavére. Præterquam quod & *Dumenæo* ea præventione accedebat non parum commodi: hostis enim ignarus eorum, quæ *Parmensis* moliretur cum illis copiis, præterea considerans eum, quotiescumque vellet, & necessitas postularet, posse cum *Dumenæo* conjungi, cogebatur pede magis lento ac sollicito in eum invehi, & reddebantur *Dumenæi* copiæ (quod crederent non longe abesse amica auxilia) ad pugnam promptiores, ac alacriores. Hæc tamen omnia non profuère. *Dumenæus* quidem propè *Diepam* castra est metatus, ibique constitit per aliquot dies, & quicquid strenuum Ducem deceret animose præstitit. Sed *Henricus* adeo sese aggeribus extructis in pago *Argne* vulgo dicto, *Diepæ* propinquo munierat, erantque tam inter se propinqui *Longuevilius*, & *Bironius* cum copiis, quas secum habebant, evocati ab *Henrico*, ut nullâ utili executione obtentâ, ab *Henrici* ulteriori persecutione eo anno desistere, & exercitum tandem circa *Lutetiam* in hyberna ducere fuit coactus. Antequam inde *Diepam* versus proficisceretur, egerat cum *Moreo* de pecuniâ, quâ aleretur exercitus. Ille eâ de causâ ad *Parmensem* se contulerat, qui reversus ab aquis *Spadanis*, *Binchii* agebat, ad quem in eundem etiam finem miserat paulo post *Dumenæus* Dominum *De Granmont* quibus sollicitationibus (etiamsi jam plus, quam in ullum usque diem unioni ex fœdere *Philippus* erat obstrictus, ab ipso fuerat erogatum) tandem tamen, ne nimio pondere ob ægestatem corrueret, collecta Antverpiæ coronatorum trecenta millia, quibuscum *Moreus* reverti debebat in Galliam. Sciebat hæc omnia *Tassius*, qui summopere expetebat aliquam sibi occasionem offerri, adeundi Hispaniam, ut finem rationum pecuniæ publicæ, Legationis Gallicæ tempore dispensatæ, quem absens nunquam obtinere potuerat, præsens sollicitare posset, nec non de renuntiando munere summi Quæstoris, quod

quod sub *Parmensi* invitè administrabat, ageret. Quam ob rem *Moreum* rogavit, eam operam sibi præstaret, neve occasionem, si qua daretur, negligeret. Ille vero sollicitus de rebus Gallicis obscuris adhuc, & incertis, suoque non adeo ingenio fidens, quin plurimum referre intelligeret, habere aliquem, qui qualis earum versus esset status, quidque spei promitterent una secum exploraret. Præterea cum non bene inter eumdem, & *Bernardinum* Legatum conveniret, forsitan & hoc eum impulit, ut habere socium expeteret, cujus auxilio imperium ejusdem aliquo modo refrenaret; *Parmensi* persuasit mittere *Tassium* secum Lutetiam, ut sic cum reverteretur, plenè, ac verè de omnibus instrui posset. Quod cum non absurdum *Parmensi* videretur, *Tassio* jussit, uti cum *Moreo* pecuniam (cujus supra mentio facta) afferente, *Lutetiam* se conferet. Quo cum venissent mense Novembri dicti anni a *Bernardino* Legato humaniter hospitio fuère excepti; non enim fuisset rationi consentaneum, ob aliquam privatam simultatem, publicis tunc temporis nocere rebus, publicâ discordiæ demonstratione. Itaque amice inter eos omnia acta, manseruntque *Moreus* & *Tassius* per aliquot dies apud eumdem Legatum, donec tandem, ne nimis amico essent oneri; alias sibi ædes conduxêre.

1589.

Dux Parmensis mittit per Tassium & Moreum 300 Coronat. millia Duci Mayennæ.

LVII. Anno 89. nihil in Belgio memoratu dignum à *Parmensi* gestum nisi recuperatio *Divæ Gertrudæ Berguæ*, idque hoc modo. Erant in eo oppido, diuque fuerant in præsidio, tres equitum turmæ, confectæ ex incolis, viri continuo belli armorumque usu exercitatissimi, quibus erat moris continuis in Brabantiam excursionibus vacare; deprædationibusque non tantum victum, & amictum (ut ajunt) verum etiam divitias abundè sibi comparare, ita ut ad exactam oppidi custodiam, nihil illis obstaret neglecta stipendiorum solutio. Eo tamen vitæ genere ita dominium civitatis sibi applicaverant, ut cum ejus loci Dominus, *Comes Mauritius* eos inde vellet excedere, ausi fuerint variis subterfugiis Principem illudere; unde ille commotus, primum minis agere, tandem & ad arma animum vertit, vique eos ad obedientiam compellere decrevit. Quibus rebus animadversis, misêre ad *Parmensem*, qui ei nuntiarent, sese paratos Regi civitatem dedere, si præterita qualiacumque forent in Regem commissa condonaret,

1589. *Dux Parmensis Gertrudenbergam acquirit, quam dum committit Gubernatori Bredano, utrumqae oppidum amittit.*

turmas Regiæ militiæ novo juramento inscribi permitteret, & quicquid sibi stipendiorum causa debebatur, solveret. Placuit *Parmensi* conditio: erat enim locus maximi momenti: itaque e vestigio remisit nuntium, qui illis suo nomine certo promitteret sese omnia facturum, quæ vellent; pauloque post, & ipse *Bredam* est reversus, binis non amplius miliaribus *Gertrudenberghα* distantem, ut sic commodius, citiusque tractatio ad optatum finem duci posset. Brevi cum eò venisset, ita cum præsidiariis egit, ut plenè satisfacti de omnibus, quæ petierant, civitatem dederint, quod procul dubio rebus regiis commodissimè evenit. Et quamvis soluta stipendia sexaginta millia aureorum summam excederent, immensis tamen commodis, quæ ex eâ civitate percipi potuissent, neutiquam erant comparanda, nisi post, ob creditam civitatem Præfecto, qui Bredæ præerat, cui nomen *Lanchiæ Vechia*, * Alexandriâ, Mediolanensis ditionis civitate oriundo, nobili, & satis famoso militi. Filius ejusdem absente patre ibi adeo negligenter se gessit, ut occasionem hostibus dederit solo stratagemate, impunè, absque ullâ suorum cædè *Bredam* in potestatem suam redigere, & tandem ipsam *Gertrudenbergham* longâ obsidione recuperare, uti suo loco, si dabitur tempus, latius dicetur. *Parmensis* re bene gestâ, præsidio sufficienti civitati imposito, unde venerat reversus est. Cœperat dum adhuc *Bredæ* esset, fatigari hydrope: ubi vero Bruxellam venit, tam graviter eâ laborare perrexit, ut vitâ periclitari videretur. Quam ob rem ad aquas *Spadanas* sese contulit.

* Odoardus Lanceavecchia.

Proprietates fontis Spadani.

LVIII. Est in territorio *Leodiensi* pagus ad radicem montis, vulgo *Spa* vocatus. Hic habet vicinam sylvam, cujus in introitu est fons satis uber, semper fluens; habetque pagus alium ejusdem naturæ, excepto, quod ille, qui in pago est, videtur rudior, nec tantæ tenuitatis ut alter. Plures, qui scrutati sunt naturam aquæ, asseverant ex ferro rubro, sulphure ac multo vitriole, ut vocant, eam sibi qualitatem acquirere, dum labendo perluit illa mineralia, estque sapor tanquam atramentalis, & nisi assuetudine, palato parum gratus. Cœterum aqua est limpidissima, adeoque frigida, ut ore vix contineri queat. Prodest multis infirmitatibus, & quod magis mirandum, morbos curat inter se contrarios, ita ut conveniat calidioribus æque ac frigidioribus. Nonnum

tempus

tempus utendi est ab initio Maji ad finem usque Augusti, 1589.
iisque mensibus magnus est ibi diversarum nationum concursus. Utendi modus hic est. Ante earum usum præparantur affecta corpora purgationibus, deinde eunt quotidie primâ diei luce egroti pedites, si possint fere omnes ad fontem nemoris, ubi moris est adesse mulierculas, cum vasis vitreis, sex, septem, octo, novem, ac decem unciarum, & amplius. Adfert secum ægrotus capsulam, cum sacharo condito cum aniso, & coriandro, petit ab illis mulierculis vasculum ejus, quam vult magnitudinis, impletumque ebibit, statimque sumit aliquantum dicti sachari, datque se ad deambulationem, quâ digeretur aqua, & excitatur urinæ ejectio. Deinde redit ad secundum haustum, atque sic vicissim ad alios, donec ebiberit eam quantitatem unciarum, quam Medicus præscripserit, aut per se sibi convenire intelligit. Qui bono methodo uti volunt a parva mensurâ incipiunt, indiesque potionem adaugent usque ad dimidium temporis, quo eo potu uti statuerint, qui aliis est triginta dierum, aliis sex hebdommadum, aut duorum mensium, imo & aliquibus trium. Et a medio illo tempore usque ad finem, æquali utuntur dimunitione, & quidam sumunt usque ad uncias centum, alii ad centum & quadraginta, alii ad ducentas, nonnulli etiam ad trecentas secundum utilitatem, quam sentiunt, aut spem convalescendi, quam sibi proponunt. Exercitantur deambulatione sumptâ aquâ usque ad prandium, ad quod non accedunt, donec eandem saltem majori ex parte ejecerint. Nullus ciborum delectus, dummodo sint nec gravis, nec duræ concoctionis, neque esu etiam piscium abstinent, potusque est vinum, aut cerevisia, aut utrumque ad cujusque palatum. Quod ante prandium, quisque consuevit bibere, horâ quartâ pomeridianâ dimidiam ejus partem repetit, idque tam in sumptione aquæ quæ est in pago, quam alterâ. Matutino potissimum tempore operatur & plerumque per urinas, aliquoties per alvi dejectionem, & sudorem sed primum ægrotis magis prodest, visæque ibi sæpenumero magnarum, imo desperatarum infirmitatum curationes stupendæ, quarum non infima merito narrabitur ea, quam hoc anno adeptus fuit *Parmensis*, qui cum eo venisset hydropicus ferè omnino confirmatus ex tympanite, & instar utris aquâ repleti inflatus, trium mensium spatio ad ta-

1589. lem corporis habitum rediit, ut triennium adhuc supervixerit, præclarasque aliquot bellicas expeditiones summâ cum laude peregerit, majora forsitan adhuc præstiturus, nisi in obsidione *Landebecæ* Normanniæ parvulo, & indigno tanti Ducis vulnere oppidulo, sclopetto in brachio ictus, viribus ex eo tempore omnino decidere cœpisset, unde paulatim exhausto humido radicali, ut vocant, tandem vitâ cessit, ut suo loco dicetur. Venerat post eam curationem *Binchium*, ut se ex infirmitate reficeret, unde miserat cum *Moreo* (ut supradictum) *Tassium Lutetiam*.

LIX. *Dumenæus* post *Henrici tertii* decessum *Carolum* Cardinalem *Borbonium*, *Henrici quarti* patruum in Regem proclamari, ac nomine *Caroli decimi*, *Lutetiæ* publicari curavit, nec defuêre juris periti, qui & hoc jure factum, ac eundem Regni legitimum esse hæredem constanter asseverarent. Sed cum captivus detineretur, provectæque omnino esset ætatis, nihil hoc unioni profuit: cumque haud diu post vitâ cessisset, quicquid ex actu tali *Dumenæus* speraverat, prorsus evanuit. *Lutetiam* pecunia allata refecit quidem nonnihil *Dumenæum*, sed cum (*hæc*) nihil inter tantos, statim cum *Bernardino*, & *Moreo*, presente *Tassio*, de pecuniæ subsidio continuando agere cœpêre. Usi enim fuerant, atque etiam tum utebantur, tam confusâ in Galliis imperatæ pecuniæ collectatione, tamque negligenter de re pecuniariâ usui publico applicandâ agebant (vacabant enim unusquisque suo magis commodo, quam generali) ut tam vasta machina brevi ruinam minaretur, ni *Philippus* longe majora pecuniaria subsidia, quam antea suppeditaret: acciditque idipsum, de quo supra memini: nempe voluisse quamplurimos, unionis partibus adhærere, cæterum ad ejusdem conservationem, & amplificationem, noluisse quicquam de suis conferre, immo potius multos in eâ perseverasse, in eum tantum finem, ut excessibus, ac libertate, licentiâque militari, nec non Hispanicâ liberalitate locupletarentur.

Ligæ asseclæ suis commodis, non bono publico studens.

LX. Decreverat summus Pontifex mittere ad *Dumenæum*, Legatum Cardinalem *Cayetanum* (1) ut super rebus unionis cum

(1) Inter plures hujus agnominis, est *Henricus Caetanus*, de quo hîc, qui anno 1585. a *Sixto V*. S.R.E. Cardinalis creatus est.

cum eo ageret, eratque jam in itinere, paucisque post diebus, 1589.
quam adventasset, *Moreus*, & *Tassius* Lugduno, affertur *Bernardino* regium diploma, quo significabat Rex, se *Tassio* imperasse, ut è vestigio *Lutetiam* se transferret, atque ibi cum eo, ac *Moreo* rebus a Legato tractandis interesset; missis unà litteris, quibus tribus illis æqualiter mentem, sententiamque suam de rebus cum Legato tractandis prolixè aperiebat. Quin etiam paulo post missæ *Tassio* ex Belgio regiæ litteræ, quibus eum *Lutetiam* proficisci jubebat: itaque jam non tanquam exter, sed haud secus atque illi, delegatus, rebus Gallicis invigilabat.

Postulata Ducis du Maine pro conservatione Ligæ.

LXI. Petebat *Dumenæus*, ut *Philippus* jam non tanquam socius unionis, sed tanquam præcipuum ejusdem caput, omne negotii onus in se susciperet, rebusque bellicis adesset, & ni hoc faceret, unionem procul dubio brevi corruituram asseverabat; cùm sibi Gallicarum virium non esset satis, ut solo subsidio illo Hispanico, quod in ejusdem exordio promissum, constitutumque fuerat, bellum tam difficile contra hostem bellicosum, Regioque titulo insignitum, diu sustinere posset: cujus propositionis veritas constabat quidem aliquatenus, videbantque satis ministri regii, unionem, ni brevi in eo provideretur, revera ad interitum vergere, & cito unumquemque de suâ cum *Navarro* reconciliatione cogitaturum. Sed cum nil tale haberent in mandatis, non poterant tantâ de re inconsulto Rege, *Dumenæo* satisfacere. Fuêre præterea tunc & unionis quidam zelotæ, qui idipsum incommodum prævidentes, privatim prædictis ministris Regiis dicebant, adesse tempus opportunum, quo Rex ex socio sese Dominum unio-

est. Erat Romanus, *Bonifacii Sermonettæ* Ducis filius, patruus duorum Cardinalium *Bonifacii & Antonii*. Cùm in *Galliam* ab eodem *Sixto* pro componendis Catholicæ fidei rebus illo in regno labantis, novoque *Galliæ* Rege eligendo ablegaretur, die 20. Januarii 1590. *Parisios* pervenit: qua in urbe, solemni pompa & apparatu exceptus est. *Hic postmodùm durissima* Lutetiam Parisiorum *obsidione premente, dignam majoribus, moribusque suis constantiam & magnanimitatem præ se tulit; singulari in egenos liberalitate usus. Quibus ut succurreret, post exhaustos pecuniæ loculos, domesticam suppellectilem & argentea vasa omnia, vendi jussit.* Ciacon. tom. 4. col. 151. Obiit anno 1599.

1589. unionis efficere, Galliæque imperium sibi vendicare possit. Propositio procul dubio speciosa, & quâ allici videbatur posse *Philippus* ad ea præstanda, quæ cuperent. Sed erat à *Dumenæi*, ministrorumque intimorum animo hoc ita alienum, ut cum hæc eis innotuisset propositio, ac scire cuperent, an talis esset Regis scopus, necesse fuerit ministris mitigare super eo eorundem animos, ne pejus quid statuerent: asseverando, *Philippum* nequaquam eo aspirare, in eoque tantum, quod ab initio erat conventum, constanter persistere, aliudque nihil cupere, quam ut hæretico impediretur Regni successio. *Dumenæus* tum, quamvis ad arma se accinxerat, continuisque belli laboribus, ac periculis objectum se videre non abhorreret, finis tragediæ satis tamen docuit, hoc fecisse potius suâ, quam alius cujusquam causâ. Itaque tandem inter eos conventum, proficisceretur in Hispaniam, qua posset celeritate *Tassius*, Regemque de omnibus plenè certiorem faceret, *Dumenæo* vero numerari curarent spatio trium mensium, quo videbatur reverti posse *Tassium*, in singulos menses coronatorum centena millia. Quibus rebus ita constitutis egêre regii ministri cum mercatore quodam Hispano, ut summam primi mensis solveret, quod ita effectum, datis ei litteris cambii, quas vocant, quibus eandem summam Madriti reci-

1590. peret, eaque pecuniâ *Dumenæus* mense Januario anni 90. ex hibernis eductum exercitum *Pontoysiam*, quod oppidum jam voluntariâ deditione recuperaverat, versus duxerat, ut *Mulantium* invaderet, recuperato prius per deditionem, post aliquantum muri diruptionem, castro, *Bois de Vicenne* vulgariter nominato, non ultra bina miliaria *Lutetiâ* distante, quod à Regiis tenebatur. Venêre cum eo *Tassius*, & *Moreus*. Ille ut inde in Hispaniam proficisceretur, hic ut ad necessaria, quæ indies occurrerent, *Dumenæo* adesset, manente *Bernardino Lutetiæ* ad res ibi conservandas. Proposuerat *Tassius* transferre sese ad portum *Havre de Grace* vulgo dictum, quo citius in Hispaniam deferretur, sed obstitit contrarius ventus: itaque *Bruxellam* sese contulit, indeque per dispositos equos *Villafrancam*, quæ est Ducum *Sabaudiæ* portus non ignobilis prope *Nizam*, est profectus, ubi inventis sex triremibus, quæ in Hispaniam navigabant, tandem *Valentiam*, atque inde terrestri itinere ultimo Aprilis ipse *Rossius*que missus

à

à *Dumenæo*, ad unionis etiam statum suo nomine peculiariter declarandum, fæliciter *Madritum* pervenêre. 1590.

LXII. *Henricus* re *Diepæ* egregie conservatâ, receptisque Anglorum peditum quatuor millibus, quos *Elisabetha* illi subsidio mittebat, Provinciæ illius locis aliquot in potestatem suam redactis, alibi passim idem quoque tentare cœpit, satisque fæliciter, & hoc tunc illi successit in *Picardiâ*, & *Normanniâ*: quin & *Lutetiæ* ita approquinquavit, ut suburbia omnia, quæ sunt ultra pontem, *Areliam* versus occupaverit: nil tamen ulterius contra urbem tentans, ita ut potius ad ostentationem virium, terroremque civibus incutiendum, eo venisse, quam invadendi studio judicaretur. Inde vero *Estampam* profectus, vi eâ potius est, uti & *Vendosma*, unde *Turonem* se contulit, nec diu ibi moratus *Mantium* ad deditionem coëgit, aliisque ejus ditionis inferiorisque *Normanniæ* multis locis recuperatis, ad *Sequanæ* tractum, aut non longe ab eo reversus est, *Dreusamque* oppugnare decrevit. *Dumenæus* contra *Mulantium* nihil efficere potuit, & jam profecto *Tassio*, animadvertens, quam fæliciter *Henrico* omnia succederent, à Duce *Parmense* obtinuit mille cataphractos equites in auxilium, Duce *Philippo Comite Egmontano*: jam enim permiserat *Philippus*, ut unioni viribus, quibus opus esset publicé subveniret. Hæc non ante intellexit *Tassius*, quam cum *Madritum* venisset, uti & paulo post, *Henricum* aperto marte cum *Dumenæo* conflixisse, Victoremque evasisse. *Dumenæus* enim cernens *Dreusam*: (quam conservari fœderatis summopere intererat) periclitari, eandem periculo liberare constituit, trajecto per *Mantum*, quod non amplius novem miliaribus *Dreusâ* distat, exercitu, eo consilio, ut hostem vi ab obsidione averteret. Sed ille de *Dumenæi* mente certior factus, eidem occurrere satius putans, quam ibi venientem hostem expectare, sponte civitatem obsessam dereliquit, ac exinde utriusque exercitus Duces, nunc in hoc, nunc in alio illius tractus pago considentes, tandem 14. Martii inventis prope pagum *Ivry* vulgo dictum, apertis, planisque campis ad pugnam capessendam opportunis, disposito utrumque exercitu, summis viribus prælium commisêre. Erant numero equitum fere pares, & utrimque militari scientiâ viri insignes, pugnatumque fortissime, sed tandem prævalens

Pugna apud pagum Ivry. Victoria Principis Benearnensis. Varia loca occupata. Obsidio Parisiensis.

1590. lens *Henricus*, victoriâ potitus est. *Dumenæus* re perditâ fugâ salutem sibi quæsivit, uti & reliqui, qui potuêre. *Egmontanus* fortissime pugnans, ita confossus fuit vulneribus, ut ægre delatus à suis ad pagum *Ivry*, ibi subito expiraverit, victor vero tantâ tamque rebus suis opportunâ obtentâ victoriâ, continuo ad *Sequanam* se recepit, eaque in parte *Vernoum*, ac *Mantum* recuperavit. Mansit ibi per aliquot dies ad reficiendum exercitum, atque inde ultra *Lutetiam* ad occupandum & ibi *Sequanam*, nec non *Matronæ* fluvium profectus est, cœpitque *Corbellam*, *Meluinum*, & *Laignium*, quo factus utriusque fluvii dominus, ita ut jam nihil *Lutetiam* navigiis vehi, atque importari posset, eandem obsidione * cinxit 25. Aprilis, confisus tam vastam populi multitudinem brevi ad tantam annonæ penuriam adductam iri, ut de deditione agere cogeretur.

* *De hac vide*: Maimbourg hist. de la Ligue liv. 4.

LXIII. *Dumenæus* tantâ adversitate commotus quidem, *sed* invictus animo, quibus potuit mediis ad res restaurandas totum sese dedit, & in urbe tanta fuit Catholicorum constantia, ut quidlibet potius pati, quam Hæretico se dedere fortiter decreverint. Constituitur ejusdem supremus Præfectus *Dux Nemurcensis*, cui aderat Eques *Aumalus*, quem vocabant, Ducis *Aumalæ* frater, aliique complures viri fortes. Aderat & Cardinalis *Cayetanus* Legatus Apostolicus, comitatus multis viris Ecclesiasticis, à summo Pontifice ad res unionis promovendas delegatus, qui eo paulo ante venerat. Aderant præterea Archiepiscopus *Lugdunensis*, Episcopi *Rhemensis*, & *Senlii*, nec non *Bernardinus de Mendoça*, *Philippi*, Legatus, ac Ducissa *Nemurci*, & *Dumaynæ*, *Guisæ* & *Montpenserii*, quorum præsentiâ aucti omnium animi, & unumquemque ad omnia, quæ ad salutem publicam pertinere viderentur, promptum, paratumque exhibuit. Cæterum *Dumenæus* extra urbem agens, *Parmensem*, nullâ interpositâ morâ adiit, nulla enim, nisi in ipso spes salutis: cum certum esset, tandem *Lutetiam* hosti cessuram, ni *Philippi* armis succurratur. Convenêre *Condati*, quod est parvulum in *Hannoniâ*, Comitis *Lalaignii* oppidum, paucosque ibi moratus dies, pecuniâ, certisque subsidii obtentis promissis, ad suos rediit. Et tandem coactis, quas potuit copiis prope oppidum *Meaulx*, quod non amplius decem miliaribus *Lutetiâ* distat, in loco, naturâ

naturâ bene munito, *Philippi* auxilia expectaturus castra posuit. *Henricus* interea contra urbem nil nisi procul tentare, domosque tormentis quatere, quo civibus terrorem tædiumque obsidionis incuteret. *Philippus* vero cognitâ *Dumenæi* clade ad pagum *Jvry* acceptâ, haud obscure prævidens, unionem ad exitium vergere, ni serio ei subveniat, *Parmensi* statim cum quantis posset viribus *Dumenæo* subsidio ire jussit. Voluit etiam *Tassium* in Belgium reverti, unàque cum *Parmensi* in Galliam proficisci, ibique unionis negotiis (ut ante) interesse. Qui relicto *Madrito* quarta Maji, regiâ munitus instructione, ex *Vinarosso* triremi vectus, *Genuam* cum aliis fæliciter appulit, indeque *Pedemontanam* regionem transiens superatis Alpibus Appenninis, tandem primâ Augusti *Bruxellam* venit, cum jam *Parmensis* in ipso Gallici belli esset procinctu. *Tassius* verò cum imparatus ad tantum bellum adventasset, non ante secutus est, quam nonâ ejusdem mensis: verum antequam *Parmensis* Galliæ fines intrasset, eum attigit. Consedit exercitus (in quo erant quina peditum, equitum levis armaturæ terna millia, tormenta quædam bellica cum suo apparatu) primo die in campis *Guisianis*. *Parmensis* in oppido cum suis aulicis hospitio acceptus: inde *Lannium* profectus, & ibi intromissus, unâ tantum nocte moratus est, incredibileque dictu, quanta ubique lætitiâ, gratâque animi demonstratione Magistratus obviam facti; introeuntem domum, quæ ei destinata erat, fuerint ad portas palmites, aliaque honoris, ac benevolentiæ signa erecta; tantoque favore exercitum prosecuti sunt, ut omnibus militibus tamquam verè amicis paterent portæ ad quicquid animo collibitum esset in urbe comparandum. Tertio die *Fertemelon* consedit, ubi nuntiatum *Moreum* inopinatè obiisse, famaque postea increbuit toxico consumptum. Inde in pago quodam, qui est in mediâ quasi *Meautii* * viâ constitit, ubi eum *Dumenæus* adiit, deque præsenti rerum statu abunde certiorem fecit: alteroque die *Meautium* intravit, disposito in pagis circumvicinis opportuné exercitu. Laborabat tunc temporis *Lutetia* extremâ annonæ penuriâ, adeo ut populus de solito fervore multum remitteret, donec jam afforet auxilium. Tractarunt Primarii de mittendis Legatis ad *Henricum*, qui de pace agant. Erant hi Archiepiscopus Lugdunensis, & Episcopus Parisiensis, qui

1590.

Rex mandat Duci Parmensi, ut Franciam ingrediatur in auxilium Ligæ: obsessio Lutetiæ soluta.

* Meldæ. Meaux.

1590. cùm *Henricum* conveniſſent, ad *Dumenaum*, etiam *Meautium* venêre, altero poſt adventum *Parmenſis* die; ſed cum jam tam propinqua eſſent auxilia ad liberandam civitatem, re infectâ, in urbem rediêre. *Parmenſis* vero, *Dumenauſque*, non amplius cunctandum rati 27. Auguſti, *Clayam* verſus cum exercitu moverunt, eo conſilio ut, ni qui ibi erant *Henrici* milites inde diſcederent, vi ejicerentur; erat enim Pagus per quem neceſſario *Lutetiam* euntibus erat tranſeundum, torrenſque ibidem perluens, tranſitum circumvicini agri impediebat: quam ob rem *Henricus* jam dudum aliquot ibi equitum, peditumque copias collocarat. Sed ſimul ac de adventu *Parmenſis* cognovêre, continuo retroceſſêre, quo receſſu *Claya* occupata. Illa nocte in proximis pagis exercitus, ipſeque *Parmenſis* *Freſne* conſedit, ubi biduum eſt commoratus, conjuncto ſecum magno equitum, peditumque Gallorum numero: tum denuo movens, & ad ſiniſtram deflectens, *Pompona* caſtra poſuit: erat ille pagus propè *Laignium* in ipsâ Matronæ * ripâ, in altero latere ſitum parvulum oppidulum, quod neceſſe erat capere, ut tuto ad exercitum commeatus adduci poſſet. Erant in illius oppidi præſidio mille pedites qui (etiamſi parum munitus eſſet locus) nil tamen minus, quam de deditione cogitabant, ita ut cogeretur *Parmenſis* adductis tormentis murum quatere, quod, quantâ fieri potuit celeritate effectum, conſtructo ex ratibus ponte, in ſuperiore fluminis parte. *Henricus* interim haud ignarus eorum, quæ moliretur *Parmenſis*, obſidionem *Lutetia* reliquit, & cum toto exercitu in colle pagi, qui *Sellio* imminet, medioque miliari *Pomponâ* diſtat, caſtrametatus eſt. Quibus animadverſis *Parmenſis*, ut dum quateretur *Laignium*, caſtris *Pomponæ* à tam vicino hoſte ſecurius caveretur, in ipſo aditu, vallo foſſiſque ea muniri curavit: quibus effectis. *Henricus*, per eam partem, nocendi *Parmenſi* commoditatem ſibi ereptam animadvertens, eo ipſo die, quo murus quatebatur, per vadum fluminis, quod haud procul aberat, equitum, ac peditum aliquot copias in alteram partem tranſire juſſit, ut oppido ſubveniretur. Sed *Lamottius*, qui muneri bombardico præerat, adeo murum quatere feſtinarat, & *Parmenſis* tam cito irruptionem ſubſequi juſſerat, ductoribus duobus Præfectis Hiſpanis, ac *Noircarmio* Legionis Walonorum Præfecto, invaſoreſque Hiſpa-

* Marne.

Hispani, ac Waloni, tanto impetu irruperant; Commissarius 1590.
præterea, ut vocant, equitum Generalis *Contreras*, missus cum aliquot equitum turmis, ut venientibus Gallis se opponeret, tam industrie id effecerat, ut cedere coacti fuerint, oppidumque ante *Henrici* oculos, vi in potestatem hostium venerit 8. Septembris direptumque fuerit non sine multâ militum, ac civium cæde. *Henricus* postea per noctem diei subsequentis tacitè cum suis discessit, prætexens postea, publicansque, voluisse inopinanter *Lutetiam* scalis muro admotis tentare. Sed interim quam primum exauthoratis aliquot copiis, aliisque passim in Præsidiis collocatis, aliquo tantum retento equitatu, liberam tendendi quo vellet, *Parmensi* in præsentiarum reliquit potestatem. Hic vero necessarium existimans ad sufficientem *Lutetiæ* liberationem, *Sequanæ* navigationem, non minus, quam *Matronæ* aperire, relictâ *Dumenæo* cura conservandi *Laignium*, *Corbellam* versus exercitum contendere jussit. Ipse enim secreto ductus à *Vitrio* nobili Gallo, equitum *Dumenæi* levis armaturæ Præfecto, *Lutetiam*, perlustrandæ ejus causâ cum paucis se transtulit. Sed illico ad exercitum reversus, *Corbellâ* circumquaque obsessa, ponteque in *Matronâ* exstructo, eamdem oppugnare cœpit.

LXIV. Erat oppidum ad alteram *Sequanæ* ripam situm, *Laignio* majus, nec non naturâ, & arte longè magis munitum: habebat enim præter *Sequanam* ante se flumen aliud, quod cum majorem fossarum, ac muri partem præterlueret, non parvam obsidentibus adferebat difficultatem. Erat præterea in præsidio bona militum manus, nec alia etiam diversa *Parmensi* defuêre incommoda, cum enim pauca adduxisset tormenta, eorumdemque perexiguum apparatum, spe certâ injectâ à *Dumenæo*, inventurum sese Parisiis Regiâ in domo (*Arsenal* vocant) ad tormentorum custodiam, eorumdemque apparatus olim extructa, quantâ vellet, nihilque eorum, quibus esset opus defuturum, totamque urbem ad auxilia summo studio accursuram; cum jam usus posceret, pauca tantum invenit tormenta, eaque ad usum malè composita, parcamque pulveris, globorumque provisionem. Quin etiam cives ad sublevandas occurrentes difficultates (etiamsi res sua tantum ageretur) frigidiores, quam decebat sese exhibuêre, quibus de causis non tam cito muri diruptio institui potuit.

1590. potuit. Sed tandem superatis omnibus difficultatibus, oppidum tormentis quassum, factâ irruptione vi captum est, & *Dumenæ*, sicut *Laignium*, conservandi ejus cura relicta. Cæterum cum rerum ad ulteriorem oppidorum oppugnationem necessariarum tanta esset tenuitas, nil potuit tunc temporis amplius tentari. Accedebat ad hæc, quod tam exiguam pecuniæ summam *Parmensis* secum adduxerat, ut deesset, quo aliquo modo miles ali, in officioque contineri posset: jam enim neglecto superiorum imperio, specioso prætextu arcendæ famis, varias in partes excurrere, & amicos æque ac inimicos vexare cœperat: cui incommodo omnino necesse erat provideri, cum certum esset ni tale militum indebitæ licentiæ principium amputaretur, maximo aliquando apud Gallos rebus Hispanicis nocumento futurum, ut postea contigit: ita ut non ex minimis memoretur causis, quæ fælicem earumdem cursum tandem interruperint. Venerat etiam *Parmensis* ad unius *Lutetiæ* obsidionem levandam, quo obtento non licere videbatur, Provinciis sibi creditis (quas invitus reliquerat, quæque etiam suos habebant peculiares, & non contemnendos hostes) diu abesse. Quamobrem designatis ad fœderatorum conservationem satis bonis copiis, quæ, cum ipse Belgium attigisset, cum *Dumenæo* remanerent, ejusque starent mandatis, tandem eò versus cum exercitu profectus est. Quod ubi *Henricus* cognovit, continuo cum mille quingentis expeditis equitibus eum insecutus est, ut à tergo, quantum posset assidue lacesseret. Dumque hoc facere non cessat, quodam die, primo diluculo, cum jam exercitus *Fumeyum*, ubi pernoctarat, relinqueret, cœptumque iter prosequi vellet, tam propè accessit, ut *Parmensis* sese ad pugnam paraverit, infestaque signa in hostem inferri jusserit, quo territus *Henricus* fugientis instar sese recipere coactus fuit, ulteriusque *Parmensem* insequi destitit. Qui tandem *Guisiam* pervenit, atque inde *Bruxellam* sub finem anni se contulit, nec non *Dumenæus* copiis sibi relictis, opportunè dispositis, *Suessioni* in præsentia consedit. Expetebat *Parmensis* remanere cum *Dumenæo Tassium*, sed cum ex gravi vulnere, quod in *Corbellæ* obsidione ab hostili sclopetto acceperat, periculosé admodum laboraret, ipse etiam ad exactiorem curationem *Bruxellam* ad suos penates lectica se transferri curavit.

LXV. Nondum Galliâ *Parmensis* excesserat, cum ob negligentem custodiam, ignavamque Præsidiariorum defensionem, *Corbella* (*ab*) *Henrico* recuperatur. *Corbia* etiam, quæ est haud longe ab *Ambiano* in ipsâ fluminis ripâ, non adeo magnum, magni tamen momenti oppidum, scalis muro appositis, tormentoque ferro pulveris bombardici pleno (*petard* Galli vocant) portæ admoto (quo belli instrumenti genere, magnæ solent subverti ædificiorum moles) nec non multorum militum strenuâ invasione, etiamsi fortiter, ac diu resisteret, quod in oppido erat præsidium, vi in ejusdem potestatem fuerit redactum; primoque instituto contra *Parisienses* insistens, eosdem iterum annonæ penuriâ, quantum potuit, premere perrexit, exstructo castello, quod *Gornay* nominatum, in quadam *Matronæ* insulâ, quo usus fluminis eis inutilis efficiebatur. Nec minus interim ubivis locorum rebus suis indefesse invigilans, multa eo anno variis in locis fæliciffimè gessit. Compluria in *Normanniâ* loca recuperata; ex Delphinatu hostis omnino pulsus, captâ *Granopoli* * primariâ illius ditionis urbe; in *Provinciâ* fæliciter pugnatum; fanum *Divi Dionisii* propè *Lutetiam*, per Equitem D. *Aumalum*, quem vocant, Ducis *Aumalæ* fratrem strenuè invasum, ac penè captum, occiso D. *Aumale* cum multis suorum jam intus existente, virtute *Vicquii* egregiè conservatum; *Chartra* ** haud contemnendum oppidum, post duorum mensium obsidionem, deditione receptum; uti & postea *Noveodunum*; fæliciffimè etiam pugnatum à *Dedigerio* Delphinatus Præfecto, in valle *Gribonati*, deletis satis magnis Hispannorum, ac Italorum copiis; & tandem, cum adventasset *Vicecomes Thuronensis*, cum copiis, quas per Germaniam *Henricus* cogi curaverat, Duce *Christerno d'Aanhalty* Principe, *Rothomagum* obsidione cinxit.

1590. *Rex Galliæ recuperat aliquot loca, & secundo obsidet Lutetiam.*

* Gratianopoli. *Grenoble.*

** Carnutum *Chartres.*

Rex Galliæ recuperatis aliis in Francia urbibus, obsidet Rothomagum.

LXVI. Non defuêre, & unioni eo anno sua commoda. Cardinalis *Cayetanus* solutâ *Lutetiæ* obsidione, *Romam* erat reversus. Quapropter, ne Catholicis deesset in rebus agendis Pontificia authoritas, *Gregorius XIIII.* ex *Sfondrata*, *Mediolanensi* familia, creavit in Galliæ Legatum, *Placentiæ* (1) *Cardi-*

1591.

(1) *Philippus Sega*, Bononiensis Italus, S. R. E. Cardinalis, *Placentinus* nuncupatus, ab ecclesia cui duodeviginti annos præfuit. Post varia munia quæ gessit, ab Innocentio IX. anno 1591.

1591. *Cardinalem*; misit *Marcellum Landrianum* cum monitorio (ut vocant) publico ad Religionis conservationem, quod admodum irreverenter impugnatum Consiliarii Regii, qui *Chalonum* se receperant, publico edicto damnare ausi sunt, ut etiam fecêre, qui *Turoni* Curiæ *Parisiensis* vices agebant. Misit præterea & Nepotem *Montis Martiani Ducem* cum mille quingentis equitibus, & octo peditum millibus Helvetiis, ac Italis. *Philippus* etiam *Duci Mercuriæ*, *Britanniæ* Proregi, ex præcipuis unionis membris, tria Hispanorum millia Præfecto *Joanne de Aquilâ* viro forti, militiæque peritissimo, qui in ipso adventu portum *Blaveti* occupans, eundem postea exstructis vallis, propugnaculisque munitum reddidit; *Dumenæus* castrum *Thyrini* ad deditionem coëgit, atque majorem *Lutetiæ* securitatem præsidio Hispanorum, ac Italorum imposito munivit. *Dux Guisius*, quem tempore *Henrici tertii*, *Turoni* captivum ductum supra diximus, dissimulanter admodum, fortiterque custodes fallens, ad Dominum *de Chartres*, *Aureliæ* Præfectum, qui cum turmâ unâ equitum non longe aberat, fæliciterque se recepit. Et tandem *Parmensis*, *Rothomagensibus* obsessis subventurus, cum aliquot novis copiis, sub finem ejusdem anni in Galliam reversus est, suffecto iterum pro se apud Belgas, qui Gubernationi præesset, *Comite Ernesto Mansfeltio*. Accidit præterea *Lutetiæ* Magistratum illum novum sexdecim-virum (quem vocabant) ex valde ferventibus Catholicis conflatum (quod suspicaretur *Brisonium* primum supremi senatus Præsidem, virum summâ doctrinâ præditum, secreto favere iis, qui Regi adhærebant, & quemdam *Brigant* nomine, ejus Procuratorem, quod ad Regem scripserat proditionis insimulatum (quem eam ob causam captum *Brisonius* dimitti curaverat) supremâ usum potestate, quam sibi vendicabat)

Papa succurrit Ligæ cum milite, & cum Bullis apostolicis, quarum exiguam rationem habent Galli.

Rex mittit Joannem de Aquila in Brittanniam Duci de Mercœur in auxilium; qui capit ac munit portum Blaveti.

1591. purpura donatus, ac Galliæ legatus renuntiatus fuit. *Sunt qui* Philippum .... *damnant*, *ac si in legationibus semper erga* Hispanos, *quam erga* Gallos *ferventiori laborasset affectu. Apud æquos tamen rerum æstimatores ea suspicione caruit*, *maxime apud* Clementem VIII. *qui reversum* e Galliis Philippum *in Purpuratorum consessu dilaudatum excepit*. Ita apud Ciaccon. to. 4. col. 246. Videri potest *Spondanus* ad an. 1593 & 1594. Sed meminisse oportet hunc esse Gallum.

cabat) eumdem Præsidem * cum binis aliis Consiliariis *Larcher* & *Tardif* dictis, captivos ex senatu ad carcerem ductos, paucisque post horis laqueo vitâ privatos, atque in publicum urbis forum (vulgo *de Greve*) prolatos, patibuloque suspensos, populo spectandos exhibere, ut tam diro exemplo, jam nullus esset, qui *Henrico* vel tantillum favêre auderet. Erat tunc temporis *Dumenæus* Rhemis, cumque, quæ ibi acta essent, cognovisset; cerneretque, quantum id facinus urbem commovisset, nullâ interpositâ morâ *Lutetiam* advolavit, existimansque hæc non tam ad salutis publicæ conservationem, quam authoritatis suæ dimunitionem, esse commissa, continuo quatuor † ex sedecim illis comprehendi, parique supplicio affici jussit. Cæterisque hinc inde elapsis, potestateque eorum prorsus abolitâ, ad nihilum redactâ, proprium imperium, quantum potuit conformavit. Illis vero omnibus, qui conscii, & fautores facinoris faverant, publico edicto cautum voluit, abolitis, quæ acciderant, ut ita sublatis seditionum causis, civitas in solitâ unionis conservatione constans, & quieta maneret.

1591.

* *Vide* Maimbourg Hist. de la Ligue, liv. 4. p. 394. & suivants de l'edition de Cramoisy in 4.

† Maimbourg là même p. 396.

LXVI. Aliquot ante menses, quam *Parmensis* Belgium relinqueret, miserat Principem *Ascolanum*, Hispanum Magnatem, in Galliam, ut omnibus *Philippi* copiis ibi agentibus seorsim præesset, penes tamen *Dumenæum* suprema esset potestas. Miserat etiam *Didacum de Ibarra*, uti *Dumenæo* assiduè adesset, eumque, quam posset in proposito confirmaret, rationesque, ac consilia rerum gerendarum cum eo (si quando opus esset) conferret, communicaretque. Hunc *Philippus* post obitum *Morei* in Belgium ad *Parmensem* delegaverat, ut ad ejusdem jussa, nutumque Gallicis deinceps vacaret rebus, uti fecit.

LXVII. Cæterum multa, maximaque *Parmensi*, antequam è Belgio posset excedere, accidêre incommoda. Rebellis hostis haud ignarus, eum tempestivé decrevisse eo anno in Galliam proficisci, secreto admodum copias præparat, cæteraque omnia, quæ ad validam expeditionem essent necessaria; ac tandem cernens eum non discedere, jam anno ultra dimidium elapso, inopinanter *Zutphaniam* obsedit, & multâ muri diruptione ad deditionem coëgit, pauloque etiam post *Daventriam*, ambo ampla maximique momenti oppida, quorum-

Hollandi Zutphaniam ac Daventriam capiunt, ac Noviomagum deinde, quod Dux Parmensis inconsideratè absque præsidio reliquerat.

1591. rumque *Philippo* plurimum intererat. *Parmensis* cognito hostium consilio, statim Rhenum versus cum exercitu profectus est, eâ mente ut adventu suo audaciam hostium reprimeret. Sed cum non tam cito magnum flumen trajicere posset, vadoque transiri consultum non foret, hostis voto libere potiri potuit: cumque & postea ad castellum quoddam, quod hostes ultra *Vasalum* * contra *Noviomagum* exstruxerant, multumque oppido adferebat incommodi, exercitum, duxisset, illud etiam capere non potuit: Itaque cum hostem nil ultra tentare animadverteret, nullo imprudenter *Noviomagi* relicto præsidio, Bruxellam rediit. Haud diu post restitit *Noviomagum*, quin cum hoste transigeret, ejusque in partes sese traderet.

* *Lege*: Vahalim. DeWael.

1592. LXVIII. *Parmensi* in Galliam intranti præsto fuit *Dumenæus* cum Regiis copiis ibi relictis, nec non aliquot propriis, præcipue equitatu; conjunxit sese præterea *Parmensi* *Dux Monte Pulcianus* cum copiis ecclesiasticis, & Dominus *de Vaudemont*, Ducis *Lotharingiæ* minor natu filius, cum aliquot equitum turmis, quas Pater, qui post obitum *Henrici tertii*, unioni apertè favêre cœperat, *Dumenæo*, tunc auxilio misit; habuitque cum iis, quas novas secum adduxerat, copiis, procul dubio *Parmensis* exercitum planè regium, & quocum videbatur quidlibet posse tentari. Erat tunc præcipuus belli scopus obsidione *Rothomagum* liberare, quod indefesse premebat *Henricus* multâ tormentorum vi, aliisque modis ad eam partem ubi est *D. Catharinæ* castrum, quod civitati ipsi inhæret, quo capto de civitate actum fuisset: sed præerat urbi Dominus *de Villars* † Normanniæ pro unione supremus Præfectus, qui fortissimè hosti restitit, attamen ni ei subventum foret, necessario pereundum erat. *Dumenæum* sæpius de ferendo auxilio admonebat, quapropter sine morâ ex agro *Guisiensi* eo versus contendit. Cumque esset perventum ad pagum *Poy* dictum, unde postero die *Aumalam* eundum erat, allato nuntio *Henricum* eo venisse, ut prælio decertaret, *Parmensis* disposito ad pugnam exercitu, eo die in planitiem prælio valde opportunam movit. Et venerat quidem *Henricus*, sed tantummodo equitatu satis pro se comitatus, non ad fortunam prælio tentandam, sed ut qualis esset hostis, quocum res sibi esset tempestivè, & plenè exploraret.

† Andreas Brancas de Villars, *postea admirallius Franciæ*.

aret. Ubi tamdiu hæsit nisus loci situ, qui ob torrentem ante se fluentem, difficilem habebat accessum, ut ægrè se potuerit recipere, parumque abfuerit, quin caperetur. Jusserat enim *Contreram Parmensis* cum sclopetariorum suorum turmâ atque alios etiam præparare *, *Henricique* receptum, quantum fieri posset, saltem remorari, donec adforet exercitus, quod cum valde dextrè, ut imperatum erat, & strenuè fieret, Rex adhuc in pago inventus, dum celeriter se recipere conatur, lapsus cum equo, non tam cito eidem ope suorum iterum imponi potuit, quin sclopetto hostili, quamvis non lethaliter feriretur **. Ex *Aumalâ Neu-Castellum* itum: erat oppidum parvulum cum arce antiquâ, aliquantulum arte munita, reliqueratque ibi *Henricus* Dominum *de Guery*, cum aliquo militum numero, ut hostem venientem, quantum posset remoraretur, in quo parum profecit, dируptâ enim aliquantâ muri parte, antequam fieret invasio, dedidit oppidum eâ conditione, ut sibi incolumi, suisque exire non † liceret. Non major fuit militum virtus, qui in arce erant, cujus Præfectus pari modo, & illam dedidit. 1592.

* *Legendum forte*: præire. *Vel etiam*: properare.

** V. Maimbourg sup. cit. p. 401. & 402.

† Tò non *videtur tollendum*.

LXIX. Ventum jam erat ad limites, ultra quos progredi videbatur non posse, nisi certo pugnæ discrimine, quod etiamsi non reformidaret *Parmensis*, ad pugnamque satis esset instructus, noluit tamen ita industriæ oblivisci, quin tentaret, an citra pugnam *Rothomagum* liberari posset: haud enim ignorabat, quam dubii præliorum essent eventus, quæque inde oriri possint, & soleant incommoda. Itaque cum totus crederet exercitus recta in hostem signa esse inferenda, ipse plene instructus de tractus illius situ ad levam inopinatè flexit, omnesque festinare jussit; statueratque ex certo pago, qui paucis milliaribus *Rothomago* distabat, quo tendebat, ante noctem viæ ulteriori se committere, & celeritate hostem fallendo *Rothomagum* attingere, antequam illucesceret. Sed cum militi in illo pago reficiendi sese, tempus datur, affertur nuncius *Villartium* strenuâ eruptione factâ, post magnam hostium cædem, captaque aliquot tormenta bellica, eumdem retrocedere coëgisse, ita ut jam non videretur necesse quicquam ancipiti fortunæ conservandi sui causâ committere. Itaque exercitus *Neuchatellitum* reductus, relicto ibi sufficiente præsidio, paulatim ultra *Somonam* fluvium sese recipiens in pago que-

1592. quodam *Formentier* non longe supra *Abevilam*, & propè *Ruam* munitum oppidum, quod pro *Henrico* stabat, in præsentiâ consedit. Cæterum haud diu stetit, quin denuo *Villartius* auxilium peteret, ejusque adventum iteratis nunciis anxiè sollicitaret. *Henricus* enim etiamsi supradictum accepisset damnum, nil tamen minus, quam de deserendâ obsidione cogitabat, resque suas paucos intra dies tantâ diligentiâ instaurarat, ut eodem in discrimine, quo ante constitutus *Villartius*, certum urbis periculum prævideret, ni festinanter sibi subveniatur.

* *Lege*: 1592.

LXX. Præterierat jam Paschatis festum Anni 1593. * quamobrem *Parmensis* evocatis recentibus aliquot copiis ex Belgio, iterum *Rothomagum* versus movit, rectâ viâ constituens salutem civitatis prælio tentare, ni *Henricus* recederet, obsidionemque relinqueret. Sed ille cum eumdem appropinquare cerneret, obsidionem dereliquit tam tempestive, ut potuerit ad *Pont de l'Arché* (ut vocant) quod à partibus suis stabat, tribus non amplius miliaribus *Rothomago* distans, parvum oppidum absque incommodo sese recipere. Deinde cum etiamsi liberatum esset oppidum, nihil tamen profecisse videretur ni fluminis libera navigatio ad mare usque *Rothomagensium* saluti adderetur, paucâ interpositâ morâ, & ad efficiendum *Parmensis* sese accinxit, & *Caudelabecam* ** obsedit, collocato exercitu in circumvicinis pagis. Erat oppidulum in ipsâ fluminis ripâ situm, nec naturâ, nec arte munitum, attamen, qui in præsidio erant, fisi classe quâdam, quam Hollandi *Henrico* in *Rothomagensi* obsidione miserant, tale in primo adventu specimen virtutis exhibuêre, ut cogeretur *Parmensis* violentam instituere oppugnationem. Cumque ei mos esset, nil serio aggredi, quod ipsemet non perlustrasset, dum ei rei animum intendit, locique situm, ac naturam explorat, filium † tantum, *Lamottio*, ac *Toralvo* comitatus, tandem in quodam stans cum illis loco, ut opinione, votisque omnium collatis rei gerendæ consilium caperet, sclopetto hostili lævo in brachio ictus fuit ††, non quidem lethaliter, ita tamen, ut supervenientibus symptomatis, nunquam deinceps convaluerit.

** Caudebec.

† *Lege*: Filio, *nempe Ranutio Farnesio*.

Dux Parmensis sauciatur in pugna apud Caudebecam.

†† Maimbourg *videtur id ignorasse*.

luerit, donec apud *Atrebates* (ut suo loco dicetur) vitâ excessit. Habebat cum hoc accideret non longé equum, quo ad suos delatus, exacté dein curationi incubuit: nullam tamen ob acceptum vulnus curam capiendi per alios oppidi omittens, uti accidit paucis post diebus, cum *Lamottius* post aliquantam muri demolitionem, oppidum ad deditionem coëgit. *Henricus* contra, quamvis cessisset, nihil tamen de pristinâ virtute, curâque remisit, ac properare jussis recentibus aliquot copiis, quas expectaverat, cum jam adventassent, recto *Parmensem* versus tendens itinere, dimidio non amplius miliari ab ejusdem castris, immo potius in ipsis castris, castra posuit, cum in pago *Inetot* *, ubi consedit, consisterent, ac stationem tunc agerent, aliquot *Dumenæi* turmæ equitum, quas inde cedere coëgit. Fama est Pagum hunc *Inetot* olim, Regio titulo fuisse decoratum à Galliæ tunc temporis Rege, in solatium liberorum ejusdem loci Domini, quem injustè capite plecti jusserat. Mansit ibi paucis diebus, variis dimicationibus velitationibusque tempus terens **. postea deflectens ad dexteram propius adhuc frontem sui exercitus *Parmensis* juvabatur, eundem privaret, stetêre ita propinqui unus & alter exercitus per quindecim dies, cumque *Parmensis* aliquot copiæ domos quasdam rusticorum vallo undique munitas (ut ibi moris) occupassent, unde alterius nocere *Henrico* erat facilè, quodam die summo manè ille instructo ad pugnam exercitu, vi, nec non damno aliquo nostris illato, eosdem loco cedere coëgit. Quod cum animadvertisset *Parmensis*, nullumque jam ob hostis vicinitatem, potentiamque ultra progrediendi superesse modum, de reditu cogitans, nocte quâdam inscio hoste *Caudebecam* cum exercitu contendit, navigiaque, quibus flumen trajiceretur, conquiri, instruique jussit. Fuit exercitus sub dio prope civitatem, præter levis armaturæ, ac cataphractorum equitatum, qui deflectens aliquantulum ad dexteram, in aliquot rusticorum casis ad marginem cujusdam torrentis, videbatur tutò sibi posse consistere: sed & eo postero die expeditas *Henricus* misit copias, quæ torrentem superantes, & inopinatè equitatum invadentes, eumdem in fugam vertêre, omnesque casas, multo

1592.

*** Hic Œdipo est opus. Ego autem Davus sum. Et mihi in hoc sermone nec caput nec pes apparet. Non id monebo iterum quantumvis opus fuerit.*

* Yvetot.

1592. multo hostibus illato damno, incendêre. Interea temporis *Parmensis* variis implicatus difficultatibus, sine illo tamen incommodo flumen superavit *, misso equitatu *Rothomagum*, ut ibi commodius trajiceret, nec non relictis *Caudebeca* aliquot militibus, qui quod possent eam defenderent. Sed brevi advolavit *Henricus*, cui sese dedere coacti sunt. Est de maris æstu iis in locis mirum quid narratu dignum, scilicet tempore refluxus duplicis consueti accidere semel quoque mense, ut tunc accidit, cum trajicere vellet *Parmensis*, tantâ enim altitudine, vehementiâ, ac strepitu reflui maris æstus advolvitur, ut procul aspicientibus altus mons videbatur, terrorem incutiat, nec non navigia ad aggeres stantia elidat, ac confringat effectus ejus naturæ tam vehemens, ut forsitan talis nullus alibi.

Dux Parmensis recedit post captam amissamque Caudebecam.

LXXI. *Dumenaus* dum non amplius unum *Parmensem* comitatus valetudine non firmâ, *Rothomagum* curandi sui causâ profectus est. Cumque post liberatam ab obsidione superiore anno *Lutetiam*, Cardinalis *Cajetanus*, *Romam* esset reversus, in ejus locum delegatus Cardinalis *Placentinus*, qui *Parmensem* secundo *Rothomagum* versus tendentem in itinere consecutus est, urbemque liberatam est ingressus, ibi commoratus, donec reverteretur *Parmensis*, flumenque trajecisset, cui iterum sese adjunxit, profectionemque prosecutus est, donec jam vicinus *Lutetiæ*, eo se tuto conferre posset, uti fecit, nec inde unquam movit, donec tandem introductus *Henricus*, post † internos suos fautores, coactus fuit Italiam repetere, uti suo loco (si otium suppetet) dicetur. Videbatur potuisse cognito hostium trajectu, ad pontem, quem vocant *de Larche* properare, atque ibi traducto exercitu in eodem, parte quâ *Parmensis* magnis itineribus tendebat, eundem fæliciter lacessere, sed nusquam locorum per illud iter apparuit, proverbii forsitan memor, quo hosti sese recipienti aureus sterni pons jubetur. Itaque *Parmensis* sine ullo incommodo superato prope *Lutetiam* per pontem ex ratibus

† *Lege*: per.

* *Quàm frigidè loquitur auctor de famosissimo illo Ducis Parmensis recessu in conspectu exercitus Regii?* V. Maimbourg sup. cit. pag. 404. 405. & 406. *ubi testatur, Regem Henricum ad tantum Stratagema obstupuisse.* V. *quoque* Borrium lib. 29, *fol.* 14.

bus confectum *Sequanâ*, *castrum Thiry* (ut vocant) pervenit, 1592.
ubi per aliquot moratus dies, tandem valetudinis causâ ad aquas *Spadanas* unà cum filio, ac domesticis profectus est, relictâ exercitus curâ Domino *de Rhone* in adventum usque *Dumenai*, jussitque *Tassio*, ac *Didaco de Ibarra* cum eo remanere, quorum uti posset consiliis. *Lamottius* autem nolens mandatis *Rhonæ* stare Belgium petiit.

LXXII. Erat cum *Rhona* Dominus *de S. Paul*: utque erant in re bellicâ exercitatissimi, indignum se ac tanto exercitu ducentes, tempus in stationibus inutiliter terere, ad oppugnationem *Esparnei* *, quod non longe aberat animum vertêre; quassata non parum tormentis mœnia, & tandem sese dedere coactum; *Rhonaque* relicto ibi minori, quam decebat præsidio, exercitum ad consuetas stationes reduxit. Sed paulo post supervenit inopinatè *Henricus*, qui id oppidum tam strictè obsedit, ut auxilium à *Rhona* continuo missum, non tantum ab introitu arcere, verum etiam cedere potuerit: quo successu compositione factâ, oppidum recuperavit, nullo alio incommodo accepto, quam quod in eâ obsidione periit *Bironius* tormenti globo procul ictus ex præcipuis Galliæ Mareschalcis, vir armis, animique fortitudine insignis. Nihil amplius exinde à fœderatis tentatum, donec ad ** successionem venit *Dumneaus*, qui vocato ad se exercitu, per aliquod dies prope *Fertemulon*, cum eo consedit. Inde in Provinciam *Valesiam* profectus, parvulum ibi oppidulum *Crespe* † dictum per deditionem, dispositis jam aliquot tormentis muralibus, suum fecit.

* Espernay.

** *Lege*: Suessionem. *Soissons*.

† Crespy.

LXXIII. Annus jam erat, & amplius, cum *Philippus* ad secreta sua negotia miserat in Belgium *Marchionem Sfranum Alvarum*, ex *Toletanâ* familiâ, qui in portu quodam *Catalaniæ*, *Colibre* vulgo dicto, triremem conscensurus, quâ in Italiam cum aliis veheretur, acutâ correptus febre, morbi die septimo, vitam cum morte commutavit. Postea vero eamdem ob causam in ejusdem locum constituit *Comitem Fontanum*, ex *Henriceâ* familiâ, qui fælicius iter ingressus, superato tractu maritimo, jam terrestri itinere Belgium petebat, cum *Parmensis* post tringinta dierum aquæ Spadanæ usum, ad tantam redactus fuit debilitatem, ut de vitâ desperaretur: quamobrem aquæ illius usu relicto, cum aliquantulum convaluisset, *Bruxellam*

1592. se contulit. Curavit enim, cum ultimò Galliâ excederet, instaurari, ac suppleri levis armaturæ equitatum, quem ibi reliquerat, continuis bellis, armorumque usu valde attritum, ac dimunitum, cumque *Bruxellam* adveniens tantam ea in re intellexisset habitam fuisse curam, ut jam copiosus satis equorum, armorumque numerus paratus esset, quo turmis, quæ in Galliâ erant, plene posset satisfieri, equitatum illum omnem, cum reliquo apparatu, nullâ interpositâ morâ, eo contendere jussit, divulgatâ famâ sese brevi secuturum, quam & re ipsâ volens confirmare, tandem, etiamsi vere semimortuus, *Bruxellam* reliquit, & *Atrebatum* est profectus, ubi paucis post diebus secunda Decembris Anni millesimi quingentesimi nonagesimi tertii * vitâ excessit, vir procul dubio ex illustribus sui temporis multis præclari animi dotibus rerumque gestarum gloriâ clarissimus.

Mors Ducis Parmensis.

* Duplex error his verbis inest. *Alexander Parmensis* nec die *secunda Decembris*, nec anno *nonagesimo tertio* vitam liquit; ast die *tertia* Decembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi *secundi*. De anno pervulgata res est, quam frustra probavero. De die testatur, qui *Alexandro* morienti adstitit, *Thomas Sayllius* sacerdos Societatis Jesu, in Epistola quam ad *Alexandri* filium *Raynucium Farnesium* Parmæ & Placentiæ Ducem, e Bruxella scripsit die 20. Februarii 1593. in qua hæc verba: *Continuò agonizanti, usque ad horam primam consequentis noctis, quæ erat* tertia *Decembris, astiti, egressâque e corpore animâ, oculos illi mæstissimus clausi.* Excusa est hæc epistola Coloniæ sumptibus Arnoldi Mylii an. 1598. in libello cui titulus: *Epitaphius in Serenissimum Alexandrum Farnesium &c. &c.* in 8.

JOAN-

1592.

JOANNIS BAPTISTÆ DE TASSIS

Commentariorum de Tumultibus Belgicis

LIBER OCTAVUS.

I. COmes *Fontanus* cum Bruxellam venisset ad finem mensis Novembris nonagesimi secundi, voluit illico *Attrebatum* ad *Parmensem* proficisci: sed cum intellexisset ejusdem obitum, *Bruxellæ* remansit, & *Petrus Ernestus Mansfeldii Comes* (de quo sæpius) suscepit provisionaliter curam Belgii imperii, eandemque egit ad adventum usque *Ernesti* Archiducis *Austriæ*, *Rudolphi secundi* Imperatoris fratris primi, quem *Philippus* postquam rescivit *Parmensis* obitum ad id munus elegerat. *Mansfeldius* vero, quamprimum *Carolum* filium in Galliam delegavit, datâ ei curâ exercitus Regii ibi existentis, subordinatum interim *Dumenæo*, qui supremum habebat imperium. Tulit ægre *Dux Arschotanus Mansfeldii* promotionem, postquam aliquod tempus ad votum solvendum, *Loretum*, ad D. Virginis cultum antiquitus supra modum venerabile constructum Phanum, profectus est, unde rediens, cum in urbe *Venetâ* ægrotare cœpisset, brevi ibi è vita excessit. Cæterum *Philippus*, qui cum post *Henricum tertium* Galliæ Regem occisum, vidisset *Navarrum* regnum arripuisse, secum multum reputans, quid utilius rebus Gallicis posset applicari, quo minus Gallicis periclitaretur Religio, cum certum videretur, non posse *Dumenæum*, solo Locitenentis titulo, diu se opponere fæliciter, alio * illo Regis epitheto munito, indiesque sese armis, ac astutiâ confirmante, nullum aliud præsentius invenit remedium, quam ut eligeretur Rex Catholicus; qui electus secundum Galliæ antiquas leges (quibus semper fuerat cautum Regem necessario debere esse Catho-

Ablegatio Comitis de Fuentes Bruxellas. Comes Mansfeldius Belgio præest donec Archidux Ernestus adveniat.

* *Nempe, Rege Navarræ* Henrico.

1592. Catholicum) cum suis sequacibus, quos futuros credebat respectu religionis majore numero, quam, qui partium essent *Navarræi*, scopum potius Regni occupationis (quo is tendebat) religiosé, ac viriliter amputaret. Quamobrem sæpius *Dumenæum* admoneri curavit, ut comitia trium Ordinum convocaret, eaque discindi non permitteret, nisi Regi Catholico communibus omnium votis electo, desiderans præterea in omnibus, Gallis adesse Catholicis, opusque Religionis inter humanos maximum, melioribus, quibus posset modis promovere. Delegavit ad eadem comitia, Ducem *de Feria* * ex præcipuis Hispaniæ proceribus, denominavitque ejusdem substitutos *Joannem Baptistam Tassium*, ac *Didacum de Tvarra*, ut si forsitan Dux, aut ægritudine, aut alio longinqui titineris incommodo impeditus, *Lutetiam* pervenire non posset, omnimode, parique, quâ ille authoritate in d. comitiis Regias vices gererent, negotiisque publicis adessent, prout ex sequente diplomate videre licet:

Rex persuadet Duci Mayennæ ut convocet Status Regni ad eligendum Regem qui sit Catholicus, & mittit eò legatos suos Ducem de Feria, J. B. Tassium, Didacum de Ibarra, & Inicum de Mendoza.

„ II. PHILIPPUS Dei Gratiâ Hispaniarum, utriusque „ Siciliæ, Hierusalem &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux „ Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, „ & Tirolis &c.

„ Notum sit universis, & singulis præsentes litteras visu„ ris, lecturis, & audituris, quod cum omnium Christiano„ rum Principum sit proprium, Christianæ Republicæ pro „ viribus opitulari, ejusdemque commoda quærere, atque „ incommoda propulsare, nihilque in hisce calamitosis tem„ poribus inter tot impendentia mala inveniri possit majus, „ quam quod à periclitanti florentissimo olim Regno Galliæ, „ nunc in eas, quas videmus angustias, & calamitates con„ jecto, nisi maturè succurratur, eidem Christianæ Reipu„ blicæ, totique Ecclesiæ Catholicæ, velut jamjam in cer„ vices ruiturum minitatur, atque imminet, neminem eorum, „ qui piâ sunt mente, hujus laboris immunem arbitrari se „ esse decet, immo, quo majora à Deo acceperat beneficia, „ quo majori dignitate pollet, magis in eam curam incum„ bet, ut huic ingenti negotio, saluti, & adjumento esse „ queat.

* *Nempe*: Laurentium Suarez Figueroa Cordubensem.

„ queat. Hinc eſt illud præclarum exemplum, quod ſanctiſ- 1592.
„ ſimus Pater noſter Dominus *Clemens* * Pontifex maximus,
„ inter tot procellas, ac turbines clavum nunc Eccleſiæ
„ regens omnibus ſe tanquam vivum exemplar imitandum
„ præbet, dum totus in ſanandis vulneribus, Chriſtianiſſimi
„ illius Regni deſudat. Nos vero, quos partim cauſa pu-
„ blica, partim acta cum præteritis Regibus ſanguinis vin-
„ cula, & præſertim, quod Deo debemus obſequium, ejuſ-
„ que Eccleſiæ patrocinium excitare, atque incitare debe-
„ bant, nihil eſt quod de nobis prædicemus, librum judi-
„ candi arbitrium bonis omnibus concedimus, ſi quid in-
„ tentatum reliquerimus, ſi quos non coëgimus exercitus,
„ ſi quas non contulimus pecunias, ſi quæ prætermiſimus
„ officia, quæ deſiderari à nobis quoquo modo poſſe vide-
„ rentur, id, ut quo tenore cœpimus ad calcem etiam per-
„ ducamus, cum nunc de convocandis Ordinibus totius Re-
„ gni Gallici agatur, ad quorum coadunationem (& ut
„ ajunt Statuum generalium dies, & urbs indici debeat, &
„ forte jam jam indicata ſit à præclariſſimo *Dumenæo* Duce,
„ primo & generali Præfecto bellicæ rei Regni Galliæ, nun-
„ quam ſatis laudato viro, pro eo, quam in liberandâ Pa-
„ tria, in eradicandis hæreſibus, in cultu, & causâ Dei
„ defendendâ, raro exemplo operam navavit. Nihil anti-
„ quius habuimus quam ut prius inter eumdem S. S. Patrem,
„ & Pontificem noſtrum maximum, & nos, rebus hinc inde
„ collatis, neque huic conventui deeſſemus, ſed ut nobis
„ cum Sanctitate Suâ eadem eſt mens, idem animus, ita etiam
„ cum ipſius Legato Orator noſter adeſſet, cum ejuſdem mi-
„ niſtris, ibi quoque miniſtri noſtri apparerent. Ad hoc igitur
„ obeundum munus, *Ducem Feriæ* deputavimus, cognatum
„ noſtrum, atque unum ex iſtorum Regnorum Proceribus,
„ qui præſens noſtro nomine adſit, noſtram operam, atque
„ officium impendat, ad pacandas, & ſedandas res, talis
„ Principis cooptatione, qualem in Chriſtianiſſimi Regni,
„ Chriſtianiſſimum caput, non ſolum nomine, ſed re coop-
„ tari, atque eligi par eſt, à Conventu Catholicorum om-
„ nium, quotquot in Galliâ ſint, nomen, vim, & vicem
„ referente. Quod ut præfatus *Feriæ Dux* exactius cum eo
„ agere contigerit, de vi conventorum, & robore nullatenus

* Clemens VIII. *Hippolitus Sylveſtri de Aldobrandinis.*

1592. „ dubitare possit. Concedimus eidem Duci, meram, puram,
„ irrevocabilem, atque omnimodam facultatem, quam rebus
„ ipsius expedire videbitur, tam cum Præfectis, Ordinibus
„ simul, quam aliis quibuscumque ab ipsis Ordinibus depu-
„ tatis, seu deputandis: quæ vero ab ipso *Duce Feriæ* pol-
„ licita, acceptata, stabilita, ac sancita fuerint, ex nunc,
„ pro ut ex tunc acceptamus, promittimus, ac confirmamus,
„ illaque omnia, & singula, rata, grata, & firme esse, &
„ fore volumus, atque attestamur, atque in verbo regio
„ promittimus. Insuper, ne quis casus rem tantam impediat,
„ si forte itinerum longinquitas, vel si mala valetudo, sive
„ quod aliud obstaculum prædictum *Feriæ Ducem* retardaret,
„ aut impediret, ideo ipso absente, aut impedito, quovis
„ modo, eamdem facultatem, plenam, omnimodam, per-
„ fectam, quam in ipsum ut supra contulimus, eamdem *nihilo*
„ immutatam, vel quam ipsi potius haberemus, si præsen-
„ tes, atque coram constituti adessemus, eamdem totaliter
„ conferimus in *Joannem Baptistam a Tassis*, atque *Didacum*
„ *ab Ibarra*, Consiliarios, & ministros nostros, utque ipsi
„ nostro nomine, quomodolibet stabiliverint, plenum sortian-
„ tur effectum, atque ad amussim observentur, quod ut me-
„ lius de jure potest (etiam uti fecimus) in verbo nostro
„ regio pollicemur. In quorum fidem præsentes litteras ex-
„ pediri jussimus, manu nostrâ subscriptas, & sigilli nostri
„ regii appensione munitas. Datum in D. *Mariæ-Stellæ* Cœ-
„ nobio, die vigesimâ quartâ Octobris 1592."

III. Sic fore sperans nullum in tractatione oriri posse impedimentum, quo minus adjuvante *Cardinale Placentino* ad eadem comitia S Sedis Legato, omnibusque bonis, res ad optatum duceretur finem. Convocata fuère à *Dumenæo* Comitia, convenêreque *Lutetiæ*, ex unoquoque Ordine insignes multi viri, tandemque etiam adfuit *Dux Feria*, qui *Genuam* triremi vectus, inde *Romam* terrestri itinere profectus erat, ad obedientiam sui Regis nomine summo Pontifici præstandam, pro ut moris, quo solemniter peracto, cum *Mediolanum* venisset, nullâ interpositâ morâ, per *Helvetios*, & *Lotharingiam* in *Belgium* se contulerat, comitatus *Inigo de Mendoça*, viro doctrinâ, ac genere claro, quem *Philippus* ad eadem comitia delegabat, ut si aliquid de validitate legis

Sali-

Salicæ agi contingeret, adesset, qui eam non esse legem, sed solum consuetudinem, vi contra fæmineum sexum introductam, sæpiusque interruptam, ac proinde injustam, clarè ostenderet. 1592.

IV. Erat tunc temporis *Landregii* paratus introire Galliam *Carolus* * cum copiis commissis à Patre, prout supradictum, quocum profecti sunt, & unà cum eis *Tassius*, qui aliquot ante dies ex *Suessonio*, relicto ibi *Didaco Guarræo*, *Bruxellam* ad res suas domesticas rediret. Agebatur jam mensis Februarius anni 93. invenitque *Ferianus*, *Dumenæum Suessonii*, qui *Lutetiâ* ei præcesserat obviam, ad tractandum cum eo de re pecuniariâ, cujus desiderio flagrabat immodicè; quod quidem *Ferianus* differri voluisset, donec *Lutetiam* adventassent; instititque, ut nullâ interpositâ morâ eò secum rediret, ad ea quamprimum promovenda, quæ in Comitiis tractari debebant ad omnium salutem: sed nunquam acquievit, imo nec voluit permittere, ut eò solus proficisceretur, donec inter eos de pecuniâ, quam petebat, convenisset. Quamobrem *Ferianus* videns se coactum, postulatis *Dumenæi* satisfacere voluit, & ipse eâ liberalitatis occasione tentare, an utilitatis aliquid in beneficium sui Regis à *Dumenæo* esset obtinendum, petens, ac stricte eum urgens, ut acciperet ex tunc in perpetuum, quantum ad se, pro Dominâ suâ, ac Reginâ Galliæ *Elisabetham* primogenitam *Philippi* adstringens se ad id verbo, scriptoque, nec non polliceretur ita agere in Comitiis, ut idem ibi communibus votis admitteretur. Casus, quem summopere adfectabat, & innixè appetebat *Philippus*; eratque hoc primum, ac præcipuum mandatorum caput, quæ *Ferianus* attulerat, eo jussu, ut ante omnia id in Comitiis proponeret, ac peteret. Ad quod, si *Dumenæum*, à quo pendebant omnia, attrahere tam tempestivé potuisset, videbatur res ad ejusdem exemplum in Comitiis ad optatum finem posse perduci. *Dumenæus* ex alterâ parte perpendens, quam magna *Ferianus* peteret, nolens & ipse sui oblivisci, multa voluit sibi à *Feriano* promitti, respondens ad id aliud, placere sibi *Feriani* propositionem, astringensque se acturum in Comitiis pro *Elisabethâ*, quantum in se esset, nolens interim eo usque progredi, ut ex tunc acceptaret absoluté *Elisabetham* pro Dominâ suâ, ac Reginâ, & privatus id agere, quod

* *Mansfeldius.*

1593.

1593. quod ut rectum, ac firmum permaneret, communibus Ordinum votis indigebat. Quocum, quamvis satis intelligeret *Ferianus*, non sibi plenè satisfactum, nihilominus sciens etiamsi nihil cum *Dumenæo* ageret, non propterea ab ejusdem pecuniæ postulatis liberatum fore, tandem ut aliquid pro liberalitate obtineret, convenêre inter se scriptis prout sequitur, nempe.

„ V. Nos *Carolus de Lotharingia* Dux *Mayennæ* Vicarius „ Generalis Regni Galliæ, pollicemur bonâ fide, & verbo „ Principis, nos omni studio, viribusque, ac honestis of„ ficiis procuraturos apud omnes Principes, Prælatos, No„ biles, ac deputatos Statuum hujus Regni, qui erunt in „ conventu, qui in præsens *Lutetiæ Parisiorum* agit, uti de„ clarent Serenissimam Dominam Infantem *Isabellam*, pro „ Reginâ Regni Galliæ, utpote scientes hunc esse optimum, „ utilissimumque modum extirpandæ heræsis, conservandæ„ que Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ hujus „ Regni status, quas ob causas placebit Regi Catholico, ut „ quemadmodum hactenus insignem sese fautorem huic san„ ctæ causæ præbuit, eodem illam ipsam favore deinceps „ prosequatur, viresque ac media necessaria suppeditet, ad „ extirpandos nostræ Religionis hostes, ad voluntatem dicto„ rum Principum, Prælatorum, Nobilium, ac deputatorum, „ prout maximè expedire videbitur: curabitque præterea „ electionem hanc à summo Pontifice approbari. Actum „ Suessonii 25. Februarii 1593. *Carolus de Lotharingia*, & „ paulo inferius: *Baldouinus*.

„ VI. Dux *Feriæ* Regis Catholici nomine promittit *Mayen*„ *næ* Duci in præmium maximorum meritorum, curæque, „ quam in se suscepit, efficiendi, ut Serenissima Domina In„ fans *Isabella*, ejusdem Regis, Reginæque *Isabellæ*, gloriosæ „ memoriæ, filia in Reginam Galliæ eligatur, ac assumatur, „ ea quæ subsequuntur. Inprimis datum ei iri Ducatum „ *Burgundiæ* cum omnibus redditibus Regiis, Officiorum, Be„ neficiorum ecclesiasticorum collatione, excepto tantum„ modo Regio supremo Dominio, ducenta insuper aureorum „ millia annuè, ex Regiis redditibus *Insulæ Franciæ*, *Nor*„ *manniæ*, aliarumve Provinciarum, uti maximè commodum „ videbitur, idque pro constitutione duorum millionum auri,

„ quæ

„ quæ nummi ſumma ubi ſoluta fuerit, ac *Burgundiæ* Ducatus in Regis poteſtatem venerit, ejuſdem Ducatus Gubernationem, ei, ejuſque poſteris in lineâ maſculinâ perpetuo ceſſuram: Gubernationem præterea *Normanniæ* quibus modis, ac conditionibus Reges ea gubernacula aliis Principibus conferre ſolent. 1593.

„ Liberabit eum Regnum Galliæ, ipſaque Regina debitis, ac ære alieno, quæ conſtabit eum contraxiſſe, proprii ſervitii gratiâ, tempore horum motuum, tam intra, quam extra hujus Regni limites.

„ Ducenta inſuper ſpondent aureorum Hiſpanicorum millia ſolvenda, ex bonis Regis Catholici, centena ſcilicet millia, ſimulatque dicta Infans fuerit electa, ac aſſumpta in Reginam, illaque Regnum ſuſceperit, atque altera centena millia intra ſex menſes proximos.

„ Quadraginta præterea aureorum millia ſolvenda ex bonis ejuſdem Infantis intra triennium ab eâdem electione in ſingulos ſcilicet annos, centena triginta millia, ter centum, & triginta tres aurei, cujus ſummæ D. Infans ſtatim à d. electione aſſignationem eidem Duci dabit, certam, validamque, & niſi dederit, pro eâ nummorum ſummâ Catholica Majeſtas in ſe eorumdem ſolutionem ſuſcipit, daturuſque aſſignationes ſufficientes, quo eidem Duci ſatisfiat de bonis ſuæ Majeſtatis.

„ Factâ electione D. *Mayennæ* Dux, erit D. Infantis Vicarius generalis, donec ipſa in hoc Regnum venerit, ac tum ei dabitur officium, ex maximis, ac præcipuis totius Galliæ Regnis.

„ Solvetur quoque quicquid ei debetur, ex penſione decem millium aureorum, quæ Sua Majeſtas ei tribuit in ſingulos menſes, ſuſtentandi ſui gratiâ, & ad domeſticos ſumptus ad finem uſque hujus menſis Februarii, omnes etiam ſolventur aſſignationes ei datæ, ac tranſmiſſæ à *Duce Parmenſi*.

„ Quin etiam ei numerabuntur centena tricena aureorum millia valoris 17. ſolidorum pro ſingulo aureo, juxta Suæ Majeſtatis morem, uti publicæ neceſſitati per eum ſubveniri queat.

„ Quibus conditionibus D. *Mayennæ* Dux ſeſe contentum eſſe dixit, pollicitatuſque eſt ſeſe, nec innovaturum, nec

1593. „ aliud quicquam privatim in commodum suum petiturum, „ quam ea, quæ supra memorata sunt, nec ante, nec post „ dictos Statuum conventus, electionemque D. Dominæ „ Infantis.

„ Datum *Suessonii* 28. Februarii 1593. Subscriptum: *Dux* „ *Feriæ*, *Andreas Duran*, impressumque sigillum Ducis *Feriæ*".

VII. Ac tunc demum tractavit *Ferianus* cum *Sebastiano Zametto* negotiatore Italo, qui ibi aderat, ut darentur *Dumenæo* centum, & quinquaginta aurea scuta, eorum dimidia pars illico, altera vero tunc, cum soluta in Hispaniâ foret integrà summa, ad quod se astrinxit privato nomine *Ferianus*, dans cedulas, quas vocant cambii, quarum virtute posset à *Philippo* exigi earumdem solutio, quibus oblatis solvi quidem jussit *Philippus* dimidiam illam partem *Dumenæo* numeratam' sed reliquam noluit ob nimiam in primo *Feriani* introitu, ostensam à *Dumenæo* avaritiam, superque ejusdem postulatis denegationem. Quibus *Suessonii* peractis, *Ferianus Lutetiam* profectus est, manente *Dumenæo*, qui cum *Carolo* paulo post *Noviodumum* invasit, postque aliquod tempus deditione in potestatem redegit, cùm jam esset in itinere *Henricus*, ad tentandam civitatis liberationem.

VIII. *Ferianus* cum Parisios appropinquaret, à Duce *Nemurcio*, multis comitantibus Nobilibus obviam prodeunte, Domum Ducis *Longevilæ* (quæ ad hospitium ei erat honorificè præparata) magno publico applausu perductus est. Ubi quamprimum eum invisère Legatus, Magistratus, precipuique omnes, qui partium unionis erant, ad congratulationem fælicis adventus. Et cum jam esset aliquâ quiete refectus ex longi itineris molestiâ, invisit & ipse, quos decebat: & cum Legato conferre cœpit aliquid de rebus, ad quas erat missus, voluissetque nullâ amplius interpositâ morâ, tractationem cum deputatis Comitiorum inchoare, sed noluère illi absente *Dumenæo* quicquam agere, permittentes interim, ut in Comitiis compareret, declararetque ad quid, & quâ munitus potestate, illuc adventasset. Quod fecit solis Domesticis suis comitatus, ob contentionem natam inter *Tassium*, & *Tvarreum*, cum *Inigo de Mendoça* de prælatione, quam hic, generis amplitudine fisus, super ambos dari sibi cupiebat, cum alii illi majore à Rege in eo negotio ornati authoritate, primos sibi post

post Ducem locos jure deberi prætenderent, pro ut habuêre, cum postea Rex scribens tribus conjunctim, nominato in superscriptione primum *Tassio*, secundum *Ivarteo*, postremum demum ordine *Mendozeo*, satis declarasset, qui unicuique locus competeret. Quod cum vidisset *Mendozeus*, tertio contentus, de prætentione contendere destitit. Habuit tunc in Comitiis *Ferianus* orationem quæ sequitur. 1593.

Oratio ab Duce Feriæ habita in conventu generali Ordinum Franciæ.

„ IX. Cum singulari Dei beneficio (Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, vos clarissimi viri) confecta pax esset inter Serenissimum Regem Catholicum, Dominum meum Clementissimum, & Serenissimum Galliæ Regem *Henricum* æternæ memoriæ *secundum*, eaque corroborata vinculo Matrimonii Serenissimæ *Elisabethæ* ipsius Filiæ, cumque omnia ex eo tempore, divino afflante numine, fausta fore, ac fælicia nobis pollicerentur, irrepsêre in hoc Regnum à multis sæculis Christianissimum pestilentissimæ hæreses, itaque seriò ac pertinaciter, à plurimis summæ authoritatis, potentiæ, & sagacitatis viris, armis, aliisque artificiosis modis dilatatæ sunt, atque amplificatæ, ut non nisi interitum, ac perniciem totius Religionis in hoc regno minarentur. Rex meus pro suâ bonitate, & clementiâ nihil non fecit, quod integræ amicitiæ signum esset, & quod in zelo conservandæ avitæ Religionis, â Rege summè Catholico desiderari potuisset. Cultum suum in Regem socerum eripuit repentina summo cum dolore omnium optimi Regis mors. Coluisset eum certè, si vixisset, coluit socerum, amavit cognatos, nihilque unquam omisit, quod illis, aut privatæ utilitati, & commodis usui esse posset: in id unum intentus, ut pax jam stabilita permaneret perpetua, subque eâ fæliciter, securè, religiosè utrumque Regnum totaque proinde Respublica Christiana optimorum Regum curâ, fælix, faustaque persisteret. Venio ad ea, quæ sunt magis propria. Cum primum opus fuit, sub *Francisco secundo* misit Rex Catholicus ex Hispaniâ Duce *Carvagalio* magnas militum turmas; sub *Carolo nono* ex Belgio Comitem *Arebergensem* cum magno equitatu; eodem etiam regnante *Comitem Mansfeltium* cum equitatu, & peditatu non parvo. Pugnavêre hi omnes in Gallia tanquam pro Laribus propriis. Quæ omnia ita vobis comperta

„ sunt,

1593. „ sunt, & explorata, ut superfluum esse existimem latius de „ hisce differere. Atque ut ad alia pergam, nescio plane, „ quid majus, quidve magis insigne, quid in Rege magno, „ atque Catholico inveniri possit laudabilius, quam inter tot „ injurias, easque maximas à vestris Regibus illatas, patien- „ tiam illi non defuisse? Regina Mater sub *Henrico* filio, „ immemor (quod cogor dicere) præteritorum beneficio- „ rum, bis lacessivit classe contra res nostras *Lusitanas* in- „ structâ, Regem Catholicum. Dux cognatus occupavit „ *Cameracum*, & quantam potuit *Belgii* partem. Utrumque „ *Henricus* juvit, aut certe cum deberet, & posset, nõn eis „ contradixit. Perseveravit nihilominus non ex impotentiâ, „ quod totus orbis intelligit, sed ex Christianâ benevolentiâ, „ constans in amicitiâ Rex meus; maluitque sibimet aliquo- „ modo deesse, quam lacessitus injuriis cognatorum, occa- „ sionem illis resipiscendi abripere, & sic tandem calamita- „ tem publicam præcavere. Sunt alia, quæ breviter quidem „ perstringam. Decessit ex hâc vitâ Dux *Alençonius*, atque „ ex eo tempore Princeps *Biarnensis*, qui hodie minatur in- „ teritum Religioni nostræ, ad hujus Regni sceptra cœpit „ aspirare. Fovit hoc demonstratione publicâ Rex *Henricus*, „ ita ut necesse duxerint Fratres *Guisiani*, nunquam satis „ laudati Principes, cogitare de remedio tanti hujus mali. „ Indigebat res tanta magnis viribus, & opibus. Initum „ fœdus fuit, quod gravis oneris esset Regi meo. Exemplum „ ejus exstat descriptum; illud consulite, nihil in eo inve- „ nietis, quod aliud sapiat, quam meram pietatem: nihil, „ quod à bonis, & Religiosis viris merito reprehendi possit. „ Voluit Majestas Catholica vobis maturè consulere, ne „ videlicet ipsius opere, & consiliis neglectis, aliquando „ tandem, quod futurum animo videbatur perireris: suppe- „ ditavit numerosam pecuniam, coactusque fuit Rex vester „ ad azylum Religionis se recipere, & si hoc mente bonâ „ zeloque fecisset, jam pridem certè extincta fuisset hæresis „ flamma in hoc Regno. Noluit Demone instigante; itaque „ à metâ horum malorum ad carceres revocati sumus, novæ- „ que rursus pecuniæ numeratæ sunt, omnique tandem ne- „ glecto periculo ad apertum Martem ventum est. Cæsæ „ quædam fuêre copiæ nostræ in conflictu *Joriensi*. Sed eri-

„ puit

„ puit exercitus noster, Duce fortissimo *Alexandro Farnesio* 1593.
„ *Parmæ*, & *Placentiæ* Duce, ex manibus inimicorum, jam
„ perituram, maximo cum labore, inauditâ constantiâ, mi-
„ rabilique virtute, ac optimis civibus conservatam, hanc
„ ipsam, insignem civitatem *Parisiensem*, in qua loquimur:
„ Idem factum fuit *Rothomagi*. Accidit ad id summum quip-
„ piam, & forsitan inauditum exemplum amicitiæ: *Philip-*
„ *pum*, Regem Catholicum, sua deseruisse cum incredibili
„ detrimento, ut vobis opitularetur; habuit apud vos sem-
„ per ministros suos, qui vos in his rerum difficultatibus
„ consolarentur, omnique officiorum genere præsto essent:
„ sunt etiam nunc, diuque fuerunt copiæ militares pro salute
„ vestrâ usque ad necem paratæ, æsque consumptum in illis
„ superat sex aureorum nummorum miliones (ut vocant)
„ nullo interim commodo ex his omnibus ad Regem meum
„ derivato. Nec tamen his contentus, quid pro salute vestrâ
„ ulterius posset agitari, diu, multumque cogitavit. Institit-
„ que tandem, quod caput rei esset, ut congressus hujus
„ celeberrimi conventus celebraretur; apud summos egit
„ Pontifices, ut vos vestraque omnia amplectarentur; meque
„ etiam ad vos misit, ut quid sui consilii in hâc re tam arduâ
„ esset, vobis suo nomine explicarem, vobisque præsto essem
„ ad id omne, quod ad salutem vestram pertineret. Quæ
„ omnia officia tam præclara, tam magnifica, tam certa, tam
„ illustria videntur esse, qualia fortasse nullâ ætate, nec Gal-
„ lia ipsa, nec aliud regnum in summâ necessitate experta
„ unquam sunt. In eo solo vestram omnium salutem Rex
„ Catholicus sitam esse existimat, ut is Rex, Catholicus,
„ denuntietur à vobis, ac diligatur eo zelo Religionis præ-
„ ditus, cui & vires non desint, quibus res vestras compo-
„ nat, tueatur, conservet, ab inimicis liberet; & quo sic
„ denuntiato nemo dubitet, quin Deo adjuvante brevi ad
„ pristinum Dei cultum, & Reipublicæ splendorem redea-
„ tur, omniaque in integrum restituantur. Illud tamen in-
„ primis rogat, obtestaturque ut absque ullâ cunctatione,
„ res tota hæc semotis privatis affectibus perficiatur, quia
„ maximum alioquin periculum in morâ esse videtur, & ne
„ ulla sit dubitandi causa, eam ipsam opem, quam prius
„ præstitit, & multo adhuc majorem, si necesse fuerit, ea-

1593. „ dem, quâ usus est hactenus benevolentia, pollicetur. „ Agite ergo Illustrissimi, & Reverendissimi, vosque etiam „ viri clarissimi, pro vestrâ Religione, nobilitate, virtute „ ac prudentiâ, ut toti in restaurationem, ac conservationem „ istorum serio, ac constanter incumbatis, utque ad rem tam „ gravem, tam piam, tamque toti orbi Christiano necessa- „ riam animum applicetis, verè pium, verè Christianum, „ & qualem à vobis universi Christiani desiderant. Ego „ vero, quantum in me erit vobis semper adero, nihilque „ amoris, laboris, & sollicitudinis in me à vobis desiderari „ permittam, quod communi vestro bono, aliquo modo „ prodesse cognovero, inque ejus rei firmissimum testimo- „ nium, & fidem, hasce litteras à Rege meo ad vos datas ami- „ cissime offero. Eas postquam legeritis, si quid amplius sit, „ quod requiratis, quodque ego in mandatis habeam, ube- „ rius, cum opus fuerit, exponam.

„ X. Atque hâc finitâ oratione litteras credentiales sui „ Regis exhibuit, quæ sic habebant. Illustrissimi, Reverendis- „ simi, Magnifici, nobisque Charissimi. Tanto teneor desi- „ derio juvandi semper * Christianam, eamque præsertim, „ quæ in Galliâ est, ut quamvis mihi prospectum sit, de „ his, quæ conveniunt ad consequendum eum finem, quem „ nobis proponimus, & quo nostras actiones studiaque om- „ nes dirigimus (cum omnibus notum, ac manifestum sit, „ quid eâ in re hactenus præstiterimus, atque etiamnum „ omni curâ, ac studio præstari curamus) non tamen hæc „ mihi satisfecerint, ni eò mitterem virum ejus loci, ac „ conditionis, quâ est Dux *Feriæ*, qui ibi præsens nomine „ meo procuret, ne Ordinum conventus dimittantur, nisi „ obtento fine optato, electionis scilicet Regis Catholici, „ qualem hæc tempora postulant, ut hoc Galliæ Regnum „ pristinæ suæ fælicitati, ac Religioni restituatur. Et quo- „ niam ego superioribus meis beneficiis, per me huic Re- „ gno præstitis hæc addo, æquum est, vos hanc occasio- „ nem non sinere elabi, mihique etiam exsolvi, quæ de hoc „ Regno bene sum meritus, remuneratione condignâ tantis „ beneficiis in vos collatis, quamvis in emolumentum ve- „ strum purè cedat, abundè tamen mihi satisfactum puta- „ bo. Proinde vos omnes, iterumque, ac iterum rogatos,

* *Supple*: rem.

„ admo-

„ admonitosque volo in hoc generali Ordinum conventu, 1593.
„ uti, qui Deo inservitis, fidemque Catholicam profitemini,
„ nunc vos tales in ejus cultu, ac Religione conservandâ
„ exhibeatis, quales hactenus exhibuistis, quod proprium
„ erit, dignissimumque tam celebris conventus propositum,
„ uti particularius ex Duce *Feriæ* intelligetis, ad quem vos
„ remitto. Datum Madriti secundo Januarii. Ego Rex. *D.*
„ *Martinus de Idiaques* "

XI. Ad hanc *Feriani* orationem respondit ex tempore Cardinalis *Pelleve* (1) ex præcipuis unionis fautoribus, vir doctus, & eloquens sed cum obnoxium * non ita accuraté, ac distincté tunc dixisset, exiit, & postea prælo commissa & ea, quæ hic submittitur.

„ † Optatissimo sibique jucundissimo adventu vestro (Ex-
„ cellentissime ac generossime Dux) gratulatur universus hic
„ trium Ordinum conventus Galliæ, Regiasque Catholicæ
„ Suæ Majestatis litteras, & quæ nobis Excellentia vestra,
„ aureâ suâ oratione exposuit, ejus mandata suavitatis, bene-
„ volentiæ, charitatisque plenissima, omni cum honore, &
„ reverentiâ læti, plaudentesque excipimus. Neque vero
„ ex Hispanici Regni magnatibus, quisquam rebus gerendis,
„ aptior,

* *Hæc ita mendosissimo scripta reperi.* Quid si legas: *sed cum* ob noctis ingressum *non ita accurate ac distincte tunc dixisset, exiit, & postea prelo commissa* est *ea quæ hic submittitur oratio?*

† *Responsio Cardinalis Pellerai pro Statibus Regni ad orationem Ducis de Feria.*

(1) *Nicolaus de Pellevè*, primùm senator in parlamento Parisiensi; dein supplicum libellorum in aula Regia Magister; mox *Ambianensis* factus episcopus; in sanctius Regis consilium cooptatus; in Scotiam a summo Pontifice ac Rege *Francisco II.* missus est. In Galliam reversus fit archiepiscopus *Senonensis*; ad Concilium Tridentinum proficiscitur, ac post a *S. Pio V.* S. R. E. Cardinalis renunciatur. *Romæ* multos annos gravioribus ecclesiæ negotiis incubuit, ubi & hujus fœderis seu Ligæ Gallorum procuratoris partes sustinuit, & apud *Gregorium XIII.* institit, ut Rex *Navarræ* ac princeps *Condæus* proscriberentur; quod a *Gregorio* non obtinuit. Archiepiscopus *Rhemensis* constitutus in Galliam reversus est. Cum ægrotaret Parisiis, & is (cujus industriæ unionis Gallicæ fabrica imputabatur, quique aversissimo erat ab *Henrico* Rege animo) intellexisset, *eum* (Henricum) *Parisiorum urbe potiri, cum vix ut crederet adduci posset, adeo perculsus est, ut versa ad spondam lecti quo jacebat, facie, nihil umquam deinceps usque ad mortem mox secutam, loqui auditus fuerit.* Obiit anno 1594. 28. Martii. ætatis suæ 77. vid. Ciacon. tom. 3. Col. 1041. Et Spondan. ad an. 1593. N. VII. & VIII. & ad an. 1594. N. XIV.

1593. „ aptior, gratiorve nobis, quam Excellentia vestra potuit „ eligi, cujus famosas majorum Imagines, & cætera egregiæ „ nobilitatis ornamenta, quamquam numerare non aggredior, „ id tamen unum reticere nequeo, quod ex primariis Illu- „ strioribusque Angliæ familiis matrem habeat, quæ afflictos, „ profugosque in Hispaniam Religionis causâ, Scotos, An- „ glos, Hibernos, aliosque id genus, quasi altera Constan- „ tini mater *Helena*, ope, & operâ indies liberalissime ju- „ vat, fovet, erigit. Cæterum rerum omnium vicissitudo „ est, neque in rebus mortalium quidquam stabile, aut per- „ petuum reperitur, sed omnia velut æstuario quodam „ fluxu, refluxuque decedere atque accedere cernimus, adeo, „ ut his, ... ab aliis ad alios, opes, gloria, eruditio, „ dominia, denique commodorum quidquid est, aut incom- „ modorum, divinâ providentiâ transferantur. Quod cum in „ aliis plerisque rebus, tum maximè in hoc florentissimo „ quondam, nunc vero afflictissimo Galliæ Regno, verum „ experimur. Fuit enim illa quondam in Regibus nostris vir- „ tus, quamdiu se acerrimos Christianæ Religionis vindices „ præstitêre, ut variis nationibus jura darent, ut sectas evel- „ lerent Religioni nostræ inimicas, ut victricia signa cir- „ cumferentes, Christiani orbis terminos, longè latèque „ propagarent. Et quidem *Francicam* gentem primum om- „ nium adversus fidei Christianæ hostes, arma sumpsisse, „ manifestum est, neminemque nostrum latére arbitror, jam „ â mille fere annis *Clodoveum*, qui primus Regnum nostrum „ aquâ salutari ablutus, & dimisso cœlitus oleo sacro per- „ unctus est, *Visigotthos* pertinacissimos hæresis *Arianæ* de- „ fensores, qui pro Regia *Tholosam* habentes, quidquid in- „ ter *Ligerim*, & *Pireneos* montes interjacet, occupabant, „ commisso apud *Pictones* prælio, superasse, Regeque eorum „ *Alarico* manu suâ interfecto, eas omnes Provincias ad veræ „ fidei cultum reduxisse. (1) Quæ victoria maximum no- „ stris

(1) Ad hæc & quæ sequuntur sic notat *Spondanus cit:* Pelleveus, *quamvis* Philippo *obnoxius, haud tamen ferens exprobrationes & jactantias* Feriani, *post gratulationes de literis* Philippi, *& aurea* Feriani *oratione, hujusque laudum explicationem; pro dignitate nominis* Francici, *quantum per tempus licuit, multis exemplis* ex

„ ſtris deſiderium injecit ſtabiliendæ Religionis in Hiſpaniâ, 1593.
„ quo apud *Arianos Almaricus Alarici* filius devicto patre ſe
„ receperat, quod certè *Childebertus*, *Clodovei* filius paternæ
„ pietatis æmulator magnâ virtute perfecit. Cum enim *Al-*
„ *maricum*, cui pacem dederat, ſororemque *Clotildem* Ma-
„ trimonio junxerat, eâ ſpe, & conditione, ut Catholicam
„ fidem ſuſciperet, in paternâ hæreſi perſiſtentem, uxorem-
„ que Religionis ergo contumelioſius tractantem, ferre non
„ poſſet, eum non modo debellavit, ſed & populos, qui ei
„ paruerant*, ab *Arianæ* hæreſis pravitate revocavit, traje-
„ ctiſque rurſum montibus *Pyrenæis* in *Hiſpaniam* ſemel, at-
„ que iterum profectus, collabentem, ac pené temporum
„ injuriâ extinctam, quam ibi *Jacobus* Apoſtolus diſſemina-
„ verat, fidem, priſtino ſplendori reſtituit. Reverſus vero
„ *Childeberus*, in memoriam bellorum ita fæliciter geſtorum
„ Monaſterium *S. Vincentio* ſacrum exſtruxit, quod nunc *S.*
„ *Germani* in ſuburbiis nuncupatur, illudque pretioſâ Divi
„ Martyris coſtâ, aliiſque aliorum Sanctorum apportatis ex
„ Hiſpaniâ reliquiis locupletavit. Extat adhuc ejus Mona-
„ ſterii inſtitutio, propriâ *Childeberti* manu ſubſcripta, præ-
„ ſente *S. Germano*, *Pariſienſi* Epiſcopo, qui & poſtea privi-
„ legium exemptionis conſentiente Metropolitano, & omni-
„ bus Provinciæ Epiſcopis conceſſit. Sed & *Carolum Mar-*
„ *tellum*, qui langueſcente, & tepente Regum noſtrorum
„ virtute Regni adminiſtrationem ſuſcepit, annotoque, * *Lego: amotoque.*
„ *Chilperico* viam ad ſceptrum *Pipino* filio aperuit, annales
„ tradunt, innumeras *Saracenorum* copias, quæ ſibi Orien-
„ tem, *Africam*, ac *Hiſpaniam* ipſam ſubegerant, uno ad
„ *Ligerim* prælio, profligaſſe, atque iterum *Viſigotthos*, &
„ *Saracenos*, conjunctis copiis, *Narbonenſem* Provinciam oc-
„ cupare aggreſſos, funditus deleviſſe. Quid vero *Carolus*
„ *Magnus*? unde obſecro egregios illos *Magni*, *Sancti*, atque
„ *Inviti* † titulos adeptus eſt, niſi ob prælia pro fide, & † Lege: *Invicti.*
„ Religione fæliciter geſta, cum & *Sarracenos Hiſpaniam* in-
„ colentes, bello perdomitos, intra ſuos limites remanere
„ coëgit,

ex hiſtoria petitis, oſtendit quanta obligatione devincta Hiſpania Gal-liæ *eſſet, pro fide Catholica ibi ſtabilita, ſæpiuſque reſtituta, Regibuſque conſtitutis, & affinitatibus contractis.*

1593. „ coëgit, utque Catholicos incolas, quietos sinerent, effecit. Eam ob causam *Alphonsus Castus* Rex *Galliciæ*, & *Asturiarum* se *Caroli Magni* PROPRIUM inscribebat: cumque Belcares insulas (hodie *Majoricam*, & *Minoricam* vocant) *Carolus magnus* in clientelam recepisset, atque in * *Mauris*, *Saracenisque* defendisset, *Ludovicum pium*, Regem *Aquitaniæ* constituit, ut propius adesset Christianis *Hispaniæ* contra *Saracenos*. Neque vero tacitus præterire possum, quod de *Bertrando Guilielmo*, militiæ in Galliâ Magistro, Historiarum *Hispaniarum* monumenta testantur, qui vocatus in *Hispaniam*, ac eò *Caroli* quinti, nomine *Sapientis*, jussu profectus, *Petrum Castellæ* Regem, cognomento *Crudelem*, qui ab *Urbano quinto* damnatus, & ob crudelitatem invisus, Judæis favebat, de sede Regiâ dejecit, ac in ejus locum *Henricum de Transtamara* † suffecit. Cui *Castilienses*, & *Legionenses*, quam lubentissimé sese dediderunt cum dicerent, se antiquo *Gotthorum* Regni exemplo, posse ab ejus Regis obedientiâ subducere, qui in Tyrannum degenerasset, & alium sibi constituere, nullâ habitâ successionis ratione, adeo, ut si quid hujusmodi hâc nostrâ tempestate contigerit, minime novum videri debeat. Multa sunt ejusmodi Regum *Franciæ* in *Hispanos* propensæ voluntatis testimonia, in eo vero, vel maximé apparet, quod hic illi plerumque, se non amicitiæ tantum, sed, & affinitatis vinculo devincire studuerint. Percurrantur animo tres Regum nostrorum familiæ, *Clodovæa*, *Carolina*, & *Hugo-Capettæa*: nulla erit, quæ nobis hujus rei exempla non suppeditet. Testis est *S. Ludovicus* Hispanâ matre natus: testis uterque *Philippus*, primus videlicet, & *Augustus*. Testis etiam nostra ætate *Franciscus primus*, qui *Eleonoram Caroli quinti* sororem uxorem habuit, & *Henricus secundus*, qui *Philippo* Regi vestro Catholico filiam matrimonio junxit, eumque coluit tantâ benevolentiâ, ut jam non generum socer, sed charissimum filium Pater optimus unicé diligere videretur. Testis denique *Carolus nonus*, qui *Elisabetham Austriacam*, *Maximiliani* Imperatoris filiam, & *Philippi* Regis vestri neptem, vitæ innocentiâ, morumque sanctitate Gallis omnibus clarissimam ‡ uxorem duxit; cujus adhuc mater, pietate, ac Religione clarissima, in Hispaniâ est in humanis.

* *Numquid legas*: à.

† Henry II. Comte de Tristemare.

‡ *Lego*: charissimam.

„ nis. Jam verò mutato rerum ſtatu in Galliâ noſtra im- 1593.
„ piis hæreticorum furoribus omnia miſcerentur, non eſt
„ paſſus Clementiſſimus, ac miſericordiſſimus Dominus, ut
„ lapſi collideremur, ſed ſupponens manum ſuam, Regem
„ veſtrum Catholicum excitavit, qui viciſſim nobis in tantâ
„ rerum neceſſitate opitularetur. Et maximis quidem nos
„ periculis liberavit Rex Catholicus, Catholici nomine di-
„ gniſſimus. Verè enim Catholicus cenſendus eſt, qui *Hiſpa-*
„ *niis* univerſis Catholicis imperat, cujus Regna ſingula ne-
„ mo ante ipſum, ac ne *Romani* quidem ipſi tam pacaté ob-
„ tinuerunt. Verè Catholicus, qui fidem Catholicam ſuis
„ non modo in terris, ſed & in externis Regnis contra omnes
„ *Turcarum*, & Hæreticorum impetus defendendam ſibi,
„ propugnandamque propoſuit. Quin & omnium primus,
„ Chriſtianos, quâ ratione ipſi *Turcas* ſuperarent, ſuo ex-
„ emplo edocuit. Veré Catholicus, qui ad extremas uſque
„ mundi partes ante noſtram ætatem incognitas, Religionem
„ Catholicam publicandam diſſeminandamque curavit. Cujus
„ virtutes eximias, egregiumque in tuendâ, & propagandâ
„ fide zeli ardorem, quis non efferat laudibus, non amet,
„ non admiretur? Laudetur ſané *Trajanus* Imperator ex *Hi-*
„ *ſpaniâ* oriundus, & Patris Patriæ titulo decoretur, quod
„ in re miltari diligentiam, in civibus lenitatem, in ſuble-
„ vandis civitatibus largitionem maximam exhibuerit, & ea
„ duo ſit conſecutus, quæ in egregiis Principibus requirun-
„ tur, ſanctitatem Domi, fortitudinem in armis, utrobique
„ prudentiam. Laudetur magnus quoque ille *Theodoſius* gene-
„ re quoque *Hiſpanus*, & Reipublicæ propagator, defen-
„ ſorque proclametur, quod *Hunnos*, & *Gotthos*, qui eam ſub
„ *Valente* defatigarant, diverſis præliis vicerit, *Maximum* Ty-
„ rannum, qui *Gratianum* interfecerat, ſibique *Gallicis* *
„ vindicabat, apud *Apuleyam* extinxerit: *Victorem* quoque
„ ejus filium, intra infantiæ annos à *Maximino* patre Augu-
„ ſtum factum necaverit, *Eugeniumque* tyrannum, & *Argo-*
„ *baſtem* ſuperavit, deletis eorum decem millibus pugnato-
„ rum. Habeatur Rex egregius *Ferdinandus* qui *Mauros*, &
„ *Judæos* ſibi ſubditos, aut *Hiſpaniæ* finibus egredi, aut
„ fidem Catholicam profiteri coëgit. Ornetur laudibus *Maxi-*
„ *milianus* Catholicæ Suæ Majeſtatis abavus, qui Chriſtia-
„ num

* *Lego*: Gallias.

1593. „ num nomen extulit, auxit, ornavitque magnificentissimè.
„ Sit in æternâ gloriâ *Carolus* ejus pater, qui pro pietate
„ totus armatus, tam multas hæreses dissipavit, tot Christiani
„ nominis hostes bello fudit: qui *Germanos*, *Lutheranâ* labe
„ infectos, & à summi Pontificis obedientiâ discifcentes,
„ Christi jugum ferre coëgit. At merito certè his omnibus
„ anteponetur Hispaniarum Rex *Philippus*, qui totus pro
„ aris, & focis, pro Christiani nominis dignitate, pro anti-
„ quæ, & verè Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Reli-
„ gionis aucthoritate bella gessit. Cujus omnis ætas, non
„ modo in propagandis finibus Imperii, quod habet maxi-
„ mum, atque amplissimum, sed multo magis in fide Catho-
„ licâ defendendâ, & amplificandâ, oppugnandisque hæ-
„ reticis versata est, qui Regnum nostrum ab hæretico ty-
„ rannide, duabus præsertim in obsidionibus, missis sub
„ *Parmensi* Duce, viro manu, ac consilio strenuissimo, auxi-
„ liaribus copiis sibi vindicandum putavit. Qui Statum ac
„ regnandi cupidinem Religione nunquam prætulit, sed
„ quemadmodum *Jovinianus* mortuo Apostatâ *Juliano* unâ
„ universi exercitus acclamatione Imperator designatus, ne-
„ gavit se ullam pacis conditionem inire, aut iis imperare
„ velle, qui Religionem Catholicam, non amplecterentur,
„ quod & ipsi se facturos illico responderunt: sic neque
„ Catholica Sua Majestas ullis unquam Regnis, aut Provinciis
„ præesse voluit, in quibus CHRISTUS per fidem non re-
„ gnaret, memor aureæ illius *Optati Milevitani* Divo *Augu-*
„ *stino* contemporanei sententiæ: *Religionem in Republicâ, &*
„ *Rempublicam in Religione esse oportere.* Quod ita est acci-
„ piendum, ut quanto anima præstat corpore, tanto Statui
„ Religio anteponatur. Et id quidem optimo cuique Principi
„ debet esse persuasum. Hærebat hæc scilicet *Francisci* Regis
„ nostri, ejus nominis *primi* fixa animo sententia, qui cum
„ suaderetur exercitum per *Germaniam* transmittere, con-
„ junctisque sibi *Germanorum* viribus Imperatorem aggredi
„ (sic enim fore, ut eum facillimo negotio superaret) non
„ est obsecutus, quod existimaret, id esse negotium Religio-
„ nis, quam sartam, tectamque esse cupiebat. Paternæ hujus
„ virtutis non minus, quam Regni, hæres *Henricus secundus*
„ ipsius filius, cum de ineundo inter ipsum, ac ipsius gene-
„ rum

„ rum Regem Catholicum fœdere *Cameraci* ageretur, moni- 1593.
„ tus, ut re diligentius inspectâ sibi consuleret, satis sibi
„ consultum esse respondit, si quæ spes illi erat, id ex eo
„ fœdere consequeretur, ut nascentes in Regno suo hæreti-
„ corum sectas posset evellere: nec enim se Regni amplitu-
„ dinem, tam numerosâ Provinciarum, populorumque mul-
„ titudine, quam salute animarum metiri, idque unum sibi
„ maximæ curæ esse, ut integra, illibataque Religio serva-
„ retur: Quâ eâdem Christianæ pietatis laude inter cæteros
„ claruerunt *Guisianæ*, imo potius *Lotharingiæ* familiæ Prin-
„ cipes, qui velut alii quidam *Machabei*, & splendida *Gallicæ*
„ gentis lumina, de fide, ac Religione, quoties actum est,
„ ne quid ea detrimenti pateretur, suas non modo fortunas
„ omnes, sed & sanguinem, vitamque ipsam liberalissimè
„ profuderunt. Sed redeo ad Catholicum Regem vestrum,
„ quem secundum Deum veluti liberatorem suum agnoscit
„ *Gallia*. Postquam irrepsêre in hoc afflictissimum Regnum
„ hæreses, cœpitque ipsum inde variis bellorum procellis
„ agitari, possem ego numerare continuos septem, vel octo
„ Pontificies, qui Catholicorum partes amplexati, multis
„ nos magnisque exercitibus, & ingentis pecuniæ vi adju-
„ varunt. Maximè vero omnium *Clementis octavi* Pontificis
„ maximi singularem paternæ in nos benevolentiæ sollicitu-
„ dinem magis, magisque indies experimur. Verum hos
„ omnes, uti divitiarum affluentiâ, sic profusâ in nos libe-
„ ralitate, & munificentiâ Catholicus Rex vester superavit.
„ Pro quo immortali, ac prope divino beneficio, Regiæ suæ
„ Majestati, vestræque Excellentiæ, quæ sanctum hoc lega-
„ tionis munus obiit, gratias, non quantas par est, sed quan-
„ tas animi nostri concipere possunt, amplissimas agimus,
„ omneque studium, & operam vicissim deferimus, ac tanti
„ beneficii memoriam, nunquam apud nos intermorituram
„ esse pollicemur, id unum obnixè precati, ut qui præsenti
„ auxilio indigemus, maturè nobis succurrere, atque fla-
„ granti huic nostro incendio remedium adferre pergatis. Sic
„ enim futurum speramus, ut res nostræ, magnâ cum Regis
„ vestri laude, & immarcessibili gloriâ fæliciter succedant.
„ His gradibus Catholica Sua Majestas viam sibi facilem pa-
„ rabit in cœlum, ubi divinâ visione (in quo sita est hominis

1593. „ beatitudo) inter cœlestes, ac beatas sanctorum animas, „ tandem aliquando perfruatur, in quæ dilecta tabernacula, „ dum in laborum Religionis causâ susceptorum mercedem „ divinâ benignitate admittetur, non solum millia millium „ Angelorum, qui Altissimo ministrant, occurrent ei, sed „ & populi pene innumerabiles, quos ab infidelitatis errore „ revocavit, vel ab hæresis vindicavit pravitate, obviam „ venientes, venient cum exultatione portantes cum eo ma„ nipulos suos. “

* *Mansfeldium.*

XII. *Dumenæus* post captum *Noviodunum*, *Carolum* * cum exercitu ad fines *Picardiæ* proficisci curavit, ejus potius alendi, quam memorabile quid tentandi causa. Et post *Parisiis* indictam comitiorum congregationem ad decimum septimum diem mensis Januarii anni 93. tandem cum *Guisio*, *Aumalo*, *Rhonæ* †, aliisque Nobilibus eo venit, ut tum demum in comitiis de rebus publicis agi cœptum. Erat ornatum, ac compositum ad congregationem in Domo Regiâ (vulgo *Louvre*) cubiculum illud, quod aureum vocant, hâc in formâ. Tensum erat in medio ad latus sinistrum introeuntibus tabernaculum, sub quo considebat *Dumenæus* tanquam Regis vicem gerens, ejus latus dexterum claudebat Legatus, quem sequebantur dictus *Cardinalis* **, & suo ordine plures Archiepiscopi, & Episcopi. Ad levam sedebat *Ferianus* cum suis Collegis, & post eos Mareschalii Regni. Sedebant Secretarii ad parvulam mensam ante thronum, & post eos deputati omnes suis ordinibus. Cumque adventaret *Ferianus* cum suis, exibant tot ex Ecclesiasticis, quot erant illi, introitum usque cubiculi magni, quod ante erat, unde positum unumquemque ad latus dexterum comitabantur eos usque ad cubiculum congregationis. Summa mandatorum, quæ *Ferianus* attulerat, sunt hæc : *Insisteret ante omnia erigi Regem Catholicum, exclusis Principe* Biarnensi, *omnibusque aliis familiæ* Burbonenis: *proponeret deberi Regnum* Elisabethæ Philippi *Filiæ natu majori, respectu matris, quæ cum fuisset filia natu major Regis* Henrici secundi, *ac omnes fratres sine prolibus defunctos supervixisset, tanquam sanguine vicinior ultimo possessori, Regni erat hæres legitima, nil contra id faciente lege, quam* Galli *vocant* Salicâ

† Rosne, *Gentilhomme Lorrain, cadet de la maison de Savigny, Seigneur de Rosne au Duché de Bar.* Hist. de la Ligue liv. 4. p. 415.

Ordo sessionis in Conventu Statuum Generalium.

Propositiones Ducis Feriæ.

** *Pellevæus.*

Salicâ (*de quâ supra*) *quæ nullâ ratione poterat abolére hæreditatem illam, quæ naturâ, ac jure fulciebatur. Et si hoc omnino respuerent, saltem electione eandem* Isabellam *in Reginam acciperent, & si nec id vellent, proponeret ad diem Archiducem* Austriæ Ernestum, Rudolphi secundi *Imperatoris fratrem, cui daretur* Elisabetha *in uxorem. Et quando, & illud negarent, curaret eâdem matrimonii conditione erigi in Regem* Carolum Ducem, Guisiæ *filium natu majorem* Ducis Guisiæ Blesis *trucidati, quem inter Regnicolas ob tam magna per patrem pro eis perpessa, credebat præ omnibus fore illis gratissimum.* 1593.

XIII. Tantusque tandem fuit *Philippi* ardor boni publici, ut & scripto postea *Feriano* mandaverit, si nihil horum trium obtineri posset, proponeret *Carolum Ducem Lotharingiæ*, eâ conditione, ut succederet illi in Regnum filius ille, quem *Philippus* eligeret, dareturque eidem in uxorem *Elisabetha*, & si hoc renuerent, erigeretur Rex, filius natu major *Dumenæi*, cui etiam *Elisabetha* nuberet. Sed de his ultimis binis propositionibus nulla fuit facta mentio; cognoverat enim *Ferianus* jam tunc, cum adventasset, nihil spei benè gerendæ in iis consistere. Addicebat præterea *Philippus* in eventum harum conditionum magna auxiliorum media, quibus Rex electus, unà cum propriis commoditatibus sustentare non solum sese, suosque, sed & hostes debellare posset. *Mendocæus* etiam longâ, ac disertâ valde oratione conatus est persuadére, nil debere obstare Regiæ electioni, nullibi scripta lex *Salica*, verum nil profuit. Noluit ambitio *Dumenæi* exterum in Dominum admittere; noluit cedere nepoti; fuêreque inter Deputatos, qui propositam novitatem abhorrebant. Et supremum tandem tribunal (*Parlamentum* vocant) opposuit formaliter se iis qui electionem Regiam appetebant, edicto in eum finem promulgato, quale hic sequitur.

Causæ ob quas nulla admissa fuit earum propositionum quas Dux Feriæ fecit.

„ XIV. Super Libellis, commonitionibusque antehac Senatui à Procuratore Regis exhibitis, earumdemque thesi, ac causâ bene examinatâ, in deliberationemque deductâ, Senatus totius Curiæ, cui semper unica cura, studiumque fuit, conservandæ Religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, Statûsque, ac Coronæ Regni Galliæ sub protectione, ac imperio Regis Christianissimi Catholici, ac natione Galli, Senatus consulto sanxit, sanxitque ut . . . . . .

Edictum Parlamenti Parisiensis contra eos qui stabant pro electione Regis non Galli.

 „ post

1593. „ post meridiem Dominus Præses *Magister* * bono Consi-
„ liariorum d. Senatus numero comitatus, adeat, admo-
„ neatque Dominum *Ducem Mayennæ* Vicarium Generalem
„ Status, ac Coronæ Galliæ, coram Principibus, ac Offi-
„ ciariis Regni, ne quicquam tentari, tractarique sinat, quo
„ hujus Regni Corona transferatur in Principem extraneum,
„ marem vel fæminam, ut fundamentales hujus Regni le-
„ ges conserventur, & arresta, placitaque dicti Senatus
„ quod attinet ad constitutionem Regis, Catholici, & na-
„ tione Galli, executioni mandentur; utque eâ authoritate,
„ quæ ei communibus fœderatorum omnium votis con-
„ cessa, collataque est, impediat, ne prætextu Religionis,
„ hujus Regni sceptrum transferatur in extraneum, contra
„ Regni leges; provideatque, quam citissimé fieri queat,
„ quieti publicæ, populique succurrat miseriis, & calami-
„ tatibus, in quas incidit; & nihilominus hoc, eodemque
„ Decreto Dictus Senatus abolevit, aboletque omnes tracta-
„ tus fœderaque tam inita, quam posthac ineunda in con-
„ stitutione Principis extranei, maris, vel fæminæ, tan-
„ quam nulla, nulliusque effectus, aut valoris, & velut
„ facta initaque in detrimentum Legis *Salicæ*, aliarumque le-
„ gum, ac constitutionum fundamentalium hujus Regni.
„ Acta in supremo Senatu vigesimâ octavâ Junii 1593."

* Jean le Maistre, *ab ipsomet Duce Mayennæ præses constitutus.*

XV. Atque sic post longas communicationes publicè habitas coram Ordinibus, & privatim in domo legati, præsentibus *Dumenæo*, Cardinale *de Pelleve*, aliisque Proceribus, ac aliquibus ex cœtu Ordinum delegatis, ut ibi inter paucos, quam strictissimè res tractarentur, tandem negotium ad nihilum redactum est, nec *Feriano* aliud datum quam speciosa verba, quibus denegationem in præsens excusantes, constantiamque unionis promittentes, persuadere conati sunt, debere *Philippi* tam potentibus armis eo rem adduci contra *Henricum*, ut cum jam esset electus novus Rex, prout petebat, posset is in solio tutò permanere, ac sustentare se in perpetuum, ad consolationem, & salutem eorum, qui id perfecerant. Quod etiamsi satis intelligeret *Ferianus*, rectam esse viam, quâ pedetentim unio interiret, nihilominus necessitati cedens, ut saltem, quam longissimé duraret, tempusque suppeteret suo Regi, videndi, quid sibi in eo rerum statu conveni-

veniret, ad exemplum docti Medici, qui vitam etiamsi mortali morbo affectam, opportunis studet protrahere remediis, scriptum, quale sequitur construi curavit, cujus exemplar originale subsignatum, & debitis munitum sigillis, Legati custodiæ fuit traditum. 1593.

Transsumptum ultimi conatus Ducis de Feria.

„ XVI. Cum ob plurimas maximi momenti causas visum fuerit non expedire in præsens aliquam Catholici „ Regni Monarchiam constituere, sed eam in aliud tempus „ magis idoneum differre, & tamen necessarium videatur, „ unionem Catholicam ex generali Catholicorum confœderatione, aliquot abhinc annis compositam, cuique postea „ præfuit *Dux Mayennæ*, sartam, tectamque (ut ajunt) ac „ ab omni injuriâ sinceram, integramque servari, primoque „ ejus instituto hærere, impediendi nimirum omni studio, ac „ curâ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Religionis in Galliâ excidium, eamdemque tuendi, conservandi, ac instaurandi, seseque opponendi omnibus, ac quibusve hæreticis, eorumque fautoribus, hæresesque pro viribus extirpandi. Nos *Dux Mayennæ* Vicarius Generalis Status, ac „ Coronæ Regni Galliæ, Cardinalis *Pelleveus*, Duces *Guisiæ*, „ *Aumaliæ*, & *del Beuff*, Archiepiscopus Lugduni, Domini „ *Chartra* (1) *Rhona*, ac *Sancti Pauli* (2). Mareschalci „ Galliæ, unàque Dominus *Toxnabonius*, pro Domino Duce „ *Mercuræ*, juramus super Sancta Evangelia coram Domino „ Legato, & pollicemur fide Principum, ac Nobilium, nos „ inviolatè observaturos, defensurosque Catholicorum fœdus, omniaque, & singula, quæ in eo continentur, nosque in illo fœdere ac proposito permansuros in fidem, „ quam hactenus nobis sequendam proposuimus, nec unquam „ ab eo ullam ob causam, quæ intervenire queat, discessuros, nec generatim, aut speciatim Regi *Navarræ* fauturos, pacemque cum illo inituros, quantamlibet Catholici „ speciem præ se ferat, quin etiam ubi venerit, coieritque „ Catholicæ Majestatis exercitus, novem millium peditum, „ equitum mille quingentorum, simulque ea, quæ fuerunt „ ne-

(1) De la Chastre & de Bois-Dauphin.
(2) Saint Paul *Soldat de fortune*. V. Maimb. Hist. de la Ligue liv. 4. p. 415. & 416.

1593. „ necessaria, ad sustentandum aliquanto tempore equitatum,
„ peditatumque Gallicum, Regio exercitui conjungendum,
„ interque nos convenerit de conditionibus veræ constitu-
„ tionis dictæ Monarchiæ Catholicæ, quæ hactenus fieri non
„ potuit, eâdem fide promittimus nos bellum sine ullâ morâ
„ prosecuturos. Et si tunc nostrum quisquam illis conditio-
„ nibus non assenserit, cæteri omnes tenebuntur eos dese-
„ rere, nihiloque facere, etiamsi plures sint numero, quam
„ dicti fœderati conservandæ Religionis gratiâ, quin immo
„ eos hostium loco habere, nullâque eorum habitâ ratione,
„ ad dictam Catholicæ Monarchiæ constitutionem, liberè,
„ ac sine ullâ difficultate procedere. Spondens dictus *Dux*
„ *Mayennæ* speciatim, omnesque fœderati generatim, sese ad
„ effectum dictæ constitutionis Conventum Statuum Genera-
„ lium non dimissuros, nec quemquam hic, vel alibi disce-
„ dere passuros, uti maximè expedire videbitur. Quem in
„ finem destinabuntur à Rege Catholico octo aureorum millia
„ inter eos distribuenda per illorum Præsidum manus. Dictus-
„ que *Dux Mayennæ* tanquam Vicarius Generalis Status, ac
„ Coronæ Galliæ, sub speciali hoc promisso comprehendit
„ totum, ac generale Catholicorum fœdus, personas, Pro-
„ vincias, urbes, & municipia, comprehensis etiam eodem
„ fœdere Dominis Ducibus *Nemurci*, Comite *Brissacio*, Do-
„ mino *Villartio*, aliisque omnibus, & singulis, pro quibus
„ ipse suam fidem oppignorat, atque interponit, spondetque
„ hoc fœdere obstrictum iri, haud aliter, quam si præsentes
„ essent, atque hoc instrumentum subscripsissent, ut ipse
„ Dominus Dux *Mayennæ*, idem subscripsit; & speciatim
„ obstringunt se huic scripto dicti Domini subscripti respectu
„ Provinciarum, urbium, locorumve, quibus in præsentiâ
„ præsunt. Quibus conditionibus, ac promissis Dominus
„ Legatus ex parte, & nomine Suæ Sanctitatis, & *Dux Feria*
„ ex parte Majestatis Catholicæ, continuabunt fovére dicto-
„ rum Catholicorum fœderatorum partes in beneficium ac
„ conservationem Catholicæ Religionis, uti hactenus fecere.
„ In quorum fidem hoc instrumentum subscripsère manu
„ quisque suâ, suaque sigilla apponi curarunt Lutetiæ Pari-
„ siorum 25. Julii 1593. *Carolus de Lotharingia, Dux Mayen-*
„ *næ*, Cardinalis *Pelleveus*, *Carolus de Lotharingia*, *Dux del*
„ *Beuff*,

„ *Beuff*, *P. de Pinac*, Archiepiscopus Lugduni, *La Chatre*, 1593.
„ *Rhone*, *S*. *Paul*, *Laurentius Ternabonus*, nomine Ducis
„ *Mercuræ*; Ego *Philippus* Cardinalis *Placentiæ*, Legatus
„ Apostolicus in Galliâ certo affirmo, Sanctissimum Do-
„ minum nostrum Pontificem, perseveraturum in protectio-
„ ne Catholicorum sedique Apostolicæ * in eum finem, qui
„ hâc conventione coram me jurejurando confirmata, & ab
„ unoquoque subscripta continetur. *Don Laurentius Suares*
„ *de Figueria & Corduba*, *Dux Feriæ* &c. Assevero Dominum
„ meum Regem Catholicum, continuaturum Catholicorum
„ partes in Gallia fovere, ac protegere, uti hactenus fecit,
„ in eum finem qui hoc præsenti instrumento conventionis,
„ jurejurando coram Domino Legato Apostolico confirmatæ,
„ subscriptæ, ac sigillatæ continetur, uti ex eo est videre.
„ Dux Feriæ. Hoc conventionis Authenticum instru-
„ mentum, Sigilloque munitum, manet penes dictum Do-
„ minum Legatum."

* Adhærentium, *vel*, unitorum. *Id enim videtur deesse*, *ad distinctionem illorum Catholicorum*, *qui Regi* Henrico *adhærebant*.

XVII. Antequam in Comitiis tractari inciperetur, *Dumenæus* scriptum promulgarat, in quo plenè agens de necessariis, ac justis omnino causis, quibus motus eadem Comitia convocaverat, Catholicos, qui partium erant *Henrici*, religiosé admonuit, variisque argumentis pietate plenis persuadere conatus est, ut *Navarrum* Hæreticum deserentes, ad unionem Catholicorum se transferrent, dictisque Comitiis interesse vellent, ut sic communibus omnium votis ea statuerentur, quæ ad Religionem periclitantem tuendam, & conservandam inprimis invenirentur necessaria, ac opportuna, offerens eis ad id omnimodam securitatem, non solum illuc veniendi, sed & recedendi semper, quando placeret. *Henricus* econtra post inchoata Comitia, Edictum, & ipse publicari fecit, quo multa de suo in Regnum jure deducens, omnibus notum volebat, quam indebita, ac contra se, antiquosque Regni usus esset, dicta *Dumenæi* Comitiorum convocatio, admonens variis primum benevolentiæ verbis unumquemque, ne eam accederet, eosque, qui jam ibi essent, quamprimum inde discederent, *Dumenæumque*, de ejusdem progressu desisteret. Postea & jubens hoc tanquam Rex declaransque, eos, qui jussis non obedirent, infra spatium trium hebdomadarum criminis Læsæ Majestatis reos, vitæ, bonis-

que

1593. que damnandos. Sed interim frustra. Stetêre enim constantes in incœpto *Dumenæus*, aliique omnes, nec fuit tunc, qui pedem inde retrahere voluerit. Catholici etiam, qui ex parte *Henrici* stabant, scripto responderunt ad *Dumenæi* præfatas admonitiones, deque convenientiâ reconciliationis inter se, periculoque in quo versarentur, & Religio, & Regnum. Idem sentientes, quod ille, proposuêre, ut deputarentur ex utrâque parte aliqui, qui unâ convenientes in loco quodam, communi voto eligendo, inter *Lutetiam* ac *Divum Dionisium*, de utriusque periculi remedio agerent, quod annuit *Dumenæus* eâ conditione, ut non delegarentur ex parte *Navarræ* alii, quam, qui essent Catholici, petiitque, ut conferentia fieret, aut in cœnobio *Maumartari*, aut in *Divi Moro*, aut in *Chalet* domo Reginæ, loca vicina *Lutetiæ*. Interim in nullo illorum accidit, sed in pago *Surena*, & illi civitati propinquo. Ierant præterea jam tunc Romam consensu *Henrici* Cardinalis *Gondi* *, & Marchio *Pisani* omnium Catholicorum, qui eum sequebantur nomine, ut Pontificem de suis actionibus earumdemque justitiâ plenè certiorem redderent, ac rejiciendo in *Dumenæum* ejusque sequaces, quidquid tumultuum esset in Galliâ, benevolentiam ejus conciliarent, contra quod egit & tunc in urbe per suos *Dumenæus* quicquid potuit, ita utraque pars promotioni suæ causæ ubicumque, quibus poterat modis, studebat sollicitè.

* Petrus de Gondy, *Episcopus Parisiensis*, *qui obiit anno* 1616. æt. 84. V. Ciacon. to. 4. col. 180.

Amissio Gertrudisbergæ.

XVIII. Hoc anno nonagesimo tertio in Belgio Comes *Mauritius Gertrudenberghamm* assiduò inopinatè invasit, ac post tormentorum aliquam quassationem, munitionem, quam habebant Regii in introitu aggeris, qui ex terrestri *Bredensi* viâ extendit se civitatem versus, fæliciter occupavit, eo Regis incommodo, ut quamvis *Comes Mansseltius* copioso satis exercitu venisset ad subveniendum obsessis, idque per multos dies indefessè, ac strenuè tentasset, ob perditam dictam munitionem, insuperabilemque aliâ viâ civitatis accessum, ob paludes, copiamque aquarum, quibus naturâ est cincta, nihil potuerit efficere, amissâque tandem civitate, coactus fuerit retrahere se cum exercitu. Erat locus summopere rebus regiis opportunus, nocivumque multum eumdem perdidisse.

XIX. Inchoata fuit conferentia *Surenæ* (de quâ antea) vigesimâ nonâ Aprilis, fuerêque Principes Legationis ex parte

Henrici,

Henrici, Archiepiscopus *Biturigensis* (1) & *Dumenai* Archiepiscopus *Lugdunensis* (2) viri insignes, doctrinâque, ac usu rerum clari, habuêreque secum plures Collegas, & istos viros eximios. Disputatum fuit diu, illi his persuadere conantes, ut unusquisque sicut erat *Henrici* ex jure vassallus, sic eumdem pro Rege agnosceret, eique debitam præstarent obdientiam, eoque uno tumultus, ac calamitates ulteriores Regni amputarent. Et hi illis, quod cum nil minus eis liceret, quam adhærere hæretico, Regnique jure cautum scirent, Regem, qui Gallis imperaret, debere necessario esse Catholicum, nollent prodere Religionem, quam profitebantur, sed potius deserendo hæreticum, jungere se cum eis, unàque id statuere, quod ad præcavendam Religionis avitæ ruinam, magis esset conveniens. In quo cum utraque pars diu persisteret, nulla hinc inde cedendi propositi spe, tandem *Henricus* persuasus, quod deserendo professionem hæreticam, in quâ natus, ac educatus fuerat, & ab incunabulis obstinatè egerat, facilius, ac securius Regnum integrum adipisci, eoque potiri posset, ex hæretico in politicum inopinatè transmutatus, nullâ conscientiæ de præteritis apparente compunctione, nec pœnitentiæ præviâ demonstratione, velle se esse Catholicum per suos declarare jubens, ulteriorem inter eos disputationem amputavit, dictæque Conferentiæ finem posuit, nec non postea post factam præsentibus multis Ecclesiasticis, qui suæ erant partis hæresis abjurationem, ab iisdem in Ecclesiam apud *Sanctum Dionisium* vigesimâ quintâ Julii ejusdem anni, summo Pontifice inscio, solemniter admissus, ac introductus fuit. Actus procul dubio rebus suis accomodatissimus, Ligæque mortalis. Quamvis enim hoc tunc apud Ligæ sequaces mero artificii colore depingeretur, fuit nihilominus ejus efficacia, ut illico plures ex Catholicis, iisque præcipui, de reconciliatione cum eo cogitare inciperent. Ad quod accessit, & aliud brevi postea ad debilitandam Ligam ingenii sui politici prudens signum. Cum enim post discessam absque fructu generalem Catholicorum Parisiis con-

1593.

Henricus Rex hæresim ejurat, seseque Catholicum declarat.

(1) Reginaldus de Beaune.
(2) Petrus d'Espinac. *Socios utriusque refert Spond. ad hunc annum N. X.*

1593. congregationem, redeundum esset ad arma, inducias trium mensium occultè procuravit, publicèque admisit, ut sic plerique, populusque undequaque, ex præteritis belli miseriis, summopere afflicti, eoque temporis spatio ad quietis dulcitudinem læti reversi, ægrè inposterum ad novas belli calamitates reduci se finerent. Delegavit etiam quamprimum Romam Ducem *Neversi* *, ut de præfatâ hæresis abnegatione, veræque Religionis amplexu, suâque in Ecclesiam *Divi Dionisii* admissione, ac introitu, Italiam impleret, Sanctitatemque Suam similiter rogaret, dignaretur id suâ authoritate confirmare, ac exinde non minus eum, quam præcedentes Galliæ Reges, pro primogenito Sanctæ Sedis filio agnoscere, ac paternè admittere. Voluit præterea ad majorem fortificationem sui, nec non faciliorem *Ligæ* superationem coronari, prout Regibus modus. Et cum hoc *Rhemis* (possessæ à *Ligæ* sequacibus) fieri nequierat, factum fuit *Charteris* †, quod est Provinciæ *Beotii* Divæ Mariæ Virginis sacrum, non ignobile oppidum, ita constans, quidlibet politicè tentando, quod ad res suas faceret, ut quamvis summus Pontifex noluisset ejusdem postulatis per *Neversium* factis assentire, Duxque passus repulsam, reversus fuisset in Galliam iterum ad idem remisit eum . . . .

. . . .

* Duc de Nevers, Louis de Gonzague.

† *Melt:* Carnoti. Chartres.

Papa absolvit Regem Henricum, eumque Catholicum agnoscit.

(1) *Tiron* Episcopum *de Eureux*, virum prudentem, & doctum, cujus tandem diligentia, non obstantibus in contrarium à *Duce de Sesa* Legato Hispanico, *Ligæque* Ministris, factis variis officiis, tandem ad obedientiam Sanctæ Sedis admissus est, quo cum legitimam Galliæ hæreditatem esset amplexus, ad breve exitium unionem omnino dispofuit.

1594. XX. Accidit hæc Sanctæ Sedis admissio sub finem anni nonagesimi quinti ‡, binos, aut paulo amplius, postquam apud *Divum Dionisium* in Religione resipuerat. Primusque qui post id in eo districtu sese inopinatè *Ligæ* extraxit, partesque

‡ *Lege:* quarti.

(1) Tò eum *abundat. Et pro.* Tiron, *legendum* Perron. *Non enim* Dux Neversius *bis* Romam *missus est; sed eo redeunte, legationem obierunt* Jacobus David Du Perron *episcopus* Ebroicensis *designatus*, &. Arnaldus D'Ossat, *qui ambo postea in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptati, magni viri & tota Europa celebratissimi facti sunt: quorum gesta loquitur omnis historia.*

tesque *Henrici* amplexus est, fuit Dominus *de Vitri* * *Mocautiæ* nomine Catholicorum Gubernator, oppidum decem miliaribus *Lutetiâ* distans, *Ligæ* opportunissimum. Hunc secutus est non multum postea Dominus *de Chartres* **, qui *Aureliæ*, Provinciæque *Biturigensi* præerat. Fecit idem Dux *Guisiæ*, ac *Campaniam*, omniaque sibi à Catholicis credita, *Henrico* tradidit; idem Dominus *de Viluars* †, qui *Normandiam* gubernabat; idem *Lugdunum*, & ipsa *Lutetia*, ac tandem ipse *Dumenæus*, licet ex ultimis, cujus prævaricatione *Liga* omnium corruit. Usus est *Henricus* ad reductionem eorum, qui contra eum stabant, summâ arte, ac prudentiâ; universaliter omnibus, etiam Communitatibus, publico Edicto omnia condonavit absque aliqua restrictione, aut pœnâ. Singularibus, qui (*in*) manu habebant, quod restituerent, multas annuas pensiones, multamque pecuniam numeratam, fixis terminis solvendum liberaliter elargitus est; multis honores, ac munia, quibus tempore *Ligæ* gaudebant, reliquit. Aliis alia dedit non inferiora. Et quod maximè mirum, quamprimum se unusquisque, qualiacumque contra eum egisset, reconciliasset, ita humaniter ac confidenter cum illo egit, & facere perrexit, tanquam si in nihil præteriti unquam incidisset; quâ clementiâ admirabili, unumquemque ita allexit, ut non remanserit tandem in Regno, qui non libenter ejus obedientiæ se submiserit. Exemplum non indinum posteritati relinquendum, ut sciant Principes plus in generali culpâ sæpius valêre mansuetudinem, quam rigorem.

1594.

* Marquis de Vitry.

** De la Chastre.

Universi de Liga, reconciliantur Henrico Regi, certis conditionibus.

† L'Admiral de Villars.

XXI. Cæterum etsi his artibus proficeret indies, manebant tamen vivæ adhuc non contemnendæ Ligæ reliquiæ. Stabat constans in *Britanniâ*, Dux *Mercurius*, secum habens *Joannem de Aquila* cum tribus Hispanorum millibus, qui erexerat ad portum *Blavet*, propugnaculum munitissimum, quo solus potiebatur, miles fortis, militarique scientiâ summopere præditus *Henricoque* merito timendus. In *Provinciâ* manebant multæ à *Sabaudiæ* Duce contra eum acquisitæ subditorum voluntates, locaque aliqua. Tenebat idem Dux occupatam integram ditionem, belloque, *Ligæ* prætextu, eum prosequebatur. Stabant adhuc constans tunc *Dumenæus*, non ab omnibus Regni incolis derelictus, *Decola vicescenescal montis Limali*, qui violentâ ejectione Marchionis *de Mendeæ*, *Ligæ*,

 sibique

1594. ſibique præcipuè *Feram Picardiæ* munitiſſimum oppidum vindicaverat, tranſactione factâ cum Duce *Feriæ*, illud poſt præſtitum fidelitatis juramentum *Philippo* ceſſerat. Stabat pro Hiſpanis vi per *Carolum Mansfeltium* ad deditionem redacta *Capella*, locus munitiſſimus ad fines *Hannoniæ*, pleraque alia per totum Regnum, quæ adhuc ſola ſuâ ſponte *Ligæ* adhærebant. Et favebat ſemper *Philippus* armis, & pecuniâ; contra quæ omnia agebat & armis *Henricus*, quantum in ſe erat: ac tandem volens extremum tentare, indixit *Philippo* bellum apertum, ſperans *, quod ſic milites omnes, qui in Gallia arma profitebantur, ad internum legitimum bellum adduceret, cæteroſque omnes de ulteriore adhæſione Ligæ, externique Galliæ jam aperti hoſtis integrè detraheret. In quo non ita eum fefellit opinio, quantum ex eo illico ſucceſſus ei accidêre valde funeſti, fælices interim poſtea. Cum tandem interceſſione *Clementis octavi* ſummi Pontificis pax inter ambos Reges fuit confecta, prout ſuo loco dicetur. Indixit hoc bellum *Henricus* indecenti ſatis ſtylo, ac tanto Regi indigno, quorum eſt officia etiam inimicitiæ decorè tractare: publicatumque fuit *Lutetiæ* decimâ ſeptimâ Januarii, nonageſimi ſeptimi †. Ad quod reſpondet edicto etiam publico *Philippus*, nil, quod regio decore debebatur, prætermittens, ſed interim modeſté, ac prudenter, prout ex ſubſequentibus Exemplaribus videre licet.

Quare Rex Franciæ bellum Hiſpanis denuntiarit: & denuntiationis tenor.

* *Obſcurus ſermo & qui bumi ſerpit. Audi Spondanum:* Bellum Philippo Regi inferre decrevit, ea ſpecie, quòd facilius Hiſpanos regno pulſurus eſſet, ſi eos foris aggrederetur. *Ad annum* 1594. *N. XX.*

† *Lege:* quinti.

Denunciatio Belli contra Hiſpaniarum Regem.

1595. „ XXII. NEmo in hoc Regno eſt, qui non ignoret „ Regem *Hiſpaniarum*, cùm aperto Marte „ *Galliam*, Divino numine protectam, à ſuiſque Regibus „ glorioſæ memoriæ, fidelium ſuorum ſubditorum auxiliis „ defenſam, invadêre, ac vaſtare nequierit, inteſtinas in „ eâ ſuſtentaſſe, ac foviſſe diſſentiones, & diſcordias, „ quibus obrui poſſe videbatur, & ad hæc etiamnum noſtra „ tempora affligitur. Eo enim uſque ejus in nos odium, „ & regnandi cupiditas provecta eſt, ut non tantum eum „ in finem, immenſam pecuniæ vim profudèrit, præci„ puumque exercitus robur perdiderit, proprias item Pro-

„ vin-

„ vincias, negotiaque neglexerit, verum etiam pietatis Re- 1595.
„ ligionisque prætextu, Gallorum erga Reges suos fide-
„ litatem, ab omni ævo maximis encomiis inter omnes ter-
„ rarum orbis nationes celebratam, tentare ausus fuerit,
„ injuste palam sibi, vel suorum cuique nobilium hujus Regni
„ Coronam affectans. Quod moliri cœpit statim post obi-
„ tum quondam Regis *Francisci secundi*, cui Deus sit propi-
„ tius, in eoque proposito variis modis perstitit * Regem
„ nostrum tenerâ ætate abutens. Præcipue autem infestum
„ suum animum prodidit sub finem Regni *Henrici tertii* glo-
„ riosissimæ memoriæ, Anno Domini millesimo quingentesi-
„ mo octuagesimo quinto, cùm Gallis singulari Dei optimi
„ maximi gratiâ, Regisque pietate, clementiâ, ac justi-
„ tiâ, solidâ, ac generali Regni quiete fruentibus, quam ille
„ stabilire, indiesque magis confirmare ad subditorum sola-
„ tium nitebatur: ipse falsis variisque artificiis, ac prætex-
„ tibus, Regnum flammis, cædibusque longe, latèque
„ vastavit, Catholicos in aliorum Catholicorum perniciem
„ armans, idque contra Religiosissimum prædecessorum om-
„ nium Principum †, quæ illi causa funestissimæ mortis fuit,
„ cujus tristis imago semper oculis, animisque Gallorum
„ verè observabitur, cum reliquis omnibus cædibus, latro-
„ ciniis, excidiis, calamitatibusque, quæ postea consecutæ
„ sunt, quorum malorum gravissimo oneri Gallia procul du-
„ bio oppressa succubuisset, naufragiumque fecisset, sine
„ speciali Divinæ Majestatis gratiâ, quæ nunquam ei defuit:
„ sed Regi nostro, & vero Principi, ac Domino vires,
„ animumque subdidit, quibus animosissimè causæ suæ æqui-
„ tatem defendens, simul subditorum suorum Jura, Liberta-
„ tes, bona, vitas, salutem, & honorem, injustos dicti
„ Regis, ejusque fœderatorum conatus elusit, maximo ejus,
„ suorumque dedecore, & opprobrio: ita ut etiam Galliæ
„ certa spes affulgeat, recuperandi sub auspiciis imperio-
„ que Suæ Majestatis, pristinam illam Regni fælicitatem, ad
„ Dei omnipotentis gloriam, dummodo deinceps omnes in
„ fide Regi debitâ, unanimes persistant, Suaque Majestas
„ eosdem modos, remediaque adhibeat, quibus Reges ejus
„ prædecessores, uti soliti in defensione hujus Regni adver-
„ sus hostium insultus. Quibus rebus perspectis à dictâ

* *L.* Regum nostrorum.

† *Inepta locutio. Ego lego:* contra religiosissimum Principem.

1595. „ Suâ Majestate, cui sanctæ nostræ Religionis, propriique
„ honoris conservatio, subditorumque suorum protectio, ac
„ defensio, longè vitâ, ac salute propriâ carior est, quam
„ sæpe liberalissimè pro Regni, subditorumque suorum salu-
„ te, manifestissimis periculis exposuit, ac deinceps etiam
„ exponere paratus est. Cumque, nec ejus ad fidem Ca-
„ tholicam conversio, nec clementia, longanimitasque
„ quâ abhinc quinquennium usus est, nec præsens pericu-
„ lum, quod Christiano orbi impendet: (quod nulli non
„ notum est, nasci ex discordiâ, animorumque dissen-
„ tione, quâ insatiabilis dicti Regis *Hispaniarum* ambi-
„ tio Christianorum animos imbuit) moderari potuerit
„ infestum ejus animum in hoc Regnum, vitamque ipsius
„ Majestatis Christianissimæ, inque ejus bonos, fidosque
„ subditos, & *Cameracenses*, quos Sua Majestas sibi tuen-
„ dos suscepit, in quo illi, suique indies adhuc omne
„ genus crudelitatis exercent, non cessantes illos unde-
„ quaque aperto Marte aggredi, ac vexare, vi expugna-
„ re, in suamque potestatem redigere, ejus urbis captivos
„ abducere, subditos suos expoliare, ac trucidare, ab iis
„ collectaniones, pecuniasque per vim extorquére, atque
„ omnia conjurati hostis facinora exequi, in ipsius denique
„ vitam Regis curare attentari, latrociniis, aliisque fœdis,
„ ac detestandis modis, uti jam pridem reipsâ apparuit, pejora-
„ que subsecuta forent, maximo totius Galliæ infortunio,
„ ni Deus, verus Regum protector, terribilem ictum Galli
„ manu, eò animo prorsus inhumano, & verè Hispanico
„ impulsu (ô facinus horrendum, atque execrabile!) in Re-
„ gem intentatum, miraculosè detorsisset. Quibus de causis
„ Sua Majestas certiores facit omnes, quorum hæc scire in-
„ terest, sese amplius honori suo nolle deesse, nec defen-
„ sioni, quam subditis suis *Cameracensibus* debet. Quæ omnia
„ plane negligere videretur, si longiore morâ, longanimita-
„ te, ac dissimulatione uteretur, majoribusque *Hispanorum*
„ ausis, facinoribusque locum daret; cum præterea maximo
„ suo dolore perspexerit, quam parvi (*faciant*) *Arthesienses*
„ & *Hannonienses* ejus commonitiones literis expressè ad eos
„ datas, quo unà secum belli tempestatem à dictis *Hispanis*,
„ tam in eorum exitum, quam suorum subditorum detrimen-

„ tum

„ tum excitatum averterent: decrevit, constituitque terrâ, 1595.
„ marique posthac *Hispaniarum* Regem, ejusque subditos, &
„ terras aperto Marte persequi, in vindictam injuriarum of-
„ fensarumque sibi, suisque illatarum, eo modo, quo Reges
„ ejus prædecessores in similibus occasionibus secuti sunt,
„ certâ spe nixus, quod Deus, cui intima animi Regis sensa
„ patent, suæque causæ æquitas, quo solet eum favore, & auxi-
„ lio prosequetur, justisque ejus armis subditorum suorum,
„ auxiliis adjutis, prospere omnia succedere dignabitur. Ma-
„ jestas Sua itaque valde imperat dictis omnibus suis subditis,
„ vasallis, confœderatisque terrâ, marique bellum posthac
„ inferre dicto Regi *Hispaniarum*, ejusque terræ subditis,
„ vasallis, clientibusque, tanquam suis, Regnique sui hosti-
„ bus, eumque in finem, vi ejusdem terras invadere, & loca
„ ejus imperii occupare, pecunias, collectationesque belli
„ jure extorquere, ejus subditos, clientesque captivos ab-
„ ducere, prætia redemptionis causâ ab illis exigere, eodem
„ denique modo illos divexare, quo illi in præsens vexant,
„ inposterumque divexaturi sunt Suæ Majestatis subditos,
„ quibus eam ob causam, hoc edicto interdicit omne genus
„ communicationis, commercii, aut negotiationis iure, cum
„ dicto *Hispaniarum* Rege ejusque sociis clientibus, subditis-
„ que sub pœnâ mortis. Revocavit, revocatque jam nunc
„ omne genus permissionum, commeatuum clientelarumque
„ à Majestate Suâ Vicariis generalibus concessarum, quæ
„ præsenti huic edicto adversantur, easque omnes abolet,
„ nec quicquam valere vult post decimum quintum publica-
„ tionis hujus edicti diem, quam fieri imperavit buccinæ
„ sono, voceque præconis in limitibus Provinciarum hujus
„ Regni, ne quisquam ignorantiæ causam prætexat, sed
„ unusquisque edictum hoc observet, atque executioni man-
„ det, sub pœnâ inobedientiæ. Actum Lutetiæ Parisiorum 17.
„ Januarii 1595. Subscriptum *Henricus*, & inferius: *de Neufuille.*

Exemplar Edicti Regis Catholici contra Indictionem Belli à Rege Galliæ publicati.

„ XXIII. CUm necessario, est suscipiendum Bellum, quod
„ secum plerumque omne genus calamitatum,
„ miseriarumque vehit, haud parum solatur Principem, si
„ con-

1595. „ contra jus, & æquum ad arma capessenda provocetur, ac
„ cogatur, quia tunc se omni culpâ eximit, purumque ani-
„ mum gerit à malis, calamitatibusque quæ bella consequun-
„ tur. Nemo mortalium ignorat, quam strictè, sincerè, ac
„ fidè semper observaverimus pacem anno 1559. cum quon-
„ dam Galliarum Rege *Henrico* ejus nominis *secundo* socero
„ nostro (cui Deus sit propitius) initam, negarique non
„ potest, quin post ejus obitum sæpenumero cognatis nostris
„ ejus filiis, Regnique successoribus fuerimus auxilio, cum
„ non contemnendis militum copiis, qui suo sanguine vitæ-
„ que periculo in conservando eorum Regno in eoque sanctâ
„ nostrâ Religione Catholicâ, Apostolicâ, & Romanâ, egre-
„ giam operam præstiterunt. Et quamvis postea Regni *Lusi-
„ taniæ* legitimè ad nos devoluti, motuumque *inferioris* nostræ
„ *Germaniæ* occasione, multoties armis Galliæ lacessati, &
„ vexati fuimus, quorum etiam in præsens cernuntur effectus
„ *Cameraci* occupatione, eamque ob causam justæ nobis
„ non defuerunt causæ, renuntiandæ nostræ amicitiæ; nihilo-
„ minus tamen libenter innumeras offensas, ac injurias no-
„ bis illatas tulimus, nullâ eorum habita ratione, ne pacis
„ fœdus rumperetur, novisque bellis orbis Christianus tur-
„ baretur. Præterea, cum jam pridem ageretur, quomodo
„ imminenti Religionis periculo occurri posset, tanto peri-
„ culo deesse noluimus, posthabitisque propriis nostris ne-
„ gotiis, Catholicos Gallos, auxilium nostrum implorantes
„ adjuvimus. Quibus omnibus actionibus, non obstante si-
„ nistrâ interpretatione *Biarnæ* Principis, Gallia negare non
„ potest, quin plurimum adjuta, protectaque fuerit in maxi-
„ mâ rerum omnium necessitate, ac in re tam arduâ, tanti-
„ que momenti, ut nunquam similem Gallia viderit. Idem
„ præterea *Biarnæ* Princeps paucis abhinc diebus bellum no-
„ bis indixit, prætextibus quibusdam, qui nobis in mentem
„ nunquam venêre, innixus. Cujus rei tam evidens præ-
„ bent testmonium actiones nostræ, ut non sit opus nobis
„ aliâ justificatione. Verum econtra actiones ejusdem Prin-
„ cipis ab ejus infantiâ in detrimentum Religionis Catholi-
„ cæ, eæque insuper, quæ indies in eo conspiciuntur, suf-
„ ficientem Gallis Catholicis præbent materiam, certo cre-
„ dendi, quod ejus omnia studia, conatusque tendunt ad
„ eximen-

„ eximendam, extirpandamque dictam Religionem Catholi- 1595.
„ cam in Regno, ubi semper floruit; quâ re nihil magis de-
„ plorandum, non solum ejus Regni incolis, verum etiam
„ toti orbi Christiano, ejusque sane exitium brevi affuturum
„ crederemus, nisi spes nobis superesset Deum Optimum
„ maximum, pro infinitâ suâ clementiâ, ac misericordiâ erga
„ Christianam Rempublicam motum iri, calamitatemque,
„ quæ Galliæ minatur, ab eâ depulsurum, conatus eorum
„ infringendo, qui eo remis, velisque (ut dicitur) tendunt.
„ Quod ut eveniat incessanter nobis, omnibusque bonis Chri-
„ stianis orandus est. Sed cum res eo vergant, ut cujus con-
„ veniat veritatem patere, ac manifestam esse, ne in erro-
„ rem, ac sinistram aliquam opinionem quisque incidat, nos
„ zelo consueto, affectuque moti, certiores Gallos reddere
„ voluimus, illisque innotescere, nos ob publicatam jussu
„ Principis *Biarnæ* in nos belli denuntiationem, nec posse,
„ nec velle generalem admittere infractionem pacis, quam
„ tot annis coluimus cum Regno Galliæ: nam cum ille, nec
„ agnitus, nec receptus sit à Sancto Patre nostro Pontifice
„ pro Regni illius Rege, eamque ob causam, aliasque etiam
„ maximi momenti in Regem legitimum recipi, nec per con-
„ sequens legitimè infringere pacem potest, adducimur sanè,
„ ut credamus Catholicos Gallos, tam eos, qui persistunt
„ in fœdere unionis, quam, qui ab illo discesserunt, cæte-
„ rosque omnes cum videant & certe vident, instantem Re-
„ ligionis labem, non defuturos in adhibendis remediis, quæ
„ pro viribus adferre poterunt, de stricto obligationis voto,
„ quod eos ligat, nosque de nostrâ parte declaramus nostram
„ esse sententiam, & voluntatem, perseverare in amicitiâ,
„ unione, ac confœderatione Catholicorum Regni Galliæ,
„ qui etiamnum sunt confœderati in defendendâ Religione
„ Catholicâ, eosque tueri, ac juvare omni studio, curâ,
„ mediisque, quæ Deus Optimus Maximus nobis suppedita-
„ bit, eademque iis præstare spondentes, quæ à dicto fœ-
„ dere discesserunt, cæterisque omnibus tam Civitatibus,
„ Municipiis, quam quibusvis personis privatis, qui intra
„ duos menses ab hujus Edicti publicatione, sese volent
„ manifestari, atque haud obscuris signis indiciisque pro-
„ bari, non esse se hostili in Religionem Catholicam, Apo-

1595. „ ſtolicam, & Romanam, atque in nos animo. Prohibentes „ expreſſe omnibus noſtris ſubditis, & vaſallis, cujuſcumque ſint conditionis, ac gradus illos ullo modo offendere, „ & vexare, aut hoſtile quid in eos tractare. Sed quantum „ attinet ad Principem *Biarnæ*, Galloſque, qui ejus partes „ ſequuntur, eos omnes volumus haberi pro publicis mani„ feſtiſque hoſtibus, hoſtiliterque terrâ, marique ſine ullâ „ exceptione tractari. In cujus rei effectum, juſſimus, ac „ jubemus hanc declarationem contra ejus denuntiationem „ fieri, eamque in omnibus locis conſuetis publicari, ut „ recta, & ſincera mentis noſtræ ſententia ubique terrarum „ innoteſcat, omnibuſque manifeſtum ſit, nos hujus belli „ non eſſe authores, noſque nihil tam optare, atque expe„ tere quam honorem Dei, Religionis Catholicæ, & Roma„ næ aſſertionem, Eccleſiæ tranquillitatem, omniumque „ bonorum quietem. Datum in noſtra civitate *Bruxellæ* 7. „ Martii 1597. * per Regem in ſuo Conſilio. *Verreycken.*

* *Lege*: 1595.

XXIV. Dum hæc in Galliâ, venit menſe Januario anno nonageſimo quarto (*in*) Belgium Archidux *Erneſtus* ad Gubernationem, ad quam *Philippus* eum deſtinaverat, prout ſupra dictum, ceſſavitque ejus adventu Gubernatio Proviſionalis *Mansfeltii*, & non multum poſtea venit ad eum *Dumenæus*, poſt traditam *Henrico*, ſe abſente, à ſuis ſequacibus *Lutetiam*, ſtatum *Ligæ* declaraturus, ac de remedio acturus; ſtetit ibi binis menſibus. Interim nihil aliud actum, quam dati illi viginti millia coronatorum, quibus (*ad*) Comitatum *Burgundiæ* profectus eſt. Duranteque ejuſdem *Erneſti* Regimine, Comes *Mauritius* Rebellium nomine *Groeningam* invaſit, ac aſſedio cinxit. Voluiſſet Princeps, quod Comes *Fontanus* ** eo iret cum exercitu ad ſubveniendum obſeſſis, ſed non potuit aut potius noluit, atque ſic deſtituti omni remedii ſpe dedidêre ſe hoſti 22. menſis †. . . . . ejuſdem anni, indicibili Regis incommodo. Eſt enim *Groeninga* civitas magna, & populoſa, ditioque ejus dives, maximique momenti. Creavit etiam tunc *Philippus, Joannem Baptiſtam de Taſſis* ſæpius nominatum in Status Supremo Tribunali ſuum Conſiliarum, cumque illico poſtquam (*in*) Belgium adventaſſet *Erneſtus*, incidiſſet in ægritudinem quandam lentam, quamvis continuis curationibus, ac ope exquiſitorum Medicorum diu ſalutem quæſiſſet,

** De Fuentes.

† Julii. *Borrius lib.* 31. *fol.* 45.

ſet, tandem 22. Februarii 1595. Bruxellis vitam obiit, Princeps Religioſiſſimus, & qui nil niſi virtutem ſapiebat. 1595.

XXV. Comes *Fontanus* ſecreto ſecum attulerat exemplar unum Commiſſionis à Rege dari conſuetum illis, quos ad Gubernandum Belgium committit, quâ præventione videbatur timuiſſe brevem *Erneſti* vitam, ac voluiſſe tempeſtivè præcavére, ne tempore, Interregni ſiniſtrum iterum aliquod in Republicâ contingeret, prudenter procul dubio, & quod exemplar, cum illico poſt mortem Principis exhibuiſſet *Fontanus* in Summo Status Tribunali, prout moris, etiamſi non deeſſent ibi aliqui, qui colore abſentium aliquorum Conſiliariorum, tentarunt rem in longum trahere, prævalentibus votis eorum, qui contrarium convenire ſentirent, ſtatim *Fontanus* ad munus admiſſus eſt, rebuſque publicis diligenter vacare cœpit: & cum eſſet res bellica, quæ magis tunc urgebat, præcipuè ad eam animum vertit. Erant bini Belgarum hoſtes, Rebelles, & Galli, deerant exercitus, quibus unum, & alterum uno tempore invaderet. Interim neceſſe aliquid tentare, ac ſic munitis, quantum fieri potuit limitibus, qui rebelles ſpectant, tandem ad Galliæ invaſionem ſeſe accinxit, alliciente eum ad hoc magnâ ex parte, quod *Henrico* cum ſuo exercitu omnino eſſet neceſſe manere in Ducatu *Burgundiæ*, ad præcavendum, ne *Caſtellæ Coneſtabilis Mediolanenſis* Prorex (quem *Philippus* ad Comitatum Burgundiæ, qui eſt Ducatui contiguus Regio cum exercitu, illo ipſo tempore ad conſervationem illorum, qui adhuc *Ligæ* adhærebant ac Galliam invadendam ire juſſerat) damni aliquid ei inferret, quâ occaſione videbatur non inventurum *Fontaneum* limites *Picardiæ* ita munitos, ut eſſet infactibile magni quid agere. Compoſito itaque in loco opportuno uno exercitu, relictâque curâ politicorum Summo Status Tribunali, Bruxellâ exiit menſe Junio, & ad exercitum ventus, *Chaſtellettum* invaſit, ac brevi in poteſtatem ſuam redegit. Stabat non ita longe inde *Ham* aliud *Picardiæ* non minus oppidum, munitumque propugnaculum, cujus Gubernator diu ante *Ligæ* adhæſerat, & cum *Philippi* Miniſtris tandem tranſegerat ſuper traditione ejuſdem propugnaculi. Gubernator iſte de executione acturus, *Bruxellam* ſe tranſtulerat, ubi cum ſupra formam traditionis diſſentirent, *Fontanus* & ille, volens &

 iſte

1595. iste sub juramento fidelitatis manere Gubernator, alter liberum sibi tradi locum, eò ascendit *Fontani* secreta cholera, ut mandaverit Gubernatori, ne *Bruxellâ* exiret, & cum jam ad exercitum proficisceretur, secum eum duxit, captoque *Chastelletto* prope *Ham* se ponens, matrique Gubernatoris, penes quam stabat locus, nuntiari faciens satisfaceret promissis filii, si salvum illum vellet, nolens illa, jam partes *Henrici* amplexa, filium capite truncari jussit, ac cum exercitu *Dorlanum*, quod est aliud cum civitate munitum castellum versus movit.

XXVI. *Henricus* interim videns se in *Burgundiâ* ita occupatum, ut nullatenus *Picardiæ* posset personaliter adesse, quamprimum de mente *Fontani* scivisset, fecit quantum potuit ad ejusdem defensionem, Ducique *de Nevers* viro forti, ac scientiæ militaris perito mandavit, ut ex diversis propugnaculis, quæ eâ in parte *Galliæ* sunt multa, nec non aliunde, quantum tuto posset, copiam militum colligeret, curamque compescendi *Fontanum* in se sumeret, jussit idem de colligendo milite suo in districtu Domino *De Villars*, ac ut Duci se conjungeret, ejusdem mandatis staret, ut sic promptius, ac melius hosti resisteretur. Præterea cum jam undequaque certa valeret fama, ire *Fontanum* ad obsidendum *Dorlanum*, fertur, quod fuerint plus mille quingenti Nobiles, & alii arma profitentes, qui sponte sua, ut solent Galli in similibus occasionibus, *Dorlano* * sese viriliter inclusêre, ita ut cum jam adventasset cum exercitu *Fontanus* invenerit plenè militibus munitam civitatem, & Castellum. Disputavit diu, an primum civitatem invaderet, an castellum istud parvi districtus, sed bene munitum, atque in tam eminenti loco constructum, ut omnino subjugaret civitatem, quæ quamvis fossâ esset cincta, eaque aliquâ aquâ plena, parum in muro habebat fortitudinis. Dicebat *Lamottius* (de quo sæpius) deberi primo occupari civitatem: alii, qui contrarium sentiebant, allegabant, quod cum castello capto necessarium futurum erat civitati, pauco exercitus labore sese dedere, propter eminentiam jam reductam in *Fontani* potestatem, non deberi binis molestiis, ac periculis quæri, quod uno poterat sufficienter. Sed tandem diremit disputationem mors *Lamottii*, qui fixus in suâ opinione, quamvis sæpius perlustrasset per noctem fossam, ac partem, ad quam volebat civitatem quati,

* Dourlens en Artois.

nun-

nunquam ſatius videre, quod appetebat, unà ad idem rediens, 1595.
ſtanſque in margine foſſæ, ſclopeto ab hoſtibus ictus periit. Mors indigna ob rem tam parvi momenti, erat enim ſcientiæ militaris uſu acquiſitæ ſingularis, ac prout (ſi memini dixi & alibi) vir ſtrenuus, & fortis, atque ad majora aptus. Mortuo *Lamottio*, *Fontanus* primo loco expugnationem caſtelli elegit, dumque ſollicité agit de iis, quæ ad id erant neceſſaria, adfuit vigeſimâ quintâ Junii divæ *Annæ* ſacra, ſummo mane nuntius, qui adventare Gallorum exercitum aſſerebat ad ſubveniendum obſeſſis, eratque verum. Dominus enim *de Villars* cum collegiſſet, prout ei juſſerat *Henricus*, equeſtrium, ac pedeſtrium ſatis copioſum militem, oblitus alterius mandati, conjungendi ſe cum *Nevertio*, aut potius volens gloriæ victoriæ, quam forſitan certam ſibi perſuadebat, ſolus potiri, *Dorlanum* verſus venit. *Fontanus* è contra poſt acceptum hujus adventus nuntium, ita diligenter, atque aptè ſuos diſpoſuit, ut obſeſſi, dum extra pugnaretur, nil ei damnum intus inferre potuerint, & *Villartius*, etiamſi id, ad quod venerat, fortiter tentaſſet, pugnaſſetque ſtrenuè, victus brevi temporis ſpatio, *Fontanum* à periculo liberavit, *Dorlanumque*, quam ſalvare venerat, ad celeriorem perditionem præparavit. Periit Gallorum ſatis magnus numerus, *Villartius*que & ipſe, dum fugâ ſalutum quærit, occiſus eſt. Ex Regiis pauci deſiderati. *Fontanus* vero, adepta tam opportunâ victoriâ, jam ab extero hoſte omnino liber, quamprimum collocatis ſuo in loco tormentis bellicis, Caſtellum quati cœpit, perrexitque, donec ſufficiens, videretur facta muri ruptura, per quam invaderent milites, quod ſigno dato ita fortiter fecêre, ut paucis amiſſis illud occupaverint. Acciditque illico poſtea & illud, quod contra ſententiam *Lamottii* judicarant multi, ut poſt Caſtellum captum, occupata etiam fuerit civitas, qui intus inventi, aut cæſi, aut capti, civitaſque victori prædæ ceſſit.

XXVII. Cæterum *Fontanus* poſt adeptos trinos hos egregios, ac fælices ſucceſſus, conſiderans, quid ſoleat poſſe in bello fortuna, cum flat, ſi eâ diligenter utatur, videnſque Gallis in illis finibus, dum in *Burgundiâ* hæret *Henricus*, nil virium ſupereſſe, impediendi quidquid ulterius tentare vellet, ſuoſque, etiamſi præliis, aliiſque belli incommodis, ali-

1595. aliquantulum diminutos, interim ita animo victoriis fortificatos, ut quidlibet superare posse certo sibi persuaderent, *Cameracum* invadere decrevit. Res erat difficillima, Civitas magna, fossâ, & vallo optimè munita, habens etiam Castellum munitissimum, credebaturque *Balaniam* *, qui Principatum usurpatione ibi agebat, habere intus copiosè annonam, ac alia omnia ad salutem civitatis, ac castelli necessaria, nec non multum, & expertum militem, quo se facile defenderet. Sed his non obstantibus vicit victori virtus, atque ita compositis in *Durlano* sufficienter rebus ad securitatem, ac constituto ibi in supremum Præfectum *Joanne de Cordoba* Hispano nobili, rei militaris perito viro, *Cameracum* versus cum exercitu movit, illudque, prout potuit melius, assedio cinxit, ac oppugnare cœpit, perrexitque donec tandem post varia à militibus viriliter acta, multorumque tormentorum bellicorum quassationem, cives invito *Balaneo* cum *Fontano* certis conditionibus transigentes civitatem illi dederint. Cumque nullâ interpositâ morâ ad Castelli oppugnationem properasset, & illud etiam post aliquot dies à *Balaneo* deditione recepit. Miserat obsessis, dum adhuc assedio urbis vagabatur Nevertius, volens eam juvare, quantum in se erat, filium unicum adolescentem ductum à Domino *de Wiche* †, strenuum, ac scientiæ militaris apud Gallos virum doctum cum quingentis equitibus, qui per medium excubiarum uno manè viam sibi fortiter aperientes, civitatem incolumes intravêre, sed nihil profuit. *Balanius* ex Principe redditus privatus, cum suis, suo, ac omnium supellectile (*in*) Galliam unde venerat reversus est, & *Fontanus*, quod præcedentibus victoriis tantæ civitatis recuperationem adjecisset, magni Ducis opinionem adeptus, Regi suo opus utilissimum, sibi vero insignem gloriam merito comparavit.

* Baligny.

† De Vich.

XXVIII. *Mauritius* (dum *Fontanus* D. in Galliâ) miserat ad partes Rheni copiam aliquam militum equestrium, ac pedestrium, ductore *Philippo* Comite *de Nassaw* patruo suo, ut res regias eâ in parte absente defensore lacesseret. Sed *Fontanus* è contra miserat & ille contra ipsum *Mondragonium* cum copiis collectis ex iis, quas ad defensionem hinc inde reliquerat, qui ut erat miles egregius, tandem hostes *Philippo* occiso cædit fugavitque.

XXIX. *Fon-*

XXIX. *Fontanus* vero, cum jam post recuperatum *Cameracum*, nec tempus ad hiemen vergens, nec multæ consumptiones factæ earum rerum, quæ ad oppugnationes civitatum sunt necessariæ, nec non dimunitio militum, ei permitterent quid ulterius tentare, per aliquod tempus in eo constitit ad res componendas, quibus tandem peractis, relicto ibi in supremum Præfectum Castelli, urbis, ditionisque *Augustino Mexiæ* *, viro Duceque illustri, cum sufficiente præsidio, reliquoque exercitu ad hyberna misso, per *Attrebatum*, *Insulas*, *Tornacum* triumphans *Bruxellam* rediit. 1595.

* Erat Gubernator arcis Antverpianæ.

XXX. Reversus erat & jam tunc *Conestabilis Castellæ* † exauctorato exercitu (*in*) Italiam, nil apud *Sequanos*, quod esset momenti, actum relinquens; & *Henricus* ejusdem periculo liberatus, quamprimum *Feriam* invaserat. Cardinalis etiam *Albertus* Archidux, Imperatoris frater, ac Archiepiscopus *Toletanus*, quem *Philippus* ad Belgium gubernandum delegaverat, erat in itinere cum copiis aliquot militum, & cum scivisset *Feram* periclitari, voluisset, quod *Fontanus* cum copiis, quas secum habebat, ei subveniret, sed excusavit se iste ratione paucitatis copiarum, ac sic antea *Bruxellam* intravit mense Januarii anni 96. quam de salute *Feræ* aliquid agi potuerit. Versabatur fere periculum in annonæ penuriâ, in quo ante omnia provideri erat necesse, ut haberent, unde se alerent obsessi, donec armis liberari possent, atque sic illico de isto remedio ita diligenter actum ut *Georgius Basta*, qui adhuc tunc temporis erat equitum levis armaturæ Commissarius generalis, famem fere ad mensem unum sufficienti tritico sublevarit; modo ita ingenioso, ac forti, ut non immerito ad gloriam Victoris ac exemplum posteritati utile explicari debeat. 1596.

† Don Fernando de Velasco.

XXXI. Erat res maximi periculi plena, nulla enim patebat ad obsessos, nec inde redeundi via, nisi per media hostium castra, ubi præsente *Henrico* nulla in excubiis erat negligentia, consistebatque rei bonus exitus in secreto, quo posset *Georgius* esse inter illos, antequam aliquid de adventu suo scivisset; quod procuraturus elegit ex equitatu tantas, ac tales turmas, quales ad rem tam arduam convenire sentiret; hoc colore: velle illas melioribus in hybernis collocare, jussit, ut *Tornacum* versus locaque vicina, ita remota à finibus Gal-

liæ,

1596. liæ, ut nil aliud suspicari posset, se transferrent; eodemque tempore componi *Chastelletti*, clausis portis tantum numerum sacculorum, quanti essent dictarum turmarum equi, tritico non ultra pleni, quam permitteret equus, ultra suum armatum militem. His ita compositis unâ nocte itineri se committens, antequam lucesseret, *Chastelleti*, unicuique equo sacculum unum imposuit, ac eâ ipsâ celeritate Galliam intrans, per medium Gallorum exercitum *Feram* antea pervenit, quam quid hoc sibi vellet, plenè hostes scirent, atque tantâ celeritate sacculos dejecit, ut quamvis ad arma concurissent omnes, eâdem, quâ ierat viâ, ad suos incolumis reversus sit.

XXXII. *Albertus* interim nullâ morâ interpositâ de *Fera* integrâ salute cum Consiliariis bellicis agebat. Fuere aliqui, qui vi obsessis subveniri posse, ac debere sentiebant, alii, & isti plures, qui prælii periculum abhorrentes, obsidendum dicebant alium in Galliâ præcipuum locum, talis *momenti*, ut *Henricus Feram* relinquens liberam, ad ejusdem salutem advolaret, aut si hoc non faceret, saltem id perderet, quod erat majus, & aliunde *Albertus Feram* perdendo, aliud, quod plus valebat acquireret (vocatur subveniendi locis obsessis ista forma, in scientiâ militari *diversio*) quam amplexus *Albertus*: locum, quem invadere designabat, in pectore secreto tegens, tandem jussis ire *Hannoniam* versus copiis omnique apparatu bellico, quo in eâ expeditione uti volebat, relictâque re politicâ curæ Tribunali Status: jam *Italiam* versus profectus *Fontanus* *, *Bruxellâ* exiens *Duacum* se contulit, atque ibi datâ Domino *de Rhone* (de quo alibi) curâ, ut copiis pedestribus, ac equestribus, apparatuque bellico, quem elegisset, quam celeriter posset, anteiret, *Slusamque*, quæ erat extra *Calletum*, in suam potestatem redigeret, ac per Dunas, *Risbandum* quod est propugnaculum in ipso portu, occuparet, dum ille cum integro exercitu sequitur: *Rhona* mandatum eâ diligentiâ, ac dexteritate consecutus est, ut captâ *Sclusâ Risbandum* occupaverit. Ierant cum eo ad expeditionem tam arduam ex Hispanis *Ludovicus de Velasco* cum suâ legione, ex Walonis D. *Bourlota* & Comes *de Bucquoy*, cum suis Germanorum equitatum aliquæ cohortes, ac turmæ, quæ copiæ ad numerum quinque millium se extendebant, post quod tam fælix principium, cum *Albertus* cum integro

* Jam Italiam versus profecto Fontano. *Ita legendum arbitror, ut significetur, summam rei penes* Albertum *fuisse, prædecessore jam profecto.*

integro exercitu statim adventasset, *Calletum* undequaque obsidere jussit. Erat de fortitudine *Calleti* summa per orbem opinio, ita ut videretur invasione ejusdem ad magna se posuisse, remque intentasse, plenam periculi, dubiique successus, pro ut certo erat, habebat enim castrum munitissimum, eratque cinctum terram versus waluartis, vallisque fortissimis, fossâque magnâ ac copiosâ aquâ plena, fuitque multorum judicium, quod nullo modo capi potuisset, nisi præcessisset occupatio illa *Sclusæ*, ac *Risbandi*, quo solo ob neglectam per Gallos mare versum similem fortitudinis erectionem, *Albertus* locum, ad cujus occupationem, aliter non suffuturus fuisset integer annus, novem dierum spatio in suam potestatem vi, ac deditione redegit. Vi primum Burgum, qui ad mare, ac in ipso portu est, post aliquam eâ in parte, bellicorum tormentorum quassationem, ac defluxo mari, virilem Hispanorum invasionem. Civitatem postea, deditione, quam intra eam existentes promiserunt, si spatio dierum octo non fuissent subventi. Ultimò, vi castrum, in cujus invasione post multam tormentorum bellicorum quassationem, passi invasores Hispani, ac Walloni primâ vice repulsam, secundâ ad invasionem reversi, adjuti quassatione binorum tormentorum bellicorum, opportuno in loco positorum (quibus Regii à tergo feriebant) defensores, ita strenuè oppugnavêre, ut quamvis subventi quadringentis militibus, quos Dominus *de Camponala* *, *Boloniæ* Gubernator, quatuor diebus antea per vadum mari defluxo, eis attulerat, Castrum occupaverint. Cæsa fuit ex defensoribus maxima pars, inter quos Castri ipse Præfectus *Dominus de Widosam* **, aliqui capti (inter quos Dominus *de Camponala*) qui postea, ut unusquisque potuit melius, pecuniæ pretio se redimerunt. Cæterum in castro optima inventa præda, quâ multi ex victoribus abundanter labores assedii, periculumque invasionis sublevavêre. Fuitque tantæ annonæ copia, ut sufficere potuisset ad decennii assedium, quæ prout juris in Regis † usum cessit.

1596.

* Campagnolle.

** De Vidosan.

† *Nonne legas*: in victoris usum &c.

XXXIII. Erat non longè à *Calleto* ‡, viciniusque Flandriæ, aliud Gallorum non multæ capacitatis, sed munitissimum propugnaculum, *Ardea* § dictum, quo non capto, non ita utilis fuisset *Calleti* occupatio, propter infestationes, ac molestias,

‡ Calais.

§ Ardres.

1596. lestias, quibus Galli, inde euntia, ac redeuntia *Caleto Flandriam* versus, difficilia quotidie, ac periculosa reddere potuissent, quod prudenter considerans *Albertus*, quamprimum de eâ expugnandâ agere cœpit. Festinans itaque in componendo *Caleto*, in iis quæ ad securitatem erant necessaria, tandem relicto ibi in supremum Præfectum *Joanne de Rivas*, Hispano insigni, ac prudenti milite, exercitum *Ardeam* transtulit, eamque obsidione cinxit. Habebant, qui intus erant munitum vallo, ac fossâ, præsidioque sufficienti Burgum ad portam vulgo dictam ..... quem capere erat necesse, antequam de ulteriore oppugnatione agi securè posset: quamobrem jusso plus semel lustrari per diversos, aditum dictum Burgi cum intellexisset tentari posse cum spe boni successus, invasionem ejusdem unà nocte *Simoni Anthonis Lusitano* insigni militi commisit, ut cum suâ, aliisque aliquibus Hispanicis cohortibus, eandem vi tentaret, quod ita fortiter ab isto actum, ut, quamvis in ipso introitu sclopeto in calcaneo ictus caderet, cæteri viriliter prosequentes Burgum occupaverint.

XXXIV. Vergebat jam tunc iterum *Fera* annonæ penuriâ ad deditionis necessitatem, metuebaturque merito, ne tradita *Henrico* daretur ei tempus accurrendi *Ardeam* versus, ad eam succurrendam. Qua propter *Albertus* omni quâ potuit fieri diligentiâ, de adducendis, ac collocandis instrumentis bellicis in ipso fossæ urbis margine, unde opportune quateretur, agere cœpit. Exequêre rem viriliter, illi quorum hoc erat curæ, positaque fuère multa; omniaque, quæ ad quassationem erant necessaria allata. Quod cum vidissent obsessi, de deditione cogitare, ac demum agere cœpere. Erat summus Præfectus *Ardeæ* Dominus *de Belin*, Gallus, hic ruinam metuens, tandem cum *Alberto* transegit, se tandem dediturum locum, si daretur militibus venia abeundi vexillis extensis, armis indutis, suoque cum suppellectile, secumque ducendi trina tormenta bellica, nec non incolis omnia manerent salva in vitâ, ac bonis, quod etiamsi esset multum, concessit tamen prudenter *Albertus*, ut voto statim absque sanguine (actio in bello maxime laudabilis) potiretur, periculoque, quod ab *Henrico* jam tunc ab assedio *Ferenensi* libero imminere videbatur, liberaretur. Abière obsessi die * ..... nihilque eis in reditione ad suos indignè actum, omnibusque plenè fides

* 23. Maji. *Borrius lib.* 33. *fol.* 25. *vso in fine.*

fides servata. Hocque tam fælici secundo successu, *Alberto* abſque dubio undequaque insignis est acquisita gloria, cumque jam eo in districtu nihil amplius posset tentari, relicto *Ardea* sufficienti præsidio, inque supremum Præfectum . . . . exercitum ad proprium solum reduxit, ipſeque *Udomarum* * se contulit, tractaturus ibi, quid ulterius esset agendum: supererat enim adhuc non incommodum aliquod belligerandi tempus. Atque sic misso *Admiralio Arragonensi*, ut caperet *Monsulineum*, quod erat aliud in illis confinibus Gallorum parvulum, sed benè munitum propugnaculum, quod ille fortiter fecit. Ad solum *Gandavense* jusso ire exercitu, ipse urbem intravit, eo fine, ut invaderetur civitas *Hulst*, in insulâ ita nominatâ sitâ, quam Rebelles occupatam tenebant, si post exactam ejus lustrationem videretur factibile. 1596.

* Audomarum. *Saint Omer*.

XXXV. Erat res summæ difficultatis, nulla enim intrandi in insulam erat via, nisi per canalem maritimum magnæ latitudinis, qui crescente mari integrè aquâ tegebatur, defluxo verò, quamvis aquâ carens, ita limosum habebat solum, ut difficillimum per eum esset iter, & non ita parvus canalis in medio plenus aquâ permaneret, quem superare erat necesse. Manebat propterea alia difficultas multo major; habebat enim dictus magnus canalis in suo littore insulam versus, ac eâ in parte, per quam patebat aliquo modo aditus, constructa tria propugnacula, duo magna ad latera, tertium in medio mediocre, multo milite, multisque tormentis bellicis munita, ita ut judicaretur à multis res temeraria, invasionem tentare. Interim vicit valor militum. *Burlotius* ** enim (de quo supra) cum suâ legione Wallonorum, cumque eo *de la Bica* insignis Miles, nec non *Disselingius* † cum suâ Germanicâ legione, unâ nocte defluxo mari, vado se commiserunt, superatoque canali illo parvulo, qui in viâ erat, salvi insulam attigêre, eâ in parte, ubi erat propugnaculum mediocre, cujus Præfectus, cum sentiret rumorem adventantium, exiens cum aliquot militibus, ut perlustraret, quid sibi vellet rumor ille, *Burlotius* tam inopinatè eum invasit, ut cogeretur fugâ ad propugnaculum reverti, ita trepidus, atque à Regiis circumventus, ut unà cum illo licuerit, & illis intrare, occisisque defensoribus, eundem occupare. Actio fortis, & memorabilis, & quâ, quod antea videbatur fieri non posse, redditum est factibile.

** La Borlotte.

† Tesseling.

 Erat.

1596. Erat in civitate summus Præfectus *Comes de Zolm* Germanus, habebatque secum copiosum militem, iste, quamprimum de invasione scivisset, civitate exiit, Regiosque viriliter invasit, pugnavitque diu, ac strenuè, sed illi, qui sciebant nullum eis ad suos patère reditum, necesseque esse, aut vincere, aut perire, ita fortiter contra Comitem sese gessère, ut tandem fuerit coactus ad civitatem reverti, Regiisque locum, quem tam viriliter occupaverant liberum relinquere. Cecidêre hinc inde multi, & ex Regiis *Disselingius*, vir fortis, & egregius. *Albertus* vero tam fælicis successus accepto nuntio, illico primo *Rbonium*, & postea constructo ponte super canale illo parvulo, integrum exercitum, nec non tormenta multa bellica cum suo apparatu, ac omnia, quæ ad oppugnationes ulteriores essent necessaria, in insulam transire, ac transferri curavit. Ipse vero in pago *Divi Nicolai*, quem vocant, qui bina miliaria ab insulâ distat, cum aulâ suâ in præsentiarum consedit. Fuit civitas undequaque, quantum situs ejus permittebat obsessa, non tamen ita, quin maneret obsessis liber introitus, ac exitus per canalem, per quem navigabatur ad mare ibi vicinum, & ad cujus canalis securitatem, habebant super eundem propugnaculum extra civitatem, milite, ac tormentis bellicis bene munitum, sed eo non obstante perrexêre Regii ad suum finem, fuitque, quod primum tentarunt, occupare ex propugnaculis magnis illis, quæ in primo introitu insulæ invenissent, illud, quod civitati erat propinquius, quo non habito non poterat libere invadi civitas. Quamobrem collocatis loco opportuno tormentis bellicis, ut quateretur, occupatâque viâ quâ ex illâ ibatur ad civitatem, tandem eo coëgêre defensores ut se dediderint, & exinde per cuniculos civitati appropinquantes, ad *Rebellinum*, quod erat ante portam piscinam ventum, ubi per multos dies, hinc inde occisis quamplurimis, fortiter pugnatum est. Jam tunc ex dicto *Nicolai* pago, ad munitionem unam, quam Regii constructam tenuerant, ante assedium, in littore proprio, vento *Alberto*, qui tandem ut civitas invasione (*assultum* vulgo vocant) invaderètur decrevit. Habebat ante se vallum civitatis, fossam aquâ plenam, latitudine quadraginta pedum, per quam erat necesse, ante invasionem construi via satis lata, per quam possent invasores sicco pede murum civitatis attin-

attingere, opus arduum, & quod uno die erat necesse ita perfici, ut superesset tempus invadendi ante noctem. Res *Ludovico de Velasco* cum suâ legione commissa, laboravitque ille in opere omni studio, ac vigilantiâ, sed cum non potuisset integrè perfici, ne miles periculo objiceretur, citra apparentiam boni successus, *Albertus assaltum* in *sappam* convertens *Ludovico* commisit per noctem, faceret, ut bis seni ex militibus superatâ parte illâ imperfectâ, quoquo modo possent infra muros civitatis, factis cuniculis, se ita collocarent, ut non posset hostis, jam facto die, illos inde dejicere, iretque exinde fortificando cum aliis illos primos, unaque omnes *sappâ* ad muri civitatis summitatem tenderent. Quod ita fortiter actum, ut tandem hostis videns, sibi eâ viâ imminere certam ruinam, de deditione agere cœperit, petens ut *Comes de Sore*, ad id intraret civitatem, & mittens ad ejusdem securitatem * . . . . . . Comitem *de Nassaw* ad exercitum. Tractatum fuit per paucos dies, & ultimo transactum, irent, quo vellent defensores civitatis, cum armis, vexillis, suoque suppellectile, civibusque nihil mali fieret. Quod plene servatum, atque sic reducta in *Alberti* potestatem integrâ insulâ (propugnaculum enim illud aliud, quod in introitu insulæ ad dexteram stare diximus, non multum post occupationem alterius, à defensoribus desertum Regiis cesserat) perlustrans eum undiquaque, ordinansque ea quæ ad securitatem ejus erant necessaria. Nec non relicto in supremum Præfectum civitatis, insulæque supradictum *Labicæ* †, ad pagum Divi *Nicolai* rediit, ac inde *Antverpiam* se contulit, ubi per aliquot dies moratus, post missum exercitum ad hyberna, præcipuè ad finitima *Picardiæ* loca, tandem triumphans *Bruxellam* intravit mense . . . . . . dicti anni 97.

[Margin: 1596.]

[Margin: * Ernestum. *Borrius. sup. fol.* 49.]

[Margin: † La Biche.]

XXXVI. Erat tunc temporis *Dorlani* Gubernator *Ferdinandus Telles de Portucarrero* Hispanus, vir genere, & armis præcipuus, & cum moris sit bonis militibus in suâ statione semper vigilanter vivere, præcipuè dum agunt in limitibus hostium, hic per quendam civem *Ambianensem* exulem, informatus, ac persuasus posse civitatem illam non amplius quinque miliaribus *Dorlano* distantem occupari stratagemate, communicatâ re cum *Alberto*, ejusdemque super eo habito mandato, fecit, ut ex diversis præsidiis circumvicinis, veni-

1596. rent mille sexcenti pedites Hispani, Germani, & Walloni, nec non quadringenti equites, ita secretè ut unus non sciret de altero, ad pagum *Orsellæ* vulgo dictum, non ultra medio
1597. miliari à *Dorlano* distantem, decimâ Martii anni 1597. Venêre omnes, sed tardius aliquantulum, quam debuissent. Illuxescerat enim ante omnium adventum die subsequenti, quæ erat undecima, ita ut dubitaret *Tellius* posse exsequi, quod in animo habebat, sed dicente cive exule, quod sic; tandem declaratâ militibus mente, elegit ex eis quatuordecim viros, fortes, ac strenuos, quos vestiri fecit habitu eodem, quo utuntur eo in districtu rustici, quorum moris erat summo manè venire ad civitatem cum suis vehiculis, aliisque sarcinis ad alendam eam, ac ea invehenda, quæ incolis essent necessaria. Ad quorum introitum solitum erat aperire portam tempestivè, solis illis præsentibus, qui per noctem ibi egerant excubias, qui erant pauci. Curaverat *Tellius* habere & ipse vehiculum, simile aliis lignis onustum, & desuper stramine coopertum, deditque curam ejusdem illis quatuordecim militibus, quos transformatos in rusticos ante dixi, ut intrarent per portam cum aliis. Hi ita dextrè figuram suam egêre, ut præter omnem suspicionem fuerint & ipsi intromissi; & cum pervenissent ad locum illum portæ, qui super se habet *Rastellum* quod vocant, quo delapso, etiam sine ipsâ portâ clauditur ejus introitus, manere fecêre vehiculum, quod adduxerant, ita ibi fixum, ut non potuerit *Rastellum* suo uti officio, atque illico armis, quibus occultè ierant muniti, ita viriliter in militem excubiarum irruêre, ut occisis aliquibus, multos ad fugam coëgerint, & cum maximâ velocitate adfuissent & alii quadringenti, quos *Tellius* in loco opportuno prope civitatem collocaverat, ut primis illis præsto essent, & nec ullâ interpositâ morâ advolassent, & reliqui pedites, ac equites, quos convocatos à *Tellio* ad pagum *Orçellæ* (supra narravimus) unàque omnes civitatem intrassent, eandem amplam, opulentam, civibusque plenam, adhuc somnolentam admirabili fælicitate *Tellius* occupavit, atque paucâ civium cæde, nec non satis optimâ militum prædâ, pro *Alberto* magnâ suâ cum laude, ac gloriâ quietè stare fecit.

XXXVII. Diu antea, quam hoc accideret *Clemens* octavus Pontifex maximus, paterno suo affectu miseratus calamitatem, quibu

quibus premebantur amborum Regum subditi, prudenterque considerans, posse inde facile oriri, etiam periculo Religionis totius Reipublicæ Christianæ, incendium, usus erat diversis officiis erga ambos, ut moderarent animos iratos, ac de aliquâ reconciliatione agi permitterent, in quo tandem ita profecerat, ut etiamsi nil in armis ab utrâque parte negligeretur, inclinarent tamen postulatis communis Patris, ac sic miserat ille *Parisios* ad *Henricum Alexandrum de Medicis* (1) *Florentiæ* Archiepiscopum, ac Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, & pro eâ parte rem ad actum deduceret, & ad idem *Albertum* versus *Fratrem Bonaventuram Callatagironerum* (2) totius Ordinis Divi *Francisci* Generalem. 1597.

XXXVIII. Successus vero *Ambianensis*, quantâ lætitiâ *Albertum*, tanto mœrore *Henricum* affecerat, qui interim non deficiens animo, quamprimum de recuperandâ civitate amissâ agere cœpit, & ut nullo alio milite posset fortificari (*Tellius* per *Albertum*, quam eo, quem secum adduxerat) misit illico *Mareschalium de Biron* cum mille equitibus, & octingentis peditibus, qui posuit se non ultra sequimiliari ab *Ambiano*, in viâ *Dorlanensi*, impediturus inde, quantum posset, ne aliquis missus ab *Alberto* civitatem intraret. Et non multum postea, nempe 17. Aprilis, adducto Regio exercitu, apparatuque omni bellico, quo opus illi erat, civitatem obsidione cinxit, & diligenter per cuniculos, tormentorumque bellicorum quassationes, aliosque modos, stringere cœpit.

XXXIX. Rebelles de omnibus his plenè informati, mature considerantes, binis his *Alberti* bellicis occupationibus, occasionem egregiam sibi præberi, res suas contra illum bene gerendi, & ad id forsitan etiam ab *Henrico* amico persuasi, cui nihil utilius evenire poterat, quam dum ipse *Ambianum* recuperare studet, habere Albertum internè occupatum, quo minus salvatione *Tellii* vacare posset, curam dedêre *Mauritio* construendi exercitum, quo posset *Albertus* offendi. Qui etiam

(1) Dictus, Cardinalis, *Florentinus.* Hic anno 1605. Pontifex electus, assumpto nomine *Leonis* XI. vix mensem unum præfuit.

(2) Calatagirona. *Ita ejus nomen exprimit Spondan. ad an.* 1598. *N. II.*

1597. etiam sciens, binos sibi esse vincendos hostes, voluisset satis virium comparare, quibus unum, & alterum superaret: Sed cum hoc ob operis magnitudinem plenè fieri non posset, coactus unum eligere, quem invaderet, & solum defendere se ab altero, diu cum suis disputavit, si integro regio exercitu iret contra *Henricum* ad salvandum *Tellium*, civitatemque, quam tam viriliter occupaverat; missis aliquibus copiis *Comiti Van den Berghe*, *Geldriæ*, ac illius districtus per quem aliquam invasionem tentare posset *Mauritius*, summus Præfectus, ut cum illis, melioribus quibus posset modis, nihil perdendo hoc procuraret, prout videbatur aliquo modo posse, an si vice versâ *Mauritum* integro exercitu quæreret, & quando non cederet, aut aliquid magni contra illum ageret, saltem loca propria conservando, cum dedecore retrocedere cogeret; & illis ipsis copiis ad defensionem dedicatis uteretur Ambianum versus, ad corroborandos obsessorum animos, ut non ita cito de deditione cogitarent, & lacessendum aliquo modo *Henricum*, ut cogeretur lente in obsidione procedere, ac in eâ diu se detinere, ita ut illo anno, quando tandem civitatem ad deditionem cogeret, nil ulterius contra *Albertum* intentare posset. Fuêre consiliariorum diversæ sententiæ, multæ *Mauritium* versus inclinatæ, volebant anteponi propria appellativis. Alii dicebant, quamplurimum interesse, nil de eis, quæ in Galliâ possidebantur amittere, præcipuè unus, qui persuadebat sibi, si *Alberto* maneret *Ambianum*, non futurum difficile in tractatu pacis, de quo etiam tunc calidè agebatur, obtinere, ut relinqueretur *Alberto Caletum*, saltem ad aliquot annos; quod summopere faciebat ad summam rei propter portus commoditatem, unde bello maritimo Rebelles invadere commodè potuisset, nec non omnino debellare videbatur factibile. Quibus ille auditis ad salvationem *Ambiani* animum vertit.

XL. Erat jam tunc sclopetto ab hostibus occisus *Tellius*, & in ejus locum à militibus derogatus * *Marchio de Montenegro*, *Neapolitanus* ex *Charaphea* † illustri Familiâ, & ipse insignis miles, omnisque, qui ibi erat equitatus summus Præfectus. *Albertus* vero missis *Comiti de Van den Berghe* copiis defensioni destinatis, sub finen Junii exercitum ad fines *Artbesiæ* unà esse jussit, tandemque duodecimâ Septembris Galliam intravit,

* *Immo*: surrogatus.

† *Familiæ nomen*: Caraffa.

vit, ac decimâ quintâ ante prandium cum omni exercitu ad partem illam civitatis, quæ *Piqueniam* spectat, propè propugnacula hostium fæliciter pervenit, multumque illo die, quid ulterius esset agendum, cum consiliariis egit. Erat casus summæ difficultatis, habebat enim *Henricus* castra sua munitissimis vallis cincta, & copiosis tormentis bellicis munita, atque necesse id omne superare eundemque inde ejicere, antequam salvari posset civitas. Cæterum fuit judicium aliquorum in re bellicâ peritorum, quod si aliquo modo hoc obtineri potuisset, debuisse *Albertum* nullo dato hostibus spatio respirandi, in ipso adventu dum sui adhuc ignari, quantum periculi agebatur, alacres ac pugnam desiderantes adventaverant, & hostis, etiamsi valla ante se habens, verisimile non ita erat lætus, ac intrepidus, quin essent inter eos multi, qui sibi timentes, magis ad fugam habebant inclinatum animum, quam ad pugnam, invasionem jussisse, ac fortunam tentasse, quâ formâ visæ fuêre aliquando superari in bello res admodum arduæ, ac periculo plenæ, prout fuêre postea ex hostibus aliqui, qui asserant, quod si *Albertus* hoc fecisset, procul dubio fuisse potitum voto; *Henricum* enim plus tunc de fugâ, quam de defensione cogitasse: sed videns, quod in ipsâ occasione vela dejecisset, illico ad constantiam se vertisse; sed de his effectibus futuris judicatur cœcè, atque sic credendum, quod etiamsi eò ierat, eâ mente, ut prælio salvationem civitatis tentaret, invenisset tamen eo modo res dispositas, ut absque ruinâ totius exercitus tentari erat infactibile, atque sic prudentiam temeritatis loco amplexus, multorum Præfectorum votis summo mane quæ fuit decimâ sextâ Martii ad reditum se accinxit. Exiit *Henricus* ex suis propugnaculis copioso equitatu, visuris *Alberti* reditum; sed nihil contra eum tentavit, & iste eâ ipsâ nocte in eodem pago, in quo veniens egerat, cum integro exercitu incolumis consedit, ac inde (*in*) *Arthesiam*, & tandem *Bruxellam* se contulit. 1597.

XLI. *Henricus* vero sciens, quantum dejici solent obsessorum animi in simili occasione, misit illico, qui eos ad pactionem aliquam persuaderent. Scripsit etiam via occultâ *Albertus* Marchioni, nolens militem, quem salvare non potuerat, infamiæ periculo subjectum relinquere, ut quando esset ne-

1597. necesse, dederet se melioribus conditionibus, quibus posset, atque sic brevi inter obsidentes, ac obsessos tractari de deditione incœptum, ac conclusum conditionibus honorificis, exiitque Marchio civitate cum suis vigesimâ quintâ Septembris, securèque ad suos reversus est.

XLII. Annus hic procul dubio *Alberto* funestus exstitit. *Mauritius* enim illico, cum scivisset *Albertum* Galliam versus se conferre, *Rhymbergam*, quam vulgo vocant, civitatem parvam, in ipsâ Rheni ripâ sitam, ditionis Archiepiscopatus *Coloniensis*; à Regiis possessam invasit, ac in suam potestatem redegit, ac inde *Phrigiam* versus se conferens aliqua loca, quæ adhuc in eo districtu possidebant Regii, & peculiariter *Linghen*, ubi agebat Comes *Fredericus de van den Berghe*, supremus Regius Præfectus, ad deditionem cogens, fœliciter Provinciam ab hoste securam reddidit.

1598. XLIII. Erat jam tunc in foribus annus 1598. atque de tractatione pacis eo usque progressum, ut hinc inde fuerint deputati aliqui, qui præsente, vel potius præsidente dicto Cardinali (1) tanquam Legato Pontificio, præsentibusque Episcopo *Mantuano* (2) tunc temporis pænes *Henricum* Nuntio ordinario, fratreque *Bonaventurâ Calatragironâ*, ad id per suam Sanctitatem authorizatis, unà convenientes in Urbiculâ, verum (3) Gallici soli, sed *Hannoniæ* finibus omnino vicina, ut rei tam arduæ, atque utili munitis suis debitis, ac solitis in simili occasione scriptis, darent principium. Fuère isti ex parte *Henrici*: *Pomponius de Bellievre*, Dominus *de Grilli*, & *Nicolaus de Brulart*, Dominus *de Silleri*, ambo togati equitesque aurati, ac ejusdem Regis rerum Status Consiliarii, nec non iste Præses in Parlamento *Parisiensi*; & ex parte *Alberti*, *Joannes de Richardott* Dominus *de Barlay*, togatus, equesque auratus, ac primus Præses Consilii privati, & rerum Status Regius Consiliarius, & *Joannes Baptista de Tassis*, eques Ordinis Divi *Jacobi* de *l'Espada*, Commendator *de los Santos de Maymona*, & ipse rerum Status, Belliqne Consiliarius Regius; quibus fuit adjunctus *Ludovicus Verreycken* eques auratus,

Au-

(1) Florentino, *id est*: Alexandro de Medicis.
(2) *Qui*, Franciscus Gonzaga Ordinis Minorum.
(3) *Lege*: Vervino. *Vervins*.

Audientiarius, primusque Secretarius, nec non Thesaurarius scriptorum munimentorum Consilii Status; qui omnes se transtulère, in dictam Urbiculam, sub finem mensis Januarii dicti anni nonagesimi octavi. Isti vero non immeditatè missi à suo Rege, sed subdelegati, ab *Alberto*, cui soli Rex integras suas vices ad id negotium transtulerat, fuereque certè magnæ, justæque causæ, quibus ambo Reges ad rem tam arduam persuadi se permiserant, & unde post finitam tractationem de totâ Republicâ Christianâ summoperè meruerunt. Intererat ambobus Christianissimus unus, alter Catholicus, ne illorum sola causa illa agitaretur; pro ambobus faciebat, ne amborum subditi, diutius bello, ejusque miseriis vexarentur; Christianissimo peculiariter, absque ullâ ulteriore molestiâ, ac periculo, loca amissa recuperare, integrumque Regnum adhuc à *Ligæ* non contemnendis sequacibus quassatum, sibi integrè pacificare; nec non minus bene stabat *Philippo* detrahere à Rebellibus suis *Henricum*, & liberare se à bello Gallico, quod conjunctum cum illo altero, minabatur totius Belgii certam ruinam. Voluisset *Henricus* ad eandem cum *Philippo* pacificationem, adducere *Angliæ* Reginam, *Philippi* etiam apertum hostem & ejusdem *Philippi* Rebelles, quorum erat socius, ne videretur eos deseruisse, procuravitque hoc, quantum in se fuit. *Philippus* etiam in eo consentiit, sed noluère illi; atque sic inter se soli agere cœpère, ac ita perexère, ut tandem fuerit inter eos conclusa pax secundâ Maji dicti anni nonagesimi octavi, qualis videri potest per publicum instrumentum subsequens, quod solemni juramento corroboratum fuit ab ambobus, & plenè satisfactum, salvo ab *Henrico*, qui revera prout clare apparuit, etiamsi contrarium jurasset, nunquam ex animo à *Philippi* Rebellibus, omnino se distraxit, unde videre licet, quantum in Principibus possit interesse proprium, & quam raro, nisi coacti integre illud obliviscantur. Conjunxerat se huic tractatui *Carolus Emanuel* Dux *Sabaudiæ*, *Henrici* etiam apertus hostis, quem *Philippus*, cujus erat gener, volebat non minus, quam semetipsum ab inimicitiâ *Henrici* videre liberum, sed ob diversas difficultates, non potuit tunc inter eos coagulari integra concordia, atque sic cessante armorum offensione, res commissa fuit Suæ Sanctitati, tanquam Arbitro, qui infra

1598.

1598. annum de amborum juribus integrè judicaret, & cujus judicio tenerentur ambo acquiescere, quâ conditione dictus Dux, in dicto tractatu fuit admissus. Sed etiamsi hoc ita esset, cum nullo modo vellet restituere *Sabaudus* Marchionatum *Salustii* *, supra quem erat quæstio inter eum, & *Henricum*, & iste vellet omnino illum restitui, expiratoque anno, Pontifex Maximus non judicasset; tandem inter Sabaudum, & Gallum, ad arma reversum est, quæ Pacem Regum facile discomposuissent, ni Sua Sancitas delegasset ad *Henricum* Cardinalem *Aldobrandinum* nepotem, qui tandem *Lugduni* inter litigantes quæstionem accomodavit, cedente *Henrico* Duci dictum Marchionatum, & Dux ille ditionem *Bressanam*, quocum inter eos pax integra fuit conclusa, & hinc inde solemni juramento corroborata.

* Salutiæ. *Salusses.*

XLIV. Fuêre inter Hispanos aliqui ita invecti in pacem *Veruimensem*, ut epitheto infamiæ eam denigrarint, fundantes se in eo, quod cum *Henricus* nihil, quod esset *Philippo* proprium, saltem alicujus momenti, haberet in manibus quod restitueret, *Philippus* aliqua loca (ac inter ea *Caletum* munitissimum) quæque multo sanguine, sumptuque vi acquisierat, *Henrico* restituisse, judicantes tam magnâ inæqualitate indignè multum cum *Philippo* actum. Interim si bene ponderassent, quantum debeatur necessitati, quando omnino premit, prudentiaque potius, quam vanitate, ac præsumptione (in quo aliquando nimium laborant) mensurassent, quid rebus *Philippi* melius conveniebat, an retinere dicta loca, quæ, ad exemplum *Ambiani* non fuisset *Henrico* infactibile brevi recuperare, an deonerare sese de bello Gallico, quod post se trahebat exitium Belgicum, credendum est, quod potius eam laudassent, talesque labores laudibus æternis extulissent. Erat enim ærarium Hispanicum ex longinquo sumptu ita exhaustum, ut vix ad solum bellum cum Rebellibus sufficiebat: ita ut si mansisset illi conjunctum illud aliud longè majus, & contra quod multa majora erant necessaria, luce clarius prævideri poterat, brevi omnia in Belgio propter impotentiam corruitura, pro ut postea apertè visum, cum liber Hispanus à bello Gallico, paucis adhuc annis belligerans cum solis Rebellibus, res ejus plus in perdendo, quam acquirendo propter impotentiam, eò fuerint reductæ, ut ad respirationem

nem, cogerentur cum eis inducias duodecim annorum sole- 1598.
mniter inire.

*Exemplar pacis confectæ Vervinium *, inter Galliæ, Hispaniæque Reges.*

* Vervini.

„ XLV. IN nomine DEI Creatoris. Omnibus præsentibus, & futuris. Cum Galliæ Regnum, Provinciæque inferioris Germaniæ, ob civilia, externaque bella, multis abhinc annis mirum in modum afflictæ, & vexatæ fuerint, earumque calamitatum bona pars etiam ad Hispaniæ, Angliæ Regna, Sabaudiæque Provincias redundarit, & communis interea Christiani nominis hostis, tantam rei bene gerendæ occasionem arripiens, ex malis, ac calamitatibus nostris sua commoda quærens, haud mediocres progressus, irruptionesque in Provincias Christianas fecerit. Quibus consideratis Sanctissimus Pater noster *Clemens* Pontifex ejus nominis *octavus*, desiderans tantis malis mederi, eorumque radices exscindere, delegaverit in Galliam Illustrissimum, & Reverendissimum Cardinalem *Florentiæ*, *Alexandrum Mediceum*, suum, sedisque Apostolicæ Legatum ad Sublimissimum, Excellentissimum, Pontentissimumque Principem *Henricum quartum*, DEI Gratiâ Regem Christianissimum Galliæ, & Navarræ, quo eum inducat, persuadeatque, firmam inire pacem, amicitiam, & concordiam cum Sublimissimo, Excellentissimo, Potentissimoque Principe *Philippo secundo* DEI Gratiâ Rege Catholico Castellæ, Leonis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Portugalliæ, Navarræ, &c. Cui etiam Sanctitas Sua proposuerit, perque Nuntium suum Madriti agentem proponi curavit, similes admonitiones, exhortationesque, & postea resciverit dictus Pater Sanctissimus, dictum Dominum Regem Catholicum, negotium, ac tractatum dictæ pacis commisisse Sublimissimo, Potentissimoque Principi *Alberto* Cardinali, eumque in finem ei litteras procuratorias misisse, tam ob singularem, quam de eo concepit fiduciam, quam quod pacis studiosissimum esse non ignoret, ad eumque miserit Reverendum Patrem, Fratrem *Bonaventuram*

1598. „ *Calatagironem*, Generalem Ordinis Divi *Francisci*, qui illi „ eâ de re suam mentem aperiret, quodque ipse animum „ Regis Catholici de pace intellexisset. Quibus de rebus dicto „ Regi Christianissimo à dicto Generali propositis, juxta Suæ „ Sanctitatis mandatum, dicti Domini Reges, zelo pietatis, „ ac clementiæ commoti, summoque animi dolore affecti, „ intimisque visceribus compuncti, ob tot, tantasque calamitates, quas tam longi belli occasione eorum Regna, Provinciæ, subditique perpessi sunt, & adhuc perpeti coguntur: Nolentes quicquam omittere, quod bonos Principes „ DEUM timentes, subditosque suos amantes deceat, ut „ fiat, ac stabiliatur firmum Pacis fœdus per totum orbem „ Christianum, præsertim in Regnis, & Provinciis, quibus „ DEUS nos præesse voluit, habitâ etiam ratione, ut par „ est, piarum paternarumque admonitionum dicti Sanctissimi „ nostri Patris, ad quarum executionem fuerint adhortati „ amicos suos, & confœderatos, unanimiter firmam stabilemque pacem, unionem, ac concordiam amplecti ad DEI „ honorem, sanctique ejus nominis exaltationem, securitatem, ac tranquillitatem universi orbis Christiani, suorumque populorum, subditorumque solatium ac quietem. Ad „ quam pacem tractandam, ac concludendam delegati fuerint, ac deputati, nomine videlicet dicti Domini Regis „ Christianissimi *Pomponius de Bellievre*, Eques, Dominus *de Grilly*, Consiliarius Consilii Status, & *Nicolaus Brulart* „ Eques, & Dominus *de Silleri*, & ipse Consiliarius dicti „ Domini Regis, ejusdem Consilii Status, & Præses Senatus „ Parlamenti Parisiensis; & nomine dicti Cardinalis Archiducis, pro dicto Domino Rege Catholico, virtute procurationis ei datæ à dicto Domino Rege, *Joannes Richardottus*, Eques, caput, & Præses Consilii Privati dicti Domini Regis, ejusque Consilii Status, *Joannes Baptista Tassius* Eques, Commendator de los Sanctos ordinis Militiæ „ Divi Jacobi, dicti Consilii Status, nec non bellici Consiliarius, & *Ludovicus Verreycken* & ipse Eques, Audientiarius, & primus Secretarius, & Thesaurarius chartarum dicti Consilii Status, omnes sufficientibus procurationibus muniti, quæ in calce harum litterarum inserentur. „ Qui virtute dictarum procurationum, coram dicto Domi-

„ no

„ no Cardinale Legato, qui diu multumque in promovendâ 1598.
„ hac pace, & reconciliatione desudavit, constituerunt, &
„ concluserunt conditiones, & articulos qui sequuntur.

1. „ Primum inter eos convenit, quod tractatus hujus „ pacis manet conclusus, & compositus inter dictos Dominos „ Reges *Henricum quartum*, & *Philippum secundum* juxta articu- „ los contentos in tractatu pacis compositæ in Castello Cam- „ bresino, anno 1559. inter gloriosissimæ memoriæ *Henricum* „ *secundum* Regem Galliæ, & dictum Dominum Regem Ca- „ tholicum; quem pacis tractatum dicti Domini Deputati „ dicto nomine de integro confirmarunt, approbaruntque „ in omnibus suis punctis, tamquam hic verbotenus foret „ insertus, nullâ in eo, aliisque precedentibus reinnovando, „ sed illi omnes integri manebunt, exceptis, quæ expresse „ præsenti hoc tractatu illis derogantur.

2. „ Quorum Exemplum secuti posthac, atque ex hujus „ tractatus die, inter dictos Dominos Reges, eorum liberos „ jam natos, & qui nascentur ab illis posteros successo- „ res, & Hæredes, eorum Regna, Provincias, & subditos, „ erit bona, secura, firma, stabilisque pax, Confœderatio, „ & perpetua concordia, ac amicitia, alteri alteros tan- „ quam fratres diligent, procurantes quantum in ipsis erit, „ alter alterius emolumentum, honorem ac famam, aver- „ tent etiam, quod poterunt alter alterius damnum, nec „ cuiquam assistent, aut favebunt in alterius præjudicium, „ etiam nunc cessabunt quævis hostilitates, oblivioni invol- „ ventes omnia, quæ hactenus contigerunt, qualiacumque „ ea sint, quæ omnia manebunt abolita, & extincta. Ita „ ut nullus omnino vindictæ sensus in ipsis remaneat, re- „ nunciantes hoc præsenti tractatu omnibus machinationibus, „ fœderibus amicitiisque, quæ quoquo modo alterutri de- „ trimentum adferre queant, fidem dantes, sese nunquam „ quicquid tentaturos, nec tentari jussuros, quod in da- „ mnum alterutrius vergere possit, nec passuros à Vasallis, „ subditisque suis tale quid directé, aut indirecté tentari, & „ si eorum quisquam, cujuscumque gradus, aut conditio- „ nis fuerit, huic articulo deinceps contravenerit, aut terrâ „ marive militatum abeat, aut alioquin cuipiam assistere, aut „ favere tentet in detrimentum alterutrius dictorum Domi-

„ norum

1598. „ norum Regum, alter tenebitur sese talibus opponere; „ eorumque conatus impedire, de illisque pœnas sumere, „ tanquam infractoribus hujus tractatus, publicæque quietis „ perturbatoribus.

3. „ Perque hujus pacis, arctique fœderis vinculum omnes utriusque partis subditi, dummodo observent cujusque Regni leges, ac consuetudines, liberé poterunt ire, „ morari, frequentare, in quibuscumque utriusque partis „ Provinciis, exercendo commercia, vel alio quocumque „ modo ex cujusvis arbitrio tam mari, quam terrâ, fluminibusque, unà simulque tractare, & conversari, alteriusque „ Regni subditi ab altero tanquam proprii subditi tractandi, „ ac defendendi. Moderatè solvendum quicquid vectigalium vice, pro consuetudine cujusque Provinciæ debetur, „ quæque deinceps à dictis Dominis Regibus, eorumque „ successoribus subditis suis utrimque imponentur.

4. „ Cessabunt omnes Litteræ, quas vocant de Marque, „ & represailles, quæ quavis de causâ datæ ac concessæ „ fuerint, & nullo deinceps à quoquam dictorum Principum dabuntur in detrimentum subditorum alterius, nisi „ contra præcipuos delinquentes eorum, atque complicium „ bona, idque tantummodo in manifestâ denegatione justitiæ, de quâ Litteris, quas vocant summationis, eorumque postulatis, qui ejusmodi Litteras, quas vocant de „ Marque, & represailles fuerint petituri, plenam fidem „ dare debent juxta juris eâ in re consueti formam, modumque.

5. „ Oppida, subditi, & incolæ Comitatus Flandriæ, & „ Arthesiæ, aliarumque Provinciarum inferioris Germaniæ, „ Regnique similiter Hispaniæ fruentur privilegiis, immunitatibus, ac libertatibus ipsis concessis à Galliæ Regibus „ prædecessoribus dicti Domini Regis Christianissimi, itemque oppida, incolæque, subditique Regni Galliæ etiam „ fruentur privilegiis, immunitatibus, libertatibusque ipsis „ debitis in dictâ inferiori Germaniâ, Regnoque Hispaniæ, „ eo plane modo, quo uterque eorum iis fruiti sunt, quoque „ modo fruebantur virtute dicti tractatus Anni 1559. aliisque „ tractatibus præcedentibus.

6. „ Hac etiam conventione cautum est, si dictus Dominus

„ minus Rex Catholicus, testamento, donatione, resigna- 1598.
„ tione, aliove quovis modo, aut titulo dono det, aut
„ transcribat Serenissimæ Infantæ Dominæ *Isabellæ*, filiæ suæ
„ majori, aut aliis, omnes Provincias inferioris Germaniæ,
„ cum Comitatu Burgundiæ, & Charolesii, omnes dictæ
„ Provinciæ, & Comitatus intelliguntur comprehendi hoc
„ præsenti tractatu, ut in dicto anni 1559. tractatu erant
„ comprehensæ. Item dicta Domina Infans, aut ille in cujus
„ favorem dictus Dominus Rex Catholicus de illis Provinciis
„ disponere destinaverit, ita ut ad hujus rei effectum non sit
„ opus inire novum tractatum.

„ 7. Item subditi, Ministrique ejusdem partis, tam Ec-
„ clesiastici, quam Seculares, quamvis adversariorum partes
„ sint secuti, redintegrabuntur in sua officia, & beneficia,
„ quibus fruebantur ante finem Decembris anni 1588. ex-
„ ceptis Pastoratibus, qui in alios legitime collati sunt.
„ Similiter redintegrabuntur in sua quisque bona immobilia,
„ annuos reditus ad vitam, & redemptioni obnoxios, capta,
„ & occupata occasione belli inchoati sub finem anni 1585.
„ ut iis fruantur à publicatione hujus dictæ pacis, itemque
„ in bona ad eos postea per successionem, aliovè modo de-
„ voluta, eâ tamen conditione, ne exigant fructus ex iis
„ perceptos à tempore confiscationis bonorum immobilium
„ ad publicationem usque præsentis tractatus, nec debita
„ ante dictum diem in fiscum redacta: firmaque, & valida
„ erit repartitio facta, aut quæ fiet à Principe ejus locum
„ tenente, aut substituto, sub cujus jurisdictione illud arre-
„ stum fuerit factum, nec unquam poterunt creditores ta-
„ lium debitorum, aut eorum actiones habentes ullo modo,
„ aut actionis formâ admitti ad persequendos illos in quos
„ illæ donationes fuerint collatæ, nec eos qui virtute talium
„ donationum, confiscationumque, eas persolverunt, quâ-
„ cumque de causâ hujusmodi debita ortum habuerint, non
„ obstantibus litteris quibusdam obligatoriis, quæ penes
„ creditores esse queant, quæ omnes ob dictæ confisca-
„ tionis effectum præsenti hoc tractatu rescinduntur, &
„ annichilantur.

„ 8. Fietque illa mutua utrimque bonorum immobilium
„ annuorumque redditium redhibitio dictis subditis, & cli-

1598. „ entibus, ut ſupra, non obſtantibus quibuſcumque donationibus, conceſſionibus, declarationibus, commiſſionibus, & ſententiis datis in contumaces, idque in abſentiâ partium, iiſque non auditis hujus belli cauſâ, quomodocumque id acciderit, quæ ſententiæ, omniaque judicia, tam civilia, quam criminalia erunt nulla ſine ullo effectu, & tanquam nunquam acciderint, reſtituentes eoſdem ſubditos, quantum ad hoc attinet, excluſis omnibus impedimentis, contradictionibusque in omnia jura, quibus ante dictum bellum fruebantur, nec ulli licebit in quemquam inquirere ob officia, aut negotia publica, quæ adminiſtravit, vel ob proviſionem commeatus, nummorum adminiſtrationem, aut quævis alia facta tempore, aut occaſione, dicti belli, de quibus rationem dederit iis quibus tunc temporis illis de rebus diſponendis poteſtas erat, dummodo dicti ſubditi, & officiarii aliis criminibus, ac delictis gravati non fuerint, quam quod adverſariorum, hoſtiumque partes ſint ſecuti, nihilo tamen minus redire poterunt in Provincias, & Regna eorumdem Regum, niſi prius eâ de re impetratâ licentiâ, litteriſque patentibus, magno eorundem Regum ſigillo ſignatis, quarum tenebuntur ſequi verificationem coram ſenatu, ac officiariis dictorum Regum.

„ 9. Quibus ab utrâque proviſum eſt de beneficiis, quorum collatio, donatio, aut diſpoſitio ad dictos D. D. Reges pertinet, vel ad alias perſonas laicas, manebunt in poſſeſſione, & fruitione dictorum beneficiorum, tanquam rectè, & legitimè conſtituti.

„ 10. Ad confirmationem hujus pacis, ut ſibi mutuo dicti Reges gratificentur, inter eos convenit, quod alter alteri reddet, reſtituetque re ipſâ, & cum effectu, & bonâ fide, quidquid ab ipſis, vel ab aliis, eorum vel juſſu, vel nomine in utriuſque Provinciis, captum, uſurpatum, atque occupatum fuerit. Rex ſcilicet Chriſtianiſſimus dicto Domino Regi Catholico Dominium, ac poſſeſſionem Comitatus *Charoleſii* cum ſuis juribus, & Dominiis, ut eo fruatur ipſe, ejuſque ſucceſſores plenè, & pacificè, eumque teneant ſub auſpiciis Regum Galliæ, & ſi quæ alia loca inveniuntur occupata poſt dictam pacem anni 1559. à dicto Rege Chriſtianiſſimo, vel à ſuis, ſimiliter reſtituentur, id-

„ que

„ que intra duos menses, computandos à die hujus tractatus. 1598.
„ 11. Similiter Dominus Rex Catholicus reddet, restituetque dicto Domino Christianissimo loca, quæ à se, aut aliis ejus jussu, aut nomine capta, usurpata, aut occupata fuerint post dictum tractatum, *Cambrecinum*, videlicet, *Caletum*, *Ardeam*, *Montulinum*, *Dorlanum*, Schapellam, *Schastelletum* in Picardiâ, *Blavetum* in Britannia, cæteraque omnia loca quæ dictus Dominus Rex Catholicus, aut alii occuparunt in Regno Galliæ post dictum tractatum, ab illoque & suis retinentur.

„ 12. Quod attinet ad *Caletum*, *Ardeam*, *Montulium*, *Dorlanum*, *Chapellam*, & *Schastelletum*, reddentur ea loca à dicto Domino Rege Catholico, ejusve Ministris, re ipsâ, bonâ fide, ac sine aliquâ dilatione, ac difficultate, nullâ obtentâ causâ, ac prætextu, cui, vel quibus id muneris committetur à dicto Domino Rege Christianissimo infra duos menses præcisè, computandos à die & tempore præsentis tractatus in eo statu, quo in præsens existunt, nequicquam in illis ullo modo licebit demoliri, debilitari, aut detrimento affici, nec etiam exigere, aut repetere sumptus muniendis eisdem locis impensos, aut quidquid stipendiorum causâ militibus eorumdem locorum debetur, eaque restitutio fiet, primo *Caleti*, *Ardeæ*, deinde aliorum, ita ut integra eorundem locorum restitutio intra dictum duorum mensium spatium finiatur, ac terminetur.

„ 13. Quod ad *Blavetum* attinet, illius etiam fiet restitutio reipsâ, bonâ fide, & sine ullâ dilatione, difficultate, prætextu, aut occasione cui, quibusve id negotii à dicto Domino Rege Christianissimo commissum fuerit, idque intra tres menses proximos, computandos à die præsentium, liberumque erit dicto Domino Regi Catholico jubere demoliri munitiones, Castellaque à se, suisque in dicto *Blaveto*, aliisque in locis per eum restituendis in *Britanniâ* exstructa, si quæ exstant.

„ 14. Restituendo dicta loca, licebit Domino Regi Catholico curare avehi omnia tormenta bellica, globos ferreos, arma, commeatus, aliosque bellicos apparatus, qui tempore restitutionis in iisdem locis invenientur: liberumque etiam erit militibus, cæterisque, qui cum illis ex dictis

1598. „ locis excedent, aſportare omnia impedimenta, bonaque „ mobilia ad eos pertinentia, quibus interdicitur quicquam „ exigere ab incolis illorum locorum, vel Regnorum, aut „ domibus detrimentum ferre, vel quicquam ſecum opportare, quod ad dictos incolas pertineat.

„ 15. Utque Præſidiarii milites dicti *Blaveti* citius transferantur in Hiſpaniam, dictus Dominus Rex Chriſtianiſſimus illis curabit dari navigia, nautaſque, quibus navigiis dicti milites imponentur cum tormentis bellicis, commeatu, reliquoque belli apparatu, eorumque impedimentis, tam *Blaveti*, quam aliis in locis exiſtentibus. Quæ navigia tenebuntur reſtituere in *Britanniâ*, datâ fidejuſſione eadem navigia reſtituendi, dictoſque nautas remittendi, idque intra temporis ſpatium, quod præfinietur.

„ 16. Spondentibus inſuper dictis Deputatis in confirmationem reſtitutionis dictorum locorum, ſimulatque ipſis Regis Chiſtianiſſimi ratificatio præſentis tractatus fuerit exhibita, ſeſe daturos, darique curaturos obſides, quos ipſe volet, deligere, ſubditos ejuſdem Regis Catholici, qui honorifice, ut æquum eſt, & pro eorum gradu, & dignitate tractabuntur. Poſt cujus reſtitutionis verum effectûm, dicti obſides libertati ſuæ, bonâ fide, nullâque interpoſitâ dilatione reſtituentur, ſed expreſſâ hâc conditione, ut factâ reſtitutione ſex locorum *Picardiæ*, duo ex dictis obſidibus relaxentur, reliquis duobus detentis ad reſtitutionem uſque dicti *Blaveti*.

„ 17. Quod attinet ad ea, quæ dicto tractatu Anni 1559. continentur, quorum executio, nondum eſt peracta juxta ejuſdem tractatus conditiones, & articulos, eorundem executio procurabitur finieturque, quod nondum executioni mandatum eſt, tam quæſtio, atque altercatio feudi *Comitatus Sancti Pauli*, Limitum Provinciarum, utriuſque Principis terrarum, quarum Dominium ſuſpenſum, exemptionis, vectigalium, impoſitionumque rerum exterarum, quæ prætenduntur ab incolis Comitatus *Burgundiæ* Epiſcopi *Theoreanæ*[*], Abbatiæ Divi *Joannis à Monte*, Ducatus *Bullonii*, reſtitutionis quorumdam locorum, quorum ab utrâque parte petitur reſtitutio, aliorumque omnium diſſidiorum, atque actionum, quæ nunquam deciſæ, ac de- „ finitæ

[*] Terouanæ.

„ finitæ fuerunt, uti tunc temporis inter utrumque Regem 1598.
„ convenit, eumque in finem nominandi, ac ſtatuendi utrimque arbitri, ac Deputati juxta tenorem ejuſdem tractatus, qui intra ſemeſtre tempus convenient in locum in dicto tractatu ſtatutum, ſi partes aſſenſerint, ſin minus alium ſibi deligent.

„ 18. Et quia in partitione terrarum Dioceſeos *Attrebati*, *Ambiani*, *Sancti Omari*, & *Boloniæ*, quoſdam pagos conſtat teneri ab Epiſcopis *Attrebati*, *S. Omari*, alioſque pagos *Arthesiæ*, ac Flandriæ ab Epiſcopis *Ambiani*, & *Boloniæ*, unde ſæpenumero naſci ſolent contentiones, & diſſidiæ, utrimque convenit, quod impetratâ prius veniâ, & conſenſu S. Patris noſtri Papæ hinc inde ſtatuentur Commiſſarii, qui intra anni unius ſpatium convenient, ubi commodum videbitur, ad definiendas permutationes dictorum pagorum, in commodum, & utilitatem utriusque partis.

„ 19. Omnes captivi belli causâ utriuſque detenti, in priſtinam libertatem reſtituentur, victus impenſas ſolvendo, & quidquid præterea juſte debebunt, nullo redemptionis pretio obnoxii, niſi de eo antea convenerint, & ſi eâ de re quærelæ oriantur, decidentur ab iis, quos Princeps illius ditionis, ubi captivi detinentur, conſtituet.

„ 20. Omnes alii captivi eorundem Regum ſubditi, qui ob belli, temporumque calamitatem in triremes utriuſque Regis conjecti, condemnatique ſunt, continuo relaxabuntur, & in libertatem aſſerentur ſine ullâ dilatione, nullo omnino obſtante prætextu, aut causâ, nec quicquam ab iis, vel redemptionis, vel victus causâ exigendum.

„ 21. Reſervantur etiam dicto Regi Catholico Hiſpaniarum, dictæque Sereniſſimæ Infanti, ejus filiæ majori, eorum ſucceſſoribus, actionemque habentibus omnia eorum jura, actiones, & prætenſiones, quas ſibi deberi exiſtimant in dictis Regnis, terris, Dominiis, aut alibi quâcumque de causâ, quibus nec ab ipſo, nec à ſuis prædeceſſoribus expreſſé fuerit renuntiatum, iiſque de rebus jus ſuum poterit perſequi viâ pacificâ juſtitiæ, non armis.

„ 22. Et quia à dictis deputatis dicti Domini Regis Catholici proponitur, quo firmius ſit hujus pacis vinculum,

1598. „ maxime necessarium esse Excellentissimum Principem, Dominum *Sabaudiæ* Ducem, hoc tractatu comprehendi, cujus nimirum salutem, & commoda, non minori studio, quam propriam, dictus Rex Catholicus exoptat, ac procurat, tam ob consanguinitatis, quam etiam affinitatis vinculum, quo ei conjungitur, idque etiam declaret Dominus *Gaspar de Geneva*, Marchio *de Lullin*, Consiliarius Status, Camerarius, & Colonellus Præsidii corporis dicti Domini Ducis, ejus locum tenens, & Gubernator Ducatus Astensis, & oppidi *Ivreæ*, ejusque Commissarius, & deputatus, uti apparet ex ejus procuratione huic tractatui insertâ, eundem Ducem Dominum gloriari posse, sese ex fratre proaviæ dicti Domini Regis Christianissimi, ex consobrinâ Reginæ ejus matris originem ducere, illi curæ esse obsequium præstare dicto Domino Regi, & tanquam ejus humilem consanguineum, ei omnia, quæ poterit *honoris*, servitutis. benevolentiæ, atque observantiæ officia offerre, quæ suum erga Regem animum, omnes actiones inposterum clarius testentur, quam tempora anteacta occasionesque ea testari permiserint, sibique certo persuadére Regem, cognitâ ejus tam sincerâ voluntate, eodem erga ipsum benevoli animi affectu usurum, quo quatuor Reges posteriores Dominum Ducem Patrem suum (gloriosæ memoriæ) prosecuti sunt.

„ 23. Conclusum est, & decretum dictum Dominum Ducem receptum, & comprehensum iri in hoc tractatu pacis, & ad testandum desiderium, quod eum tenet, demonstrandæ suæ sinceræ voluntatis erga dictum Dominum Regem Christianissimum, reddet ei, restituetque oppidum, arcemque *Bressæ* intra duos menses, computandos à die præsentium, rerum * effectu, & bonâ fide, sine ullâ dilatione, aut difficultate, aut cujuscumque prætextus obtentu. Eaque loca à dicto Domino Duce dedentur in ejus, eorumque manus, qui à dicto Domino Rege in eum finem constituentur præcise intra dictum tempus in eo statu, quo in præsentiâ existunt, nihil in iis ullo modo poterit demoliri, debilitari, aut deterius reddere, aut quicquam repetere, aut exigere muniendi illius oppidi, arcisque causâ, aut quicquid militi præsidiario stipendiorum gratiâ debebitur,

* l. cum.

„ trac-

„ tenebiturque ibi relinquere omnia tormenta bellica, quæ 1598.
„ tempore deditionis ibi erant, item globos ferreos ejusdem
„ generis, & ponderis, eritque liberum ea avehere, quæ
„ postea eo intulerit.

„ 24. Convenit præterea, quod dictus Dominus Dux
„ planè, ac bonâ fide destituet, deseretque Capitaneum *la*
„ *Fortune* agentem in oppido *Surra* ditionis Burgundiæ, cui
„ nec ipse, nec alii, qui illud oppidum invito dicto Domino
„ Rege Christianissimo tenent, directè, vel indirectè quic-
„ quam auxilii, aut favoris præstare poterunt.

„ 25. Quod attinet ad cæteras dissensiones, ac dissidia,
„ quæ extant inter dictum Dominum Regem Christianissi-
„ mum, dictumque Dominum Ducem Sabaudiæ, supradicti
„ deputati dictorum nomine, in beneficium hujus pacis,
„ unanimes consentiunt ea omnia committi arbitrio Sanctissimi
„ nostri Patris Papæ *Clementis octavi*, uti scilicet ab illo de-
„ finiantur, ac decidantur intra unius anni spatium à publi-
„ catione hujus tractatus, juxta responsum Regis in scripto
„ datum quartâ Junii ultimi, quod infra subjicietur, & quic-
„ quid iis de rebus à Suâ Sanctitate judicatum fuerit, plene,
„ bonâque fide utrinque complebitur, executionique manda-
„ bitur sine ullâ dilatione, aut difficultate, quamcumque ob
„ causam, & prætextum, atque interea, & donec aliter
„ fuerit definitum à Sanctissimo nostro Patre, omnia mane-
„ bunt suspensa, in eoque statu, quo nunc sunt, nihil in
„ iis mutando, nec innovando, atque uti ea nunc hinc inde
„ possidentur, neque fas erit ulterius sese extendere, aut
„ progredi, nec quicquam oneris imponere, aut contribu-
„ tiones, aut similia exigere extra limites, & territoria lo-
„ corum, quæ ab utrisque partibus tenentur.

„ 26. Quibus ita constitutis inter eos convenit, quod jam
„ nunc erit pax firma stabilisque amicitia, finitimaque vici-
„ nitas inter dictos D. D. Regem, & Ducem, eorum filios
„ jam natos, & nascituros, successores, hæredes eorum,
„ Regna, Provincias, terras, & subditos: nec fas erit quic-
„ quam moliri in alterutrius Provincias, ac subditos quam-
„ libet ob causam, aut prætextum, qui obtendi queat.

„ 27. Subditi, ac Ministri utriusque partis, tam Eccle-
„ siastici, quam Seculares, quamvis adversas partes secuti

„ fue-

1598. „ fuerint, plene restituentur in omnia, & qualiacunque sua „ bona, officia, & beneficia, eodem plane modo, quo su„ pra declaratum, & expressum est in favorem subditorum, „ ministrorumque amborum Regum, quod tamen non intel„ ligendum est de Præfectis, & Gubernatoribus.

28. „ Quod attinet ad Captivos belli caussâ detentos in „ eo etiam servabitur modus, ut supra convenit inter am„ bos Reges.

„ 29. Confirmantur etiam in omnibus suis punctis & ar„ ticulis tractatus initi antehac cum quondam Rege Chris„ tianissimo *Henrico secundo* Anno 1559. in arce *Cambresinâ*, „ *Carolo nono*, & *Henrico tertio*, dictoque quondam Domino „ Duce *Sabaudiæ*, exceptis, quæ iis fuerint derogata præ„ senti tractatu, vel aliis. Quibus sic constitutis possidebit „ dictus Dominus Dux *Sabaudiæ*, suas ditiones, Provincias, „ subditosque, eritque bonus Princeps naturalis, dictorum„ que Regum communis amicus, & à die publicationis præ„ sentis tractatus, libere, & securé exercebitur commercium „ inter eorum subditos, Provinciasque juxta tenorem dicto„ rum tractatuum, & quemadmodum eorundem virtute dicto „ commercio, uti mos fuit, observabitur ordo in iis conten„ tus, & quantum attinet ad officiarios, qui dictis Regibus „ servierunt, nisi alio subsequenti tractatu, & rei quicquam „ fuerit derogatum.

„ 30. Reservantur nihilominus dicto Regi Christianissimo „ Galliæ, ejusque successoribus omnia sua jura, actiones, „ & prætensiones, quas existimant sibi competere dictorum „ Regnorum, Provinciarum, dominiorumque causâ, vel „ quas etiam alibi, quâcumque de causâ habent, quibus ta„ men, vel ab ipso, vel à suis prædecessoribus expressè non „ fuerit renunciatum ad ea persequenda viâ pacis, aut juris, „ non autem armis.

„ 31. In hâc pace, & amicitiâ comprehenduntur ex com„ muni voto & assensu dictorum Dominorum Regum Catho„ lici, & Christianissimi (si sese comprehendi volent) pri„ mum de parte Regis Catholici, noster sanctus Pater Papa, „ sancta Sedes Apostolica, & Imperator Romanorum, Domi„ ni Archiduces ejus fratres, cognati, eorum Regna, & „ Provinciæ, Electores Principes, Civitates, & Status sancti

„ Impe-

„ Imperii, illius imperio subjecti, Dux *Bavariæ*, Dux *Cleviæ*, 1598.
„ Episcopus, & Territorium *Leodiense*, Oppida maritima,
„ Comitatusque Orientalis *Frisiæ*. Renuntiantque dicti Prin-
„ cipes omnibus apertis, secretisque machinationibus, pro-
„ mittentes nullas posthac intentare, nec cum Christianis,
„ nec cum Hæreticis, nec quibuscumque aliis, quæ damno
„ esse queant dicto Domino Imperatori, aut membris, Sta-
„ tibusque dicti Imperii, sed è contra sese procuraturos,
„ pro viribus ejus emolumentum, & quietem, dummodo
„ dictus Imperator, dictique ejus Status vicissim amicè se ge-
„ rant erga dictos Reges Catholicum, & Christianissimum,
„ nihilque in eorum detrimentum attentent. Similiter hoc
„ tractatu comprehenduntur Domini Reipublicæ Fœderato-
„ rum Superioris Germaniæ, & Respublicæ *Grisonum*, eo-
„ rumque confœderati, Reges *Poloniæ*, & *Suetiæ*, Rex
„ *Schotiæ*, Rex *Daniæ*, Dux, & Respublica *Venetiarum*,
„ Dux *Lotharingiæ*, & magnus Dux *Tussiæ*, Respublicæ
„ *Genuensium*, & *Lucarum*, Dux *Parmæ*, & *Placentiæ*. Car-
„ dinalis *Farnesius*, ejus frater, Dux *Mantonæ*, Dux *Urbi-*
„ *ni*, Capita familiæ *Columnæ*, & *Ursini*, Dux *Salmonettæ*,
„ Dominus *de Monaco*, Marchio *de Final*, Marchio *de Massa*,
„ Dominus *Plombini*, Comes *de Sala*, Comes *de Calorino*, ut
„ pariter fruantur hujus pacis beneficio, cum expressâ de-
„ claratione, quod dictus Dominus Rex Christianissimus
„ nullo modo poterit directè, au indirectè, ipse per se,
„ aut per alios quenquam illorum vexare, & si dictus Do-
„ minus Rex Christianissimus aliquid præsumit sibi deberi
„ à quoquam illorum, jure tantum id prosequi poterit,
„ coram judice competente, & nullo modo per arma.

32. „ Et ex parte dicti Domini Regis Christianissimi com-
„ prehenduntur hoc præsenti tractatu (si eo comprehendi
„ volent) Sanctus Pater noster Papa, Sancta Sedes Aposto-
„ lica, Imperator, Electores, Principes Ecclesiastici, Secu-
„ lares, Oppida, Municipia, & Status Sancti Imperii, &
„ speciatim Domini, Comes *Palatinus* Elector, Marchio
„ *Brandenburgensis*, Dux *Wirtenbergæ*, Landgravius *Hassiæ*,
„ Marchio *de Hambsbac*, Comites *Frisiæ* Orientalis, Oppida
„ meritima juxta antiquas confœderationes, Rex, Regnum-
„ que *Schotiæ* juxta veteres tractatus, uniones, & confœ-
„ derationes initas inter Galliæ, & *Schotiæ* Regna, Reges
„ *Poloniæ*, *Daniæ*, & *Suetiæ*, Dux, & Respublica *Venetia-*

1598. „ *rum*, tredecim Respublicæ Fœderatorum *Helvetiæ*, Domi-
„ ni trium Fœderatorum *Grisonum*, Episcopus, & Dominus
„ terræ *de Valaye*; Abbas, oppidumque Sancti *Gelli*, *Clouten-*
„ *bergue*, *Nieuhausen*, Comes *de Neucbastel*, cæterique uniti,
„ & Confœderati dictorum Dominorum Fœderatorum, Domi-
„ nus Dux *Lotharingiæ*, Dominus magnus Dux *Tusciæ*, Do-
„ minus Dux *Mantuæ*, Respublica *Lucensis*, Episcopus, &
„ Capitula *Metsii*, *Thelonsii*, & *Verdunii*, Abbas *de Ghasse*,
„ Domini *de Zedam*, Comes *del Almirande*. Idque eâ tamen,
„ ut consensus, quem Rex Catholicus præbet in compre-
„ hendendis Comitibus *Frisiæ* Orientalis neutiquam deroget
„ juri, atque actioni, quæ Suæ Majestati Catholicæ competit
„ in eorum terras, uti etiam contra, dictis Comitibus suæ reser-
„ vantur defensiones, jura, & exceptiones, eaque omnia sub
„ declaratione, quod dictus Dominus Rex Catholicus, nullo
„ pacto poterit directè, aut indirectè ipse per se, vel per alios
„ eorum quemquam vexare, & si præsumit quicquam sibi ab
„ illis deberi, jus suum tantummodo contra eos consequi pot-
„ erit coram judicibus competentibus, & nullo modo armis.
„ 33. Comprehendentur similiter in hoc præsenti tracta-
„ tu alii omnes, qui ex communi, mutuoque assensu dicto-
„ rum Dominorum Regum sese volent denominari, dummo-
„ do sexto mense à publicatione hujus tractatus litteras suas
„ declaratorias, in tali casu necessarias, respectivè exhibeant.
„ 34. Adque majorem firmitatem tractatus hujus pacis,
„ omniumque conditionum, ac articulorum, qui in eo con-
„ tinentur, idem tractatus verificabitur, publicabitur, inque
„ acta publica redigetur in Curiâ Parlamenti *Parisiensis*, in
„ omnibusque aliis Parlamentis, uti similiter verificabitur,
„ publicabitur, ac in acta publica redigetur in magno Con-
„ silio, reliquisque Consiliis, & Cameris Rationum dicti Regis
„ Catholici, in inferiori suâ Germaniâ, eaque omnia juxta
„ tenorem, & formam, quæ continentur dicto tractatu Anni
„ 1559., quarum rerum expeditiones utrinque tradentur intra
„ spatium trium mensium à publicatione præsentis tractatus.
„ Quæ conditiones, & articuli suprememorati, & com-
„ prehensi, unàque omnia, quæ continentur in eorum sin-
„ gulis, tractata, conventa, transacta, stipulataque fuêre
„ inter dictos Deputatos, ex parte, & nomine supradicto,
„ qui virtute suarum procurationum promisêre, & promit-
„ tunt sub obligatione omnium, & quorumcumque bono-

„ rum,

„ rum, præsentium, & futurorum dictorum suorum Domi- 1598.
„ norum, quod ab illis inviolatè observabuntur, & execu-
„ tioni mandabuntur, sesèque curaturos, ut ab iis rata ha-
„ beantur, atque hinc inde litteræ authenticæ subscriptæ,
„ sigilloque signatæ exhibeantur, in quibus præsens hic
„ tractatus inseretur ad harum exemplum, idque infra men-
„ sem à die præsentium quoad dictos Dominos Regem Chri-
„ stianissimum, Cardinalem Archiducem, Ducemque Sabau-
„ diæ, promittetque dictus Dominus Archidux, sese cura-
„ turum intra tres menses exhiberi, similes litteras ratihabi-
„ tionis dicti Domini Regis Catholici. Præterea spopon-
„ derunt, promiseruntque dicti Deputati dicto nomine simul-
„ atque dictæ litteræ ratificationis dictorum Dominorum Re-
„ gis Christianissimi, Cardinalis, Ducisque Sabaudiæ, fue-
„ rint exhibitæ, dictos Dominos Regem Christianissimum,
„ Cardinalem, & Ducem Sabaudiæ solemniter juraturos per
„ Crucem, Evangelia, Canonem Missæ, perque suum ho-
„ norem, coram talibus, quales ab iis ad id muneris, dili-
„ genter sese plenè, exactè, & bonâ fide observaturos, ef-
„ fecturosque quicquid in dictis articulis continetur. Simile
„ etiam jusjurandum præstabitur à dicto Domino Rege Ca-
„ tholico tribus mensibus, vel quando id ab eo exigetur. In
„ quarum rerum fidem dicti Deputati huic tractatui suâ quisque
„ manu subscripserunt in oppido Vervini secundâ Maji 1598.

XLVI. Elegerat, miseratque ad Belgii gubernationem *Philippus Albertum*, ut post cessionem, ac resignationem factam illarum suarum Provinciarum in usum perpetuum *Isabellæ Claræ Eugeniæ* filiæ suæ, ex *Isabellâ Henrici secundi* Galliæ Regis filia, primogenitæ, eademque * filiis, eadem *Alberto* nuberet. Quæ secreta intentio, ac voluntas, non antea illucessere incœperat, quam Anno 1597. nec adhuc erat omnino publica tempore constructionis præfatæ pacis; non multum verò postea, voluit *Philippus*, ut *Albertus* togam Cardinalescam † derelinqueret, & assumeret habitum secularem. Deinde missis ei sufficientibus procurationibus resignandi in *Isabellam* dictas Provincias, convocatis super eo Ordinibus omnibus, iisque præsentibus, exceptis eis, qui propter rebellionem comparére non voluerunt, tandem facta fuit dicta Resignatio Bruxellæ in magnâ Aulâ, quæ est ibi in Palatio Regio, die & mensis qualis hic sequitur, sedente *Alberto* in loco sublimi sub Tabernaculo, & præ-

* *Lego*: ejusdemque.

† *Vult intelligi*: purpuram Cardinalitiam, habitum Cardinalium. *Eum deposuit in Oppido Hallensi, in Hannonia, & inde remisit ad Papam.*

1598. præsentibus rerum Status Tribunalis, Consilii Privati, Financiarum, nec non Computuum, Consiliariis.

Exemplar Donationis Belgii, & Burgundiæ, quæ Philippus secundus Hispaniarum Rex majori natarum Isabellæ Claræ Eugeniæ transcripsit Anno Domini 1598.

„ XLVII. P*Hilippus* Dei Gratiâ Rex Castellæ, Arragoniæ, „ Leonis, utriusque Siciliæ, Hierosolymæ, Por- „ tugalliæ, Navarræ, Granadæ, Toleti, Valentiæ, Galli- „ ciæ, Majoricæ, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, „ Murciæ, Jaeni, Algarbæ, Algesire, Gribaltari, Insula- „ rum Canariæ, Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, „ Insularum, & continentis maris Oceani, Archidux Au- „ striæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Lim- „ burgi, Luxemburgi, Geldriæ, & Mediolani, Comes „ Hapsburgi, Flandriæ, Arthesiæ, Burgundiæ, Tirolis, „ Palatinatus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, „ & Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio sancti Imperii „ Romani, Dominus Frisiæ, Salinarum, & Dominator in „ Asiâ & Africâ. Omnibus præsentibus, & futuris hasce „ litteras inspecturis, aut legi audituris. Cum nobis visum „ fuerit, tam in generale Reipublicæ Christianæ, quam „ speciale Provinciarum inferioris Germaniæ commodum, „ Charissimæ, optatissimæque filiæ nostræ Infantis *Isabellæ*; „ *Claræ Eugeniæ*, Matrimonium non diutius differri, eoque „ præcipue nos incitavit, tam Domus familiæque nostræ, „ conservatio, quam aliæ complurimæ, haud parvi momenti „ causæ; singularis præterea amor, quo Charissimum nos- „ trum, dilectissimum fratrem, nepotem, & cognatum Ar- „ chiducem *Albertum*, nostrum locum tenentem, Guberna- „ torem, & Præfectum generalem, in inferiori nostra Ger- „ maniâ, & Burgundiâ, complectimur, eumdem in futurum „ dictæ nostræ majoris natu filiæ maritum delegerimus, id- „ que consensu, & voluntate summi Pontificis, cujus eum „ in finem dispensatio necessaria impetrata, ac communica- „ tione prius habita, cum summo, Excellentissimo, Poten- „ tissimoque Principe Charissimo nostro, Dilectissimoque fra- „ tre nepote, & Cognato, *Rudolpho*, ejus nominis *secundo* „ Romanorum Imperatore, itemque cum Charissimâ nostrâ, „ Dilectissimaque sorore, ejus Matre, quibus rebus confide-

„ ratis,

„ ratis, neve dictæ filiæ noſtræ media, maximis ejus meri- 1598.
„ tis, virtutibuſque condigna deſint, ad demonſtrandam etiam
„ ex noſtrâ parte ſingularem benevolentiam, atque amorem,
„ quo ſemper dictam noſtram inferiorem Germaniam, Bur-
„ gundiamque proſecuti ſumus, & adhuc proſequimur, de-
„ crevimus in hujus Matrimonii beneficium, donatione
„ tranſcribere dictæ noſtræ filiæ, dictas noſtras inferioris
„ Germaniæ Provincias, cum omnibus, quæ de iis depen-
„ dent, iiſque conditionibus, quæ ſpeciatim infra ſubjicien-
„ tur, eaque omnia interceſſione, voluntate, ac conſenſu
„ Chariſſimi noſtri Dilectiſſimique Filii, Principis *Philippi*
„ unici noſtri hæredis, certioribus etiam eâ de re redditis
„ per nos, eundemque noſtrum filium, præcipuis Procerum,
„ Equitumque noſtri Ordinis, Senatibus, Statibuſque infe-
„ rioris noſtræ Germaniæ, ac Burgundiæ Comitatus, qui
„ omnes ſuis litteris declararunt, teſtatique ſunt, ſummam in
„ ſe voluptatem, ex tam benignâ noſtrâ voluntate, propo-
„ ſitoque capere, quam certam ſciunt, ac confitentur quie-
„ tem, tranquillitatemque inferioris noſtræ Germaniæ pro-
„ mittere, verumque eſſe modum bonæ, ſolidæque pacis in-
„ eundæ, Patriæque à tam moleſto, longinquoque bello
„ liberandæ, quam tranquillitatem, pacemque mirum in
„ modum illis ſemper exoptavimus; habitâ etiam ratione pa-
„ lam omnibus notâ, nihil quibuſque regionibus ac Provin-
„ ciis tam eſſe optabile, quam à Domino, ac Principe ſuo na-
„ turali, quem præſentem, atque, ut ita dicam, in conſpectu
„ ſemper habent, regi, ac gubernari. Deum teſtor non
„ parum animum afflixiſſe, quod ipſe eò nos conferre non
„ potuerimus, uti revera maximum ejus rei exequendæ deſi-
„ derium nos tenuit, ni alia urgentia, maximique momenti
„ Regnorum noſtrorum Hiſpaniæ negotia impediiſſent, quo
„ minus nobis licuerit ſedem mutare, ſed è contra ibi con-
„ tinuo morari, ſedemque figere, nec aliò diſcedere, uti ad-
„ hucdum eadem illa gravia negotia detinent, etiam quam-
„ vis dicti Domini noſtri filii Principis, ætas magis idonea
„ videatur, quam noſtra ad itinerum labores tolerandos,
„ cum tamen Deo ter optimo maximo viſa fuerit nobis
„ tot, tantorumque Regnorum, Provinciarumque Dominia
„ conferre, quibus regendis ob varia, maximaque negotia
„ perquam neceſſaria erit ejus præſentia, expedire nobis
„ viſum eſt, hanc inſtituti noſtri ſententiam proſequi, ne

1598. „ dicta nostra Germania inferior eadem subeat incommoda, „ quæ hactenus perpessa est, hisque etiam accedat æquitatis „ ratio, quæ dictæ nostræ filiæ debetur dos, digna suis „ meritis, generisque splendori, eamque etiam seorsim ob „ causam, quod post dictum Principem filium nostrum (quem „ Deus diu incolumem, prosperumque conservet) dicta filia „ nostra sit prima, & proxima in successione Coronæ, cum- „ que etiam consensu, ac voluntate dicti nostri filii, jam „ nunc ad hæreditatis portionem accipiendam admittitur, „ hanc viam eligere instituimus, quâ speramus dictas nostras „ inferioris Germaniæ Provincias, pristinum splendorem, „ tranquillitatem, prosperitatemque recuperaturas. Notum „ facimus, quod desiderantes in præsentia exequi, quod tam „ maturè eâ de re facere statuimus, habitâ insuper ratione „ spontanei consensus à dicto nostro Principe eadem de re „ liberalissime præstiti, nobisque denique cognitâ, ac per- „ spectâ humili submissione, quâ dictæ nostræ Provinciæ, „ nostræ bonæ voluntati assenserunt, decrevimus cedere, & „ transcribere dictæ Filiæ nostræ Dotis nomine in hoc con- „ jugium, omnes nostras Provincias inferioris Germaniæ, „ & Burgundiæ, iisque formulis, modis, pactis, & condi- „ tionibus quæ subjicientur.

„ 1. Quarum prima est, & non aliter, quod dicta Infans „ nostra filia nubet Archiduci *Alberto*, virtute Dispensatio- „ nis à dicto Sancto Pontifice eum in finem concessæ, & dotis „ nomine, & tanquam dotem dictas Provincias inferioris „ Germaniæ, & Comitatus Burgundiæ, & si contigerit idem „ conjugium quamlibet ob causam impediri, dicta donatio, „ collatioque erit nulla, nulliusque valoris, eoque in casu „ eam jam nunc revocamus, abrogamus, & rescindimus.

„ 2. Et haud secus, quod ex filiis, &, qui nascentur ex „ eo Matrimonio mares, & fæminæ, legitimi, natique ex „ legitimo Matrimonio, & non ex naturalibus legitimi effecti, „ etiam post subsequens Matrimonium, majores nati prælati „ minoribus, maresque fæminis in uno, eodemque gradu, „ continuâ successione hæredes erunt omnium dictarum Pro- „ vinciarum, nullâ admissâ earundem divisione, aut parti- „ tione, expressè volentes, ut filius, aut filia, filii, aut „ filiæ majoris, qui decesserint, Patre superstite, præferatur „ patruis, ac cæteris quibusvis ex lineâ collaterali.

„ 3. Et non aliter si contigerit (quod Deus avertat) nul-

„ lum

„ lum exstare filium, filiamve ex hoc Matrimonio, vel eos 1598.
„ decessisse, tempore obitus alterutrius, sive Archiducis *Al-*
„ *berti*, sive nostræ filiæ, qui Matrimonio conjungentur, erit
„ hæc præsens donatio nulla, nulliusque valoris, quo casu,
„ si dicta nostra filia fuerit vidua, cedet ei legitima portio
„ ex parte Patris, dosque ex parte Matris, quæ ei debetur,
„ quæque præterea nos, aut dictus filius noster Princeps,
„ in eis beneficium pro nostrâ in eam benevolentiâ conferre
„ voluerimus; & si Archidux *Albertus* noster bonus nepos
„ superfuerit dictæ Infanti, penes eum erit Gubernatio ea-
„ rundem Provinciarum inferioris Germaniæ nomine pro-
„ prietarii, ad quem illæ Provinciæ erunt devolutæ.

„ 4. Et non aliter, quod deficientibus omnibus successo-
„ ribus, tam maribus, quam fæminis procreatis ex eo Ma-
„ trimonio, ita ut nemo eorum existat, quibus hæc bona ce-
„ dant, eo casu ea omnia redibunt ad Regem Hispaniarum, qui
„ nobis succedet, cui hanc donationem concedimus, eoque
„ casu jam nunc ei bonorum illorum donationem conferimus.

„ 5. Et non aliter, quod dicta nostra filia, vel alius quis-
„ quam eorum, qui ad hanc successionem vocantur, nullo
„ modo poterunt dividere dictas Provincias, nec eas alie-
„ nare, aut donatione cuiquam transcribere, sine nostro
„ hæredisque nostri, successorumque hujus Regni, consensu.

„ 6. Et non aliter, quod ea, cui Dominium, & Princi-
„ patus earundem Provinciarum continget, debebit nubere
„ Regi Hispaniarum, vel Principi ejus filio, qui tunc existet,
„ impetratâ prius legitimâ dispensatione eum in finem necessa-
„ riâ, & si tunc noluerint contrahere inter se Matrimonium,
„ eo casu non poterit dicta Domina alicui nubere, aut dotis
„ nomine, quicquam ex dictis Provinciis constituere, sine
„ nostro, nostrorumque hæredum, ac successorum dictorum
„ Regnorum Hispaniæ à nobis descendentium, voto, & consen-
„ su, cui rei, si contraventum fuerit, quidquid donatum, col-
„ latumque fuerit, illi vindicabitur, tanquam hujusmodi do-
„ natio, collatio, atque alienatio facta, transactaque non esset.

„ 7. Et non aliter, quod omnes Principes, Dominique
„ earundem Provinciarum inferioris Germaniæ tenebuntur
„ conjungere Matrimonio filios suos, filiasque ex nostrâ,
„ nostrorumque hæredum, successorumque Regni Hispaniæ
„ sententia, & consensu.

„ 8. Et non aliter, quod dicta nostra filia, ejusque mari-
tus,

1598. „ tus, omnesque eorum successores, ad quos devolventur illæ „ Provinciæ, nullo modo poterunt inire commercia, aut navigationes in Indiâ Orientali, aut Occidentali, nec eò ullum „ genus navigiorum ullo titulo, colore, ac prætextu mittere, „ si secus faxint dictæ Provinciæ, reciderint in potestatem „ Regni Hispaniæ, & si contigerit aliquos subditorum contra „ tale Edictum Indias versus proficisci, Domini earundem „ Provinciarum tenebuntur eos castigare, pœnâ bonorum confiscationis, aliisque gravibus pœnis, etiam pœnâ mortis.

„ 9. Conditio expressa est, Et non aliter, si dictus Archidux *Albertus*, noster bonus nepos superfuerit dictæ „ nostræ filiæ, quæ reliquerit filium, aut filiam, penes eum „ erit gubernatio talis filii, aut filiæ hæredis, bonorumque „ omnium administratio, uti facturus esset, superstite adhuc „ dictâ nostrâ filiâ. Præterea dictus noster Nepos Archidux fruetur hoc casu (dum erit in vivis) omnibus dictis „ Provinciis inferioris Germaniæ, eritque earum usu fructuarius, dummodo honesté sustentet omnes eos filios, secundum eorum gradum, & natu majori, seu filio, seu filiæ „ conferet Provinciam, Ducatumque *Luxemburgensem*, & „ Comitatum *Chiny* ex eo dependentem, uti ea possideat, „ fruaturque quoad vivat Pater, post cujus obitum omnium „ Provinciarum Dominio potietur tanquam ejus Hæres generalis, expresséque hic declaratur hanc ususfructus clausulam tantum intelligi constitutam esse in beneficium dicti „ nostri boni nepotis Archiducis *Alberti*, idque non posse „ trahi in exemplum cuiquam suorum successorum, nec quicquam ei juris in simili casu acquiri.

„ 10. Et non aliter, quia hæc est præcipua majorisque „ momenti quam cæteræ: omnes nati successæ: resque * „ dictorum Principum jam conjugium contrahentium, pietatem, & Religionem, quæ in illis relucet imitantes, tenebuntur vivere, & mori in nostrâ sanctâ fide Catholicâ, „ quam colit, docetque sancta Ecclesia Romana. Tum antequam possessionem earum Provinciarum acquirant, tenebuntur præstare jusjurandum, quod conceptis verbis „ infra subjicietur. Et si contingat (quod Deus avertat) „ quemquam dictorum successorum deflectere à dictâ sanctâ „ fide, in aliquamque hæresim labi, posteaquam sanctus noster „ Pontifex illum hæreticum esse declaraverit, privabitur administratione, possessione, ac Dominio dictarum Provin- „ ciarum,

* *Quid facias huic mendosissimo librario, seu amanuensi? Ego sic Statuo: Post* Tò cæteræ, *subintellige*: conditiones. *Et dein lege*: Omnes nati successoresque dictorum Principum &c.

„ tiarum, earumque subditi, ac Vasalli ejus imperio non 1598.
„ amplius subjicientur, sed in ejus locum admittent, acci-
„ pientque illi consanguinitate, & jure proximum Catholi-
„ cum, cui post obitum illius, qui à Catholicâ fide aber-
„ rarit, jus successionis debetur, atque ille talis hæreticus ha-
„ bebitur tanquam verè, ac morte naturali ex vivis excesserit †.

† *Lege*: excessisset.

Formula Jusjurandi.

„ *EGo juro ad sancta* DEI *Evangelia, quod semper ad extre-
„ mum vitæ meæ spiritum, Sacrosanctam fidem Catholi-
„ cam, quam tenet, docet, ac prædicat Sancta Catholica, Aposto-
„ lica Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater, & Ma-
„ gistra, constanter profitebor, & fideliter, firmiterque credam,
„ & veraciter tenebo, atque eam à meis subditis, teneri, doceri,
„ & prædicari, quantum in me erit curabo. Sic me* DEUS *ad-
„ juvet, & Sancta ejus Evangelia.*

„ II. Conditio, Et non aliter, quod ad majorem securi-
„ tatem pacis, amicitiæ, mutuæque benevolentiæ vinculum,
„ quod intercedere debet, Regibus horum Regnorum, nostris-
„ que successoribus cum Principibus, Dominisque illarum
„ Provinciarum, nostri quoque posteri, & successores, &
„ quivis eorum, qui successivè hæreditatem Dominiumque
„ dictarum Provinciarum Germaniæ inferioris, & Burgundiæ
„ adituri sunt, tenebuntur laudare, approbare, rataque ha-
„ bere ex abundanti, omnia, quæ hoc scripto continentur.

„ Et quia nostra voluntas, ac intentio est, ut supra-
„ dictæ conditiones, & articuli, sortiantur verum suum,
„ integrumque effectum, iisdem illis conditionibus dona-
„ mus, cedimus, conferimus, transcribimus, renuntiamus,
„ & concedimus dotis, feudi, & retro feudi nomine, &
„ quâcumque meliori viâ, modo, & formâ, & jure fieri
„ possit, & valere debeat, ita ut forma invalida vel inuti-
„ lis, validæ, utilique quicquam derogare nequeat, dictæ
„ infanti *Isabellæ Claræ Eugeniæ*, Charissimæ nostræ, bonæ-
„ que filiæ majori, omnes Provincias nostras inferioris Ger-
„ maniæ, & unamquamque earum, *Burgundiæ* item terras,
„ & Comitatum; sub eo comprehenso, *Charolesii* Comi-
„ tatu, Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus,
„ Baronias, Dominia, Civitates, Arces, & Castella dicta-
„ rum nostrarum Provinciarum inferioris Germaniæ, &
„ *Burgundiæ*. Similiter omnia Regalia feuda, clientelas

1598. „ (vulgo *hommages*) Jura, Libertates, Privilegia, jura Patronatus, Reditus, Dominia, subsidia, confiscationes, & delictorum pœnas, cum omnibus, & singulis juribus & actionibus, quæ nobis competunt, aut queant competere, earundem Provinciarum inferioris Germaniæ, & Burgundiæ causâ, omnes item Præeminentias, Prærogativas, Privilegia, Exemptiones, Jura, quæ vocant *Gardianentes* & *Advoveries* Jurisdictiones, titulos Judicatus, vulgo *Ressores*, cæterasque omnes superioritates, cujuscumque modi sint, & quâcunque de causâ illæ nobis queant competere, & deberi, sive ex patrimonio, aut aliâ quavis de causâ, ac titulo, ut iis plenè, integrèque potiatur, fruaturque eodem planè modo, quo nos iis potiti, & fruiti sumus, sine ulla exceptione. Eâ tamen conditione, ac lege, uti strictè, inviolatèque observantur omnes, & singulæ conditiones supra expressæ, & Pragmatica facta à gloriosissimæ memoriæ Imperatore, Dominoque Patre nostro, cui DEUS propitius sit, mense Novembri Anno Domini 1549. in beneficium unionis dictarum Provinciarum inferioris Germaniæ, interdicto planè omni consensu earundem divisionis, ac separationis, quamcumque ob causam, aut modum. Præterea nostra voluntas, & intentio est, uti etiam hisce præsentibus declaramus, edicimusque, quod hâc nostrâ cessione, alienatione, dicta nostra Filia, dictusque futurus ejus Maritus Archidux *Albertus* tenebuntur, & obligabuntur solvere omnia, ac qualiacumque debita, obligationesque, tam à nobis, quam nostro nomine, vel ab ipso Imperatore contracta, & constituta super nostrum Patrimonium Dominiumque dictarum Provinciarum inferioris Germaniæ, Comitatusque *Burgundiæ*, & quos similiter tenebuntur, ac obligabuntur sustinére, ac exsolvere omnes, & quoslibet redditus, pensiones annuas ad vitam, & cætera omnia qualiacumque dona, remunerationes, & præmia, quæ eadem Majestas imperialis, nosque, nostrique Prædecessores, donavimus, assignavimus, concessimusque quibuslibet personis. Itaque facimus, creamus, instituimus, & denominavimus, his præsentibus, formâ, & qualitate supradictâ eandem nostram filiam Principem, & Dominam earundem Provinciarum inferioris Germaniæ, & Comitatus *Burgundiæ*, atque etiam *Charolesii*. Concedentes præterea dictæ nostræ

„ filiæ,

„ filiæ, ut præter titulos speciales cujusque Provinciæ dictæ 1598.
„ inferioris Germaniæ, ejusdemque Comitatus *Burgundiæ*,
„ ipsa sibi sumere possit titulum, nomenque Ducis *Burgundiæ*, quamvis ipsi etiam nobis, dictoque Principi, filio nostro (quoad nobis visum fuerit) eundem Ducis *Burgundiæ* titulum retinuerimus, cum omnibus juribus, quæ nobis ita competunt. Itemque qualitatem capitis, & Principis nostri Ordinis aurei Velleris, cum potestate, ac facultate de eo in posterum constituendi, prout nobis magis expediri videbitur. Consentimus, concedimus, permittimusque dictæ nostræ filiæ, potestatemque ei damus absolutam irrevocabilemque, ut privatâ suâ authoritate, nullâ petitâ licentia, aut veniâ, ipsa per se, vel per litteras procuratorias, ipsius futurus Maritus accipiat, sumatque integram, planamque possessionem omnium dictarum Provinciarum inferioris Germaniæ, Comitatusque *Burgundiæ*, & *Charolesii*, eumque in finem Statuum generalium earundem Provinciarum conventum indicat, aut Status particularis cujusque Provinciæ, aut utatur alio modo, quam magis quadrare, ac convenire judicabit, huic nostræ donationi, cessioni, & alienationi: faciatque significari dictis subditis, Statibusque earundem Provinciarum, iisque jusjurandum consuetum præstet, debitamque locorum, Dominiorumque inaugurationem exigat, ab iisque fidelitatis juramentum accipiat, eosque obstringere omnibus iis rebus, quibus ex præcedentibus juramentis reciprocè utrinque tenentur, ac obligantur. Et quousque dicta nostra Filia adierit, aut suo nomine adiri curaverit earundem Provinciarum inferioris Germaniæ, Comitatusque *Burgundiæ*, & *Charolesii* veram integramque possessionem, eo modo, ac præscripto, quo hoc instrumento continetur, nos possessionem earundem Provinciarum accipimus nomine, & ex parte dictæ nostræ Filiæ. In cujus rei fidem volumus, constituimusque ei tradi hasce nostras litteras publicas. Concedentes præterea, ac permittentes dictæ nostræ Filiæ retinere, committere, ac instituere in iisdem Provinciis inferioris Germaniæ, ac *Burgundiæ*, Gubernatores, Præsides, judices, officiariosque tam earundem Præsidii, quam administrandæ justitiæ, Policiæ, redditus, Dominii, cæterarumque rerum causâ, tum etiam

1598. „ omnia ea facere, atque exequi, quæ vera Princeps, Do-
„ minaque naturalis, earundemque Provinciarum proprie-
„ taria, ex jure, consuetudineque, alioque modo potest,
„ debetque facere, utique nos ipsi fecimus, aut facere
„ potuerimus, eâ tamen lege, ut semper dictæ conditiones
„ supra expressæ, strictè observentur, eumque in finem,
„ liberavimus, absolvimus, ac eximimus, liberamus, ab-
„ solvimus, ac eximimus hisce præsentibus litteris omnes
„ Episcopos, Abbates, Prælatos, cæterosque Ecclesiasti-
„ cos, Duces militares, Provinciarum, ac civitatum Præ-
„ fectos, Præsides, nostrosque Consiliarios Financiarum,
„ Computorumque administratores, cæterosque Judices, &
„ Officiarios, Capitaneos, milites, arcium Castellorumque
„ Præsidiarios, eorum Vicarios, Equites armigeros, & Va-
„ sallos. Item Magistratus, cives, incolasque civitatum,
„ arcium, municipiorum, villarumque, omnes denique
„ singulosque subditos earundem Provinciarum inferioris
„ Germaniæ, Comitatusque *Burgundiæ*, & *Charolesii*, eorum-
„ que quemlibet juramento fidelitatis, fidei, & clientiæ,
„ subsidiis obligationibusque, quibus nobis astricti fuêre
„ tanquam Domino, supremoque Principi; Volentes, ordi-
„ nantes, ac mandantes expressè iisdem, uti teneantur
„ inaugurare, accipereque dictam nostram Filiam, tanquam
„ suam veram Principem, ac Dominam, eique præstent de-
„ bitum juramentum fidelitatis, clientelæ, promissi, obliga-
„ tionisque, consueto more secundum Provinciarum, Civi-
„ tatum, Feudorum, Dominiorumque consuetudinem, eique
„ præterea, ac futuro ejus marito, exhibeant omnem hono-
„ rem, reverentiam, benevolentiam, obedientiam, fidelita-
„ tem, servitiumque, uti boni, ac fideles subditi tenentur,
„ obliganturque veris suis Principibus, ac naturalibus Do-
„ minis præstare, & quemadmodum hactenus sese erga nos
„ gessère, & supplentes omnes, & quoscumque defectus,
„ ac commissiones tam juris, quam facti, quæ in hâc præ-
„ senti donatione, concessione, ac alienatione committi,
„ eidemque etiam inseri possent. Spontaneâ nostrâ volun-
„ tate, certâ scientiâ, ac plenâ absolutâque potestate regiâ,
„ quâ hâc in re uti voluimus, in præsentiâque utimur, dero-
„ gavimus, & derogamus omnibus, & quibuslibet legibus,
„ constitutionibus, consuetudinibus, quæ hisce præsentibus

„ adver-

„ adverſari, & contravenire queant. QUIA SIC NOBIS PLACET. Utque omnia ſupradicta perpetuo ſint ſtabilia, ac firma, hiſce præſentibus ſubſcripſimus nomen noſtrum, magnumque noſtrum ſigillum appendi juſſimus. Et quo iis fides habeatur, volumus, edicimuſque ea omnia inſcribi Regiſtris Concilii Privati, Cameræque Computuum. Datum in noſtrâ urbe Madriti, in Regno Caſtellæ ſexto Maji 1598. Regnorum noſtrorum Neapolis, & Hieroſolimæ 45. Caſtellæ, Arragoniæ, Siciliæque, cæterorumque 44, & Portugalliæ 19. Pro paragrapho. N. D. V. ſubſcriptum. PHILIPPUS, & inferius: ex mandato Regis: *A de la Loo* ". 1598.

XLVIII. Fuit actus ex ſolemnibus * noſtri temporis, habuitque in eo, nomine *Alberti*, diſcutam † orationem *Richardotius*, ad quam reſpondit nomine Ordinum, & ipſe eleganter *Jacobus Maſius*, eorum Greffiarius, quocum abſciſſum fuit ex tunc ex Coronâ Hiſpaniæ Belgium, nullo in illud manente jure, quam, quod moriente *Iſabella* abſque filiis, Regi ſuo tanquam viciniori hæredi, in poſterum poſſet reſtitui.

* Lego: ſolemnioribus.

† Diſſertam.

XLIX. Cæterum res non indigna maximâ admiratione, quod *Philippus* Princeps prudentiſſimus, ſciens quid valeret Belgium, quantumque Hiſpaniæ intererat, illud ſibi habére ſemper annexum, quoque ſolo, ea Corona Hiſpaniæ, unica eſſet maris Domina, Monarchaque in Europâ longe primus, voluerit præter ea, quæ poſſidebat (quæ erat major pars) fructum ſpei, quam adhuc habebat recuperandi armis, quod per rebellionem malevolorum, ac hæreticorum iverat perditum, transferre in alium, reſervandum in ſe ſolummodo eoſdem ſumptus, quos antea faciebat, dum certabatur de utilitate propriâ, qui procul dubio erant tam immenſi, ac ita conſumebant ærarium Hiſpanicum, ut vix erat, unde bello tam longo, ac gravi amplius provideretur; atque ſic, ſi per dictam reſignationem liberaſſet ſe de tam ponderoſo onere, videbatur, quod accommodando ſe neceſſitati, & volendo tempeſtive prævenire, ne tandem Hiſpania ipſa propter impotentiam iret in præcipitium, feciſſet bene, ſed retinendo ſolum onus, fructum vero ejuſdem omnino derelinquere, quod ad iſtud attinet, viſum eſt, aliquibus, nec amorem erga Filiam, nec incertam illam ſpem eâ via integrè pacificandi Belgium, cujus videtur meminiſſe in præfatâ renuntiatione, tanquam de ſecundâ ejuſdem cauſâ, meruiſſe tam prodigam liberalita-

1598. tem. Quamvis enim longé justum, rationique omnino consonum foret, tantâ bonitate, ac clementiâ Domini (qui cum resignatione sui juris in filiam, liberabat eos in perpetuum à Dominio Hispanico, quod obstinatè abhorrebant) inductos iri, ut desertâ rebellione libenter ad obedientiam debitam cum cæteris Belgis reverterentur, nihilominus ad tam somnolentam oblivionem amoris (qui solet inesse subditis erga suos Principes naturales, & tanquam hæreditario jure transire de uno in alterum) desideriumque traducendi in se Democratiam, adduxerat eos hæresis, fœlixque civile bellum: ut nullus fuerit, qui tempore dictæ resignationis, nec jam, præsente *Isabellâ*, tam magnæ obligationis voluerit meminisse, immo eâ ipsâ resignatione, quâ Belgio videtur *Philippus* quæsiisse, ac sperasse remedium, fortificarunt, atque ita colorarunt rebellionem, quam constanter profitebantur, ut ex tunc tanquam derelicti, elective * a *Philippo*, nullo erga eum amplius jure teneri, publicè per totum orbem sint professi.

* *Ut miserandum stilum adjuvem, puto legi posse*: ejective.

L. Voluerat præterea *Philippus*, ut *Albertus* post factam dictam resignationem, se quamprimum transferret in Hispaniam, ad ducendam in uxorem *Isabellam*, & ne tempore ejus absentiæ deesset navi Belgicæ gubernaculum, misit eò Cardinalem *Andream*, Archiducis *Ferdinandi* filium; post cujus adventum itineri se commisit, Bruxellâ exiens Decimâ quartâ Septembris dicti anni 1598. Eo mandato, munitusque sufficienti procuratione iret per *Eneopontum*, ibique sumeret in potentiam suam *Margaretam*, *Caroli* Archiducis, ex filiâ Ducis *Bavariæ* filiam, quam *Philippus* in uxorem filii sui Primogeniti (*Philippi* postea tertii) assumere decreverat, eamque *Ferrariam* duceret, ibique eam nomine dicti primogeniti desponsaret per manus ipsius Pontificis maximi; qui adhuc eo etiam veniebat, ac deinde sponsam Hispaniam usque conduceret, prout fecit: interim jam mortuo *Philippo secundo*, qui infirmitatibus omnino obrutus, in Monasterio Divi *Laurentii*, quod ab eo ad pedes montis *Carpentarii* est regié ædificatum, septuagesimum tertium agens annum religiosissimè obiit, dicto die decimo quarto Septembris, Princeps inter omnes celeberrimus, Religione, armis, ac justitia clarissimus.

LI. Antequam *Albertus* Belgio excederet, eòque venisset *Andreas*, miserat *Arragoniæ* Admiralium, ex illustri apud Hispanos *Mendoceâ* familiâ cum exercitu, ut ad partem illam

Iam, quæ *Velua* vulgo dicitur, rebelles invaderet, *Dudocumque*, ac *Dusburgum* † in introitu sita oppidula caperet, atque sic in ipsâ *Veluâ* exercitum collocaret, quod tanti futurum fuerat momenti, si plenè exequi potuisset, ut non dubitetur, quin eâ viâ tandem superare Rebelles fuisset factibile. Erat enim Districtus ille tanquam meditullium earum Provinciarum, quas occupatas tenebant, ad unum latus habens *Hollandiam*, & ad aliud *Overyssel*, ac *Frisiam*, & ubi positus, & bene sustentatus exercitus Regius ita separaret eos, ut itinere terrestri, ægrè potuissent sese communicare; fuissetque Regiis facile, armis, ac negotiationibus (præcipue partem, quæ *Frisiam* spectabat) ad se reducere, ac ita alteram debilitare, ut & illos tandem de reconciliatione cogitare cogerent. Sed noluit sors Admiralii; quamvis enim nil diligentiæ intermisisset, nihilque, quod fortem, ac strenuum Ducem deceret, omisisset, non potuit tamen contradicente hyemali tempore, quod est ibi valde regorosum, voto potiri, nec progredi ultra *Dodecum*: ubi, cum amplius non posset, posito præsidio sufficienti, exercitum ad Hiberna duxit, donec rediisset prima vera; & ut magis propinquus, & præsto esset, collocavit illum hinc inde in aliquibus locis Imperio subditis, quod ita ægrè tulêre aliqui Imperii Principes, ut collegerint copias, ad vi eum ejiciendum ex territorio Imperiali, unde tandem oriri potuisset rebus Regiis non mediocre incommodum, nisi postea fuisset ira sedata, ac per bona media res ad quietem reducta.

1598.

† Deutecom, Doesburg.

LII. Author certior factus tempestive de resolutione, quam cœperat *Philippus* de cedendo, ac resignando Belgio Filiæ suæ *Isabellæ*, nolens jam senex antiquum derelinquere imperii supremi jugum, in quo natus, ac semper educatus fuerat, & sub quo magna valde beneficia à Principe, ac Domino suo naturali erga eum clementissimo receperat, informans se à peritis, an si, cùm non esset originarius Belga, prout non erat (Pater enim ejus Italus *Bergaminatus*, * venerat Belgium adventitius, inserviendo domesticè *Carolo quinto* Cæsari) posset juridicè non velle subire novum illud jugum *Isabellæ*, ac *Alberti*, qui eam in uxorem ducebat. Certificatus, quod sic; *Alberto*, antequam faceret dictam resignationem, mentem suam significarat, nec non ante Notarium, & testes juridicè declaraverat: petiitque postea à *Philippo*, daret ei veniam

* Bergomas. *In ditione Veneta.*

1598. niam transmigrandi in Hispaniam, ad quod nomine Patris non adhuc mortui respondit: filius maneret in Belgio, vacaretque rebus ad solitum, donec reverteretur *Albertus* cum Uxore, & tunc juberetur ei, quid ulterius esset facturus, quocum stabat serviendo, sicut semper, quando inopinatè adfuit cursor cum litteris *Philippi tertii Valentii* scriptis decimâ tertiâ Novembris dicti Anni 98. quibus notificabatur ei, quod elegisset eum Sua Majestas pro suo legato, ac ordinario oratore, penes *Henricum quartum* Galliæ Regem, eo interim mandato, non se transferret Galliam versus, donec mitterentur ei litteræ credentiales, cæteraque munimenta ad simile munus exequendum consueta, quæ tandem venêre, constructa *Valentiæ* primo die Martii Anni nonagesimi noni, & cum quibus Bruxellâ discessit 27. Aprilis, & *Lutetiam* attigit sextâ Maji, jam mortuâ religiosissimè *Helenâ* uxore, ex morbo, qui vulgo vocatur cancer, quo miserabiliter laboraverat tribus annis continuis, Matrona, quam amabat unicè, quæque ob Religionem, pudicitiam, plurimasque animi dotes, revereri, & amari fuerat dignissima.

LIII. Exercuit fœliciter dictam legationem usque in mensem Januarium Anni 1604. Succedente tunc ei *Balthasare de Zuniga* ex illustri apud Hispanos *Zunigeâ* familiâ, quem *Philippus*, petente eo à dicto onere liberari, ejus in locum delegaverat, jussuque, ac bonâ veniâ Suæ Majestatis ex *Lutetiâ* itineri se commisit *Hispaniam* versus sextâ Februarii, ac vigesimâ postea Martii *Validoletum*, ubi agebat Rex, pervenit. Mansit ibi per integrum annum, & amplius ad negotia sua privata, cumque tandem ea ad fœlicem exitum reduxisset, Rexque Regiâ liberalitate labores ejus prosecutus fuisset, erat ei animus reducendi se ad *Incommendam*, * *Sanctorum* vulgo dictam, quam ei *Philippus secundus* post binas alias præcedentes in eum collatas, ultimo dederat. Sed noluit hoc Sua Majestas, eumque in tribunali suo bellico Consiliarium creavit, quâ novâ occupatione redditus denuo ordinarius Aulicus, cum integrâ Aulâ *Madritum* venit, unde tandem, impetratâ à Rege sex mensium veniâ, contulit se ob privata sua negotia ad dictam *Incommendam*, ubi his octo Commentariis finem imposuit Anno 1609.

* *Vox depravata ex Hispanico*: Encomienda. Commanderie.

FINIS.

E R R A T A
TOM. II. PART. II.

Pag. 18. lin. penult. commoit. *l.* commeit.
— 21. — 14. puger. *l.* purger.
— 49. — 12. judicille. *l.* judicielle.
— 60. — 7. Couſaulx. *l.* Conſaulx.
— 66. — 25. Chonoines. *l.* Chanoines.
— 67. — 5. en l'en. *l.* en l'An.
— 67. — 13. a fine. *Paule III. l. Paule IV.*
ibid. — 7. a fine. menes. *l.* menées.
ibid. — ult. de retourner. *l.* de ne retourner.
— 82. — 10. a fine. Inquiſtition. *l.* Inquiſition.
— 88. — 17. etant. *l.* atant.
— 92. — 7. innouer. *l.* innover.
ibid. — 20. qu'il ſuſt. *l.* qu'il fuſt.
— 112. — 4. previenne. *l.* parvienne.
— 122. — 9. a ſine. TASSIONUM. *l.* TASSIORUM.
— 130. — 3. die. *l.* dic.
— 135. — 4. *Montenti. l. Montenſi.*
— 152. — 2. cajus. *l.* caſus.
— 153. — 9. tranſinſulana. *l.* Tranſiſulana.
ibid. — 7. a fin in notis. ſinibus. *l.* finibus.
— 156. — 5. ſuo-opte. *l.* ſuopte.
— 158. — 6. quæquæ. *l.* quæque. *ibid.* montium. *l.* Montium.
— 179. — 16. bombarduo. *l.* bombardico.
— 181. — 12. a fin. ſevire. *l.* ſævire.
— 189. — 3. *Bernardius. l. Bernardinus.*
— 202. — 8. oppoſita. *l.* appoſita.
ibid. — 13. diſpenſarentur. *l.* diſpenſaretur.
— 203. — 5. erant *l.* erat.
ibid. — 22. opere. *l.* operi.
ibid. — 4. a fin. quaſi. *l.* qua ſi.
— 205. — 11. cubiebant. *l.* cupiebant.
— 209. — 6. ille. *l.* illo.
ibid. — 9. turti. *l.* turri.
— 212. — 11. & 12. *Remerburgenſis. l. Renneburgenſis.*
— 226. — 4. duarum. *l.* dictarum.
— 240. — 13. a fin. admitterentur. *l.* admitteretur.
— 260. — 11. nullum. *l.* nullam.
— 264. — ult. ſinerent. *l.* ſineret.
— 286. — 22. frater ni. *l.* fraternè.
— 324. — 14. a fin. vix. *l.* vir.
— 327. — 6. totiusque. *l.* totusque.
— 332. — 5. immunitas. *l.* imminutas.
— 462. — 12. a fin. infectare *l.* infectâ re.
— 504. — 4. a fin. mortatus. *l.* moratus.
— 534. — 5. Belcares. *l.* Balcares.

HM.

